

THEOLOGIA FUNDAMENTALIS.

PRÆLECTIONES ILL. D̄NI

DR. FR. BUCZYS

DE HISTORIA APOLOGETICÆ

HABITÆ IN ACADEMIA PETROP.

AN. 1911-1912.

INTRODUCTIO.

DE SUBSIDIIS AD COGNOSCENDAM HISTORIAM APOLOGETICAE.

LITTERATURA.

Libri, qui de historia apologeticae theologiae tractant, dupliciter dividi possunt: a) ii, qui nonnisi de hac historia scribunt et b) ii, qui, alios fines prosequendo, multa utilia pro historia nostrae disciplinae praeseferunt.

Ad primum genus referenda sunt potissimum duo opera, nempe Dr. Karl Werner, Geschichte der apologetischen und polemischen Literatur der christlichen Theologie. Schaffhausen. Hurtersche Buchhandlung 1861-1867. [Altera editio Regensburg. Manz 1889] et l'abbé J. Martin, L'apologétique traditionnelle. Paris. P. Lethielleux 1905.

Ad secundum genus referenda sunt magna illa opera, quae obiecta universalia tractant, scilicet historiam Ecclesiae, patrologiam, historiam theologiae et histo-

riam dogmatum. Praeterea enchiridii theologiae fundamentalis praemitti solent notitiae historicae de modo, quo religio christiana se ab oppugnatoribus defendebat vel sua dogmata propugnabat. Ottiger in sua amplissima „Theologia fundamentali" in una pagina absolvit historiam eius, sed tradit optimam divisionem periodorum eius. Abundantiora et magno ingenio spirantia tradit Al. Schmitt in suo „Apologetik, als Grundweg zur spekulativen Theologie."

Non licet silentio praeterire etiam hoc librorum genus, in quo singuli auctores apologetici vel etiam singula eorum opera examinantur sub respectu historico et dogmatico. Apologetae, qui vixerunt aetate sanctorum Patrum, fere omnes examinantur in monographiis. Non desunt etiam monographiae de recentioribus scriptoribus apologeticis. Sic, exempli gratia, Joh. Nep. Espenberger 1905 an. Friburgi Brisg. edidit opusculum de apologeticis conatibus episcopi Huetii (Die apologetischen Bestrebungen des Bischofs Huet von Avranches). Habemus etiam opuscula monographica de recentissimis scriptoribus

apologeticis: „P. Joseph Kleutgen S.J. Sein Leben und seine literarische Wirksamkeit. Zum Saekulargedechtnis seiner Geburt (1811-1911) von Johann Hertkens, Ober..arrer, bearbeitet und herausgegeben von P. Ludwig Lercher. Regensburg. Pustet 1911". Item „Geheimrat Dr. Alois Ritter v. Schmid. Sein Leben und seine Schriften von Dr. Andreas Schmid. Regensburg. Manz. 1911.

Ab operibus sistematice disciplinam nostram exponentibus, ut notum est, distinguuntur editiones fontium. Ad fontes historiae theologiae fundamentalis pertinent omnia opera apologetica antiqua et ex recentioribus, quae insigni doctrina et ingenio commendantur. Opus simile Migne'ian ~~ex~~ „Cursui Completo Patrologiae" in theologia fundamentali nondum prodiit etiam speratur brevi tempore appariturum. Sed habetur editio partis antiquissimae fontium theologiae apologeticae, nempe „Corpus Apologetarum Christianorum, saeculi secundi". Edidit Jo. Car. Th. eques de Otto. editio III. Jenae 1876. Novem volumina. De editionibus singulorum scriptorum apologeticorum

sermo erit cum loquemur de singulis.

Cum in hoc tractatu exponendo sequemur potissimum opera Martini et Werner, oportet propius ea cognoscamus.

Carolus Werner natus est 8-III-1821 in oppido Hafnerbach (Austria Inferior). Anno 1847 factus est professor seminarii dioecesani in St. Poelten, unde 1870 creatus est professor Novi Testamenti in universitate Vindobonensi. Ad nostram disciplinam ex suis scriptis, praeter supra mentionatam historiam apologeticae pertinent. Der hl. Thomas von Aquin. Regensburg. 3 vol., porro Franz Suarez und die Scholastik des letzten Jahrhunderts. Regensburg 1860., postea Geschichte der katholischen Theologie Deutschlands seit dem Trienter Concil. München. 1866., item Beda der Ehrwürdige und seine Zeit Wien 1875. Alcuin und seine Jahrhundert, ein Beitrag zur christlich-theologischen Literaturgeschichte. Paderborn 1876 item Die Scholastik des späteren Mittelalters. Wien 1881-1887, tandem Die italiänische Philosophie des neunzehnten Jahr-

hunderts. Wien 1884-1885 quinque volumina. Propter scriptorum suorum pondus scientificum Carolus Werner fuit receptus membrum Academiae scientiarum Vindobonensis. Mortuus est 4-IV-1888. In quibusdam scriptis Wernerii philosophicis minoribus, non tamen in historia apologeticae, sentitur influxus errorum Güntherii in auctorem.

Sua Historia theologiae apologeticae, uti dixi, dividitur in quinque volumina. In prima paragrapho operis auctor statim indicat maximas periodos historiae apologeticae. In primo periodo apologetae Christiani duplicem habuerunt adversarium iudaismum nempe et paganismum; cum utroque duplici modo pugnabant, scilicet defendendo dogmata christiana et manifestando errores adversariorum.

Iudaismo et paganismo victis apparuit necessitas explicandi ipsam doctrinam christianam. In hoc explicationis opere multi erraverunt, quapropter debuit Ecclesia veram definitionem veritatis revelatae proferre. In hac secunda periodo apologetae Christiani tuentur orthodoxam Ecclesiae

doctrinam contra erronea placita haereticorum.

Tandem recentissimis temporibus ortus est omnino novus spiritus temporis, qui non tam singulas propositiones revelatas reicit impugnatque, sed totam revelationem respuit. Quapropter apologetarum munus est fundamenta ipsa fidei defendere et consolidare.

De gravissimis et plurimis illis operibus, qui ex parte Christianorum occidentalium prodierunt contra iudaismum a s. VII ad XIII Werner breviter scribit in fine primi libri (t. I p. 76-80). Polemicam vero inter Christianos et Muhamedanos absolvit paginis 72-76 eiusdem operis.

Wernerio persuasum est apologetae christiani officium consistere in defendendis omnibus dogmatibus christianis et in profligandis omnibus adversariis Ecclesiae Catholicae. Sed defendendo dogmata revelata scriptores orthodoxi ea clariora reddebant, clarior autem enudeatio doctrinae antiquae idem est ac eius evolutio. Tali pacto historia theologiae apologeticae Wernerii paulo

distinguitur ab historia dogmatum. Exempli causa satis est videre librum sextum, in quo exponitur evolutio doctrinae de Ecclesia, de Sacramentis et de liturgia in mediis pugnis scientificis epochae patristicae.

De sacerdote J. Martin nullam habeo notitiam biographicam. Suum opus constat tribus parvis voluminibus et complectitur historiam apologeticae a s. Justino M. ad exitum saeculi XVII. Nullam in hoc opere inveni declarationem divisionis in periodos, sed singula volumina videntur esse designata singulis epochis. Primum volumen exponit historiam primorum quinque saeculorum. In secundo mentionantur scriptores a s. VIII ad XVI inclusive et tandem aliqui ex s. XVIII praesertim Melchior Canus et de Lugo. Tandem in tertio volumine laudantur ceteri apologetae saeculi decimi septimi.

In initio cuiusque voluminis exprimitur intima persuasio auctoris actum fidei esse liberum. Eadem veritas repetitur in fine cuiusque voluminis tamquam conclusio dictorum. Tamen haec libertas actus fidei

eodem modo toties repetitur, ut insinuatur fidem oriri ex interna hominis persuasione non vero ex externae demonstrationis vi. Ne hoc quidem est falsum. Sed theologi, qui, libertate fidei actus agnita, vim demonstrativam motivorum credibilitatis profitentur, ut s. Thomas, Belarminus et de Lugo sat negligenter et irreverenter a J. Martin tractantur. In his introductionibus et conclusionibus voluminum sentitur coepta et non finita propositio immanentistici placiti modernistarum. Quapropter opus sacerdotis Martin nemini commendo.

FINIS.

In proponenda historia apologeticae theologiae nos omittimus omnes disceptationes de rebus, quae constituunt obiectum theologiae dogmaticae. Nostra est cognoscere 1) modum quo religio christiana defendebatur et 2). evolutionem veritatum, quae hodiernam systema theologie fundamentalis constituunt et ipsius systematis origo. Inde patet quam necesse sit elementarem cursum theologiae fundamentalis iam sciri, ut hic tractatus de historia huius disciplinae intelligatur.

ORIGO APOLOGETICAE CHRISTIANAE.

Unaquaeque doctrina impugnari solet statim ac apparet; impugnatio autem exigit defensionem; quapropter defensio systematum doctrinalium saepissime tam est vetus, quam et ipsa systemata. Fere nullus veri doctor tantos passus est adversarios sicut Christus. Fere omnes iudaeorum proceres et legis doctores maxima vi impugnabant doctrinam Jesu. Ipse autem defendebat eam.

Sed historia disceptationum Christi cum phariseis et sadducaeis non pertinet ad historiam apologeticae Christiane, quia obiectum harum disceptationum saepissime fuit litthurgicum aut morale. Obiiciebatur enim Christo violatio Sabbati, neglectus traditionum seniorum (lotio manuum), contubernium cum peccatoribus et samaritanis, defectus amoris patriae et templi.

Ea autem, quae pertinent ad theologiae fundamentalis sistema, invenimus in positiva parte magisterii Jesu. Ipse enim professus est se esse Messiam legatum

divinum (Mat. 26,63.64) et Deum (Joan. 1,1.10; 14,6). Ipse quoque indicavit duo maxima argumenta quibus haec fundamentalis veritas Christiana firmissime probatur. Apud s. Joannem 5,39 Christus loquitur „Scrutamini Scripturas.... et illae sunt quae testimonium perhibent de me." Discipulis euntibus in Emmaus ipse Jesus ex testimonio prophetarum probat Messiam debuisse mori, ac proinde Christum esse legatum divinum non obstante sua morte. Luc. 24,25-27. Post parabolam de perfidis agricolis Jesus coram pharisaeis asserit in se adimpletum esse vaticinium ps. 117,22 et Is. 28,16 de lapide reprobato, qui fit caput anguli. Cfr. Mrc. 12,10-11. Mat. 21,42. His et aliis locis ipse Christus Dominus creavit argumentum illud ex prophetiis messianicis, quod constituit magnam partem tractatus de divina origine religionis Christianae.

Ipse etiam est auctor secundi argumenti, quod sumitur ex miraculis. „Ipsa opera, quae ego facio testimonium perhibent de me." Joan. 5,36. Et in alio loco: „Si mihi non vultis credere, operibus credite."

Joan. 10,38. Cfr. ib. 14,12. Argumento ex suis miraculis tantam vim persuasivam adindicat Jesus, ut renuntiet esse peccati reos, qui huic argumento non sunt usi ad cognoscendam divinitatem eius. „Si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem et viderunt et oderunt et me et Patrem meum." Joan. 15,24.

Inter omnia miracula sua Christus maximam persuasivam vim tribuit miraculo resurrectionis suae a mortuis. Quidam pharisaeis dixerunt se velle signum i.e. miraculum a Jesu videre. Desiderium eorum sane futile erat, nam Christus maxima et plurima miracula iam fecerat ad sublevandos dolores hominum; unicuique veritatis amanti satis erat ea cognoscere et credere. Deus non solet miracula facere sola ea ratione, ut manifestet se posse derogare legibus naturae. Hanc ob causam Christus dure respondit pharisaeis „Generatio mala et adultera quaerit signum videre: et non dabitur ei nisi signum Jonae prophetae." (Mat. 12,39). Nihilominus providentia divina ordinaverat unum miraculum faciendum

non ad sublevandam corporalem miseriam hominum, sed perficiendum in corpore ipsius Jesu. Hoc miraculum officiale Christus praedicit et promittit verbis: „Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus. Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam: quia poenitentiam egerunt in praedicatione Jonae, et ecce plus quam Jonas hic." (Mat. 12, 40, 41) Notum erat omnibus Jonam post tres dies vivum apparuisse in terra et clarum fuit in verbis Jesu inclusam esse promissionem eum post tres dies ex terra resurrecturum.

Notum est tractatum de divinitate religionis Christianae esse maioris momenti, quam caeteri tractatus et constituere ipsam essentiam theologiae fundamentalis. Hic tractatus unam thesim habet nempe consistit in demonstranda divina missione Christi Jesu. Ex dictis apparet unicam hanc thesim provenire de Christo. Duo argumenta, quibus

haec thesis fundatur Christum habere auctorem.

Licet tractatus de Ecclesia totus constituatur ex verbis Christi, tamen hunc non adnumeramus historiae theologiae fundamentalis, quia in eo potius expositio est doctrinae revelatae, quam eius veritatis demonstratio. Demonstrabat autem Christus nonnisi unam rem, nempe se esse legatum divinum.

Ad antiquissimas apologias Christianas potest referri Evangelium s. Joannis, quia eo fine scriptum est, ut probetur Christum fuisse Deum. Argumenta s. Joannis non sunt ab eo excogitata, sed potius verba et facta Christi ab evangelistis synopticis omissa aut minus clare exposita.

In caeteris libris Novi Testamenti et in operibus Patrum Apostolicorum vix quaedam apologetica invenimus. Hoc sane mirum videri potest, cum notum sit non defuisse eo tempore pugnam inter iudaeos et christianos. Res tamen explicatur more iudaeorum nocendi

quidem christianis in vita politica ac sociali, vitandi autem disceptationem doctrinalem. Mos nocendi christianis in vita cotidiana optime apparet ex Actibus Apostolorum. Mos autem vitandi disceptationem doctrinalem apparet ex verbis Tryphonis: „O homo, dixit Trypho ad s. Justinum, praestiterat nos magistris morem gerentis, qui legem tulerunt ne cum quopiam vestrum colloquamur, neque tecum horum sermonum communionem habuisse!" (S. Justini Dialogus cum Tryphone c. 38. Cfr. c. 112). Huic asertioni non obest factum, quod s. II scriptae sunt aliquae apologetiae contra Judaeos et quidem in forma dialogi. Otto Bardenhewer testatur has apologias esse scriptas non tam ad persuadendos iudaeos, quam potius ad declarandum christianis ex gentibus ad fidem conversis, quae sit relatio inter Christianismum et Iudaismum. 1)

1) Uebringens sind die antijüdischen Apologien der älteren Zeit weit weniger als die antihellenischen Schriften aus dem Leben und der Wirklichkeit geschöpft.

Itaque propriae dicta historia apologeticae incipit a s. II, quando opus fuit tutare veritatem Christianam contra scriptores gentiles et moderatores reipublicae romanae.

Apologetae Christiani saeculi secundi.

Pauca de scriptoribus christianorum adversariis.

Profunda cordis humani nondum sunt satis explorata, et obscura manent non obstante magno progressu psychologiae rationalis et experimentalis. Factum constat, causae obscurae manent.

Iudei, qui Christum negaverant, persequebantur christianos tamquam alienigenas (ἀλλόφυλοι), quod et graeci imitati sunt

Die Disputation ist im allgemeinen nur ein litterarischer Kunstgriff. Die Heidenkirche selbst fühlte das Bedürfnis, sich über die Besichungen zwischen Christentum und Judentum sich Rechenschaft zu geben, sich in der Ueberzeugung zu bestärken, dass der Alte Bund vorbildlich auf den Neuen und vorbereitend ihm entgegenführe. — Otto Bardenhewer, Geschichte der Altkirchlichen Litteratur. I Bd. Freiburg. i. Br. Herder. 1902 p. 165.

(ep. ad. Diognet. 5), romani crediderunt eos odio humani generis esse reos (Tacitus, Annales XV, 44).

Post praeiudicia contra christianos secutae sunt cruentae eorum persecutiones et impugnationes litterariae ex parte scriptorum. Cum haec fuerint maxime causae apologiarum christianarum, ideo propius, quantum monumenta permittunt, cognoscendae sunt. Dolendum tamen est de litterariis inimicis Christianorum admodum pauca conservata esse. Ex saeculo secundo sciuntur tres philosophi christianorum inimici, nempe, Fronto Cirtensis, Lucianus Samosatenus et Celsus.

Ex dialogo Minutii Felicis, qui inscribitur Octavius, compertum habemus (c. 9,6; 31,2) a Frontone Cirtensi publici iuris factum fuisse sermonem prolatum contra christianos. De Frontone scimus eum fuisse rhetorem et magistrum imperatoris Marci Aurelii ac Lucii Veri, mortum a. 175. Liber Frontonis omnino periit, sed ex scriptoribus christianis antiquis scimus ab eo fuisse prolatum accusationem absurdam, qua

christiani dicebantur in conventibus suis committere crimina conviviorum thyesteorum et oedipodorum concubituum.[1]

Anno 167. Lucianus Samosatenus scripsit satyram, quae vocatur περὶ τῆς τοῦ Περεγρίνου τελευτῆς (de fine seu morte Peregrini) et dirigitur principaliter contra philosophos Cynicos. Nihilominus principalis persona, quae irrisioni exponitur est sacerdos christianus nomine Peregrinus sceleribus onustus, qui deinde fit asceta aegyptiacus, postea philosophus cynicus, tandem suicidio perit in flammis. Manifesta est intentio auctoris societatem christianorum ridiculosam reddere, quod tamen Luciano non cedit ex voto. —

[1] Epulae thyestae eae vocantur, in quibus infantes comeduntur a parentibus. Nomen venit a mythologico Thyestes, qui nutrivit et educavit filium fratris sui Atrei et misit eum ad hunc occidendum. Puer tamen occisus est a patre, quem non novit. Postquam Atreus cognovit se occidisse suum filium vindicta motus invitavit Thyesten eique comedere fecit proprios Thyestis

Lucianus Samosatenus habuit amicum nomine Celsum. Hic, aut alius scriptor eodem nomine, circa annum 178 edidit sat magnum, grave et conditione refertum scriptum cui titulus Ἀληθὴς λόγος (Demonstratio veritatis). Liber Celsi periit, sed fere totus reconstrui potest ex citationibus apologetarum christianorum, qui eum impugnabant, praecipue ex opere Origenis „Contra Celsum."

Liber Celsi constat ex satis longa introductione et quattuor partibus. In prima parte sub forma dialogi inter iudeum et christianum Celsus vult demonstrare vaticinia messia-

---

infantes

Oedyppus item est persona mythologica, filius regis Thebani in Graecia. Oedippus ab alienis educatus non novit patrem et in rixa occidit eum, postea venit in urbem, quam a sphynxo liberavit, quapropter renuntiatus est rex et accepit viduam regis uxorem, quae fuit mater Oedyppi. Antiquam fabulam mythologicam poeta Sophocles redegit in tragediam.—

nica non esse adimpleta in Christo eiusque opere. In secunda parte ipsum hoc criterium messianitatis, cui Christianismus non facit satis, impugnatur rationibus. Si hoc Celso ex votis cessisset corruerit non solum christiana doctrina, sed etiam eius fundamentum, nempe Vetus Testamentum. In tertia parte Celsus impugnat singula dogmata christiana, plurimum vitiose exponendo ea. Tandem in quarta parte est positiva demonstratio veritatis religionis ethnicae, quam profitebatur auctoritates publicae in imperio Romano.—

Ex opere Celsi patet christianos iam seculo secundo usos esse celeri propagatione christianismi tamquam argumento ad probandam divinam originem religionis suae. Celsus factum agnoscit et explicare conatur magno influxu, quem exercere debuerint in mentes parum cultae plebis terribiles et mendaces narrationes de severo iudicio Dei et de aeterna damnatione.

Fuerunt sane et alii nobis ignoti christianorum adversarii qui religionem Jesu impugnabant scriptis. In vulgo autem et apud magistratos praeter duas accusationes supra numeratos, spargebatur obiectio christianos esse atheismi, seu etiam sacrilegii reos, quia negabant cultum etnicorum dei et imperatori. In monte Palatino conservata est delineatio asini crucifixi, quem adorat quidam Alexamenos. Haec pictura clare demonstrat cultum crucifixi Salvatoris fuisse a gentilibus magnae irrisionis obiectum. Imo plebs ignara credebat calumniae, quae affirmabat caput asini mortui aut asinum coli a christianis. —

De christianorum apologiis, quae perierunt. —

Non solum scripta adversariorum christianorum perierunt, sed etiam apologiae antiquissimae christianae ad nos non pervenerunt. Eusebius Caesarensis in suo Chronicon (4, 3)

sub anno 2140 ab Abraham, scilicet anno 124 nostrae computationis ponit Quadratum apologetam. Notitia haec habet varias lectiones in variis versionibus Historiae Ecclesiasticae. In versione armena dicitur: „Codratus apostolorum auditor et Aristides nostri dogmatis philosophus atheniensis Adriano supplicationes dedere apologeticas. Textus originalis indicat causam apologiarum „quia quidam mali homines nostros calumniare tentaverunt."

Licet Aristides non Hadriano (117-138), sed Antonio Pio (138-161) suam apologiam porrexisset, ex quo potest Eusebium errasse, tamen non est admittendus error in eis quae spectant ad Quadratum, nam saepe evenit scriptoribus errare in in uno et non errare in altero. Eusebius testatur apologiam Quadrati in manibus habuisse, quod non affirmat de Apologia Aristidis. (Hist. Eccl. 4, 3)

S. Hieronimus apologetam Quadratum censet esse eandem personam

cum episcopo atheniensi Quadrato, quapropter dicit Apologiam porrectam fuisse imperatori Hadriano Athenis. Hadrianus autem fuit in hac urbe bis, ab autumno anni 125 ad aestatem 126 et ab aestate 129 ad ver 130. Latina hieronimiana versio Eusebii et tradit apologiam porrectam fuisse anno 126. Sed identificatio apologetae et episcopi, iuxta Bardenhewer, est sine fundamento, nam episcopus Quadratus Athenis fuit multo post, tempore silicet Marci Aurelii imperatoris ab an. 161. ad 180, ac proinde non potuit esse immediatus discipulus apostolorum. Itaque apologeta Quadratus identificandus est potius cum propheta Quadrato, de quo constat eum fuisse discipulum apostolorum et vixisse Hadriano imperante in Asia Minore.

Apud Eusebium conservata est nonnisi parva citatio ex Apologia Quadrati. Ex hac citatione patet eum fuisse iam valde provectae aetatis et usum esse contubernio eorum, quos Christus a mortuis resuscitaverat, et eorum, quos a morbis liberaverat. Haec noti-

tia confirmatur testimonio Papiae episcopi Hieropolitani, qui scribit quosdam a Christo resuscitatos vixisse usque ad tempus Hadriani imperatoris.

Hoc parvum fragmentum satis magni momenti est in theologia fundamentali nempe in demonstranda historica veritate existentiae Christi et miraculorum quae patravit.

Ne fragmentum quidem conservatum est nobis ex apologia Aristonis Pellaeatis, quae inscribebatur Ἰάσονος καὶ Παπίσκου ἀντιλογία περὶ Χριστοῦ (Disputatio Iasonis et Papisci de Christo). Antiquissima notitia de hoc scripto habetur apud Celsum, inscriptio vero integra et authentica tradita est ab Origine. Sed neuter horum scriptorum mentionavit nomen auctoris, quod invenitur primo vice indicatum a Maximo Confessore. Praeter nomen Aristonis Pellaeatis (Ἀρίστων Πελλαῖος) nihil amplius de eo scitur. De argumento libri fuit dialogus inter christianum et Iudaeum de

Christo. Dialogi finis fuit demonstrare vaticinia messianica fuisse in Christo adimpleta. In conclusione libri Iudeus Papiscus agnoscit Iesum fuisse verum Filium Dei. Celsus irridet opus Aristonis, obiciendo ei nimium allegoriarum in exponendo Vetere Testamento. Origenes autem dicit hoc necessarium fuisse, ut a vulgo intelligeretur. — Opus Aristonis a quodam Celso s. V. exeunte fuit in latinum translatum et Vigilio episcopo dedicatum, sed et versio haec periit mansitque sola epistola nuncupatoria, seu praefatio interpretis ad Vigilium. Ex hac praefatione duo scimus, nempe 1/ in fine dialogi positam esse conversionem Papisci et 2/ Papiscum fuisse iudaeum ab quod confirmatur etiam ex eo, quod teste Maximo, dialogum novit Clemens Alexadrinus in suo perdito opere Hypotyposarum. — Apologia Aristonis sane prodiit ante annum 178, nam hoc anno iam fuit scriptus liber Celsi „Veritatis Demonstratio," in quo mentionatur

et irridetur Disceptatio Iasonis et Papisci, non ante an. 135, quia in Disceptatione mentiatur infaustus pro Iudaeis exitus belli, suscitati a Barcochba, quod bellum fuit ab anno 132 ad 135. Hanc ob causam Ariston non potest esse eadem persona cum Aristione discipulo Domini.

Marco Aurelio imperante (161-180) in Asia Minore vixit Claudius Apollinaris episcopus Hierapolitanus Frigiae Minoris. Eusebius scribit haberi multa scripta Apollinaris in manibus multorum et enumerat sequentia quae sibi cognita fuerunt, nempe 1/ Scriptum ad imperatorem Marcum Aurelium, tamen titulum huius scripti Eusebius non tradit. Ex adnotationibus Photii conicere licet titulum huius scripti fuisse περὶ εὐσεβείας (de Religione), aut saltem sic a Photio fuisse denominatam illam apologiam Apollinaris Marco Aurelio datam. Porro Eusebius nominat quinque libros Apol-

linaris Contra Graecos (πρὸς Ἕλληνας) et duos libros De Veritate περὶ ἀληθείας. Hae apologiae et alia Apollinaris opera perierunt omnino.

Seculo II exeunte vixit <u>Miltiades</u>. Quidam scriptor anonymus, montanistarum adversarius, an. circiter 192 vel 193 de Miltiade loquitur tamquam de fratre vivo Tertullianus, montanista factus, vocat eum ecclesiarum sophistam," hoc iniurioso nomine manifestans, quantum sibi displicuerit Miltiadis pugna contra Montanistas.—

Preter scripta contra montanistos et gnosticos Miltiades scripsit Contra Graecos (Πρὸς Ἕλληνας) libros duos, item duos libros exaravit contra iudaeos (πρὸς Ἰουδαίους) et ~~proeab~~ scriptum ad saeculares potestates, quod probabiliter vocabatur: ὑπὲρ τῆς κατὰ Χριστιανοὺς φιλοσοφίας (De philosophia iuxta christianes). Haec apologia probabiliter porrecta fuit Marco Aurelio (161–180) et suo consorti Lucio Vero (161–169) Omnia Miltiadis scripta perierunt,

De antiquissimis apologiis christianis, quae conservatae sunt.

1. Apologia Aristidis.—

Supra citavi Eusebium, qui tradit Hadriano imperatori porectas fuisse duas apologias christianorum, nempe Quadrati et Aristidis. Apologiam Quadrati Eusebius viderat, apologiam vero Aristidis non, quapropter non novit huius titulum integrum, sed abbreviatum. Sed in abbreviando titulo valde faciliter potuit errores introducei, nam Hadriani successor antecessori nomen in suo nomine habuit inclusum. Integra apellatio Antoni Pii fuit: „Titus Aelius Hadrianus Antoninus Pius."

Haec apologia Aristidis censebatur esse perdita. Sed anno 1878 Melchitaristae in San Lazzaro invenerunt aliquod fragmentum in lingua armena, quod inscribebatur: „Caesari Hadriano" et argumentum habuit apologeticum. In eodem loco inveniebatur homilia quae inscribebatur: „Ad vocationem latronis et responsum crucifixi." Utrum—

que a Mekhitaristis editum attribuebatur ab eis Philosopho Aristidi. —

Sed statim compertum est homiliam non esse Aristidis, de fragmento autem apologetico suppositio falsae attributionis demonstrari non potuit. Anno 1889 Rendel Harris in monasterio s. Catharinae apud montem Sinai invenit syriacam versionem apologiae Aristidis, quo publici iuris facto Armitage Robinson probavit hanc apologiam esse inclusam in graeco opere de Barlaamo et Joasapho. Quod opus est quaedam fabula in qua narratur principem voluisse, ut suus filius, qui magnam inclinationem ad christianismum prodebat, in religione ethnica confirmaretur. Hunc ad finem inventus fuit eremita Nachor, valde similis monacho christiano, et in concione publica debuit orationem proferre contra christianos, sed miraculosa operatione divina protulit apologiam christianam. Haec oratio apologetica Nachoris iam diu cognita in graec-

e

co opere tamquam 26 et 27 capita „Barlaami et Joasaphi" nihil aliud est nisi Apologia Aristidis, cognita ex fragmento armaico et versione syriaca. —

Fabula de Barlaamio et Joasapho excogitata fuit a buddistis ad christianismum vero adoptata est probabiliter saec V. Textus vero Apologiae Aristidis, ut ex comparatione cum syriaca et armeno apparet, introductus est originalis, quamquam adsunt quaedam omissiones et transpositiones partium. Licet reconstructio authentici textus originalis ope trium fontium non sit facile opus, tamen recensio quae facta est et recepta, mentem et spiritum auctoris omnino sufficienter exprimit, imo et linguam ac stylum eius conservat.

Hi sunt characteres Apologiae Aristidis: clara dispositio partium, lingua valde elegans et spiritus, qui fortiter elevatur et elevat lectorem ad Deum.

Apologia constat 17 capitibus, quae sic disponuntur. Initio exponitur vera idea unius Dei Creatoris Omnipotentis et optimi, qui ex natura creata cognosci potest (c. 1). Sub respectu religioso homines dividuntur in quattuor classes: barbari et graeci, iudaei et christiani (c. 2). Duae priores classes habent religiones, quae omnino non corespondent verae ideae Dei, nam barbari colunt corruptibilia elementa loco creaturarum (c. 3-7), graeci vero excogitarunt sibi deas, sub noxios omnibus vitiis humanis (cc. 8-13) Multo altiorem et veram ideam Creatoris habent iudaei, sed et ei subiiciuntur servituti sabbatorum, lunarum, circumcissionis legalium etc. (c. 14) Soli christiani possident plenam veritatem ac vitam vivunt cuius integritas debet esse admirationi omnibus hominibus (cc. 15, 16) Quapropter adversarii christianorum silere debent (c. 17)

Brevitas huius apologiae non obest eius valoris magnitudinis. Ideam Omnipotentis et Optimi Dei Aristides

ponit fundamentum suae apologiae. Hac idea ipse utitur tamquam criterio ad discernendam unicam veram religionem a multis falsis.
Fere duodeviginti saeculis ante nos Aristides putavit praeeminentiam christianismi fundandam esse in comparatione coeterarum religionum. Recentissimis his temporibus, praesertim post Sacerdotem de Broglie haec ratio excolendi apologeticam denuo invaluit et s. XX multa gravissima opera multosque optimos fructus attulit.
Ratio apologetica ab Aristide delineata nostris temporibus exequitur et perficitur profundis studiis, quae singulas religiones investigant et comparant.
Ex Aristide discere debemus studium comparationum religionum faciendum esse non obiter nisi cum criterio verae ideae Dei.
Ex textu syriaco huius apologiae habetur inscriptio eam datam esse imperatori Hadriano et additur „venerandis et misericordibus", quae ultima verba in plurali forma omnino intelligi non possunt, sed faciliter intelliguntur, si textus iterum vertitur in graecorum sermonem. Tunc inscriptio recipit sequentem formam: Αὐτοκράτορι Καίσαρι Τίτῳ (hic probabiliter omissum ab interprete Αἰλίῳ)

Ἀδριανῷ Ἀντωνίνῳ Σεβάστῳ Εὐσεβεῖ Μαρκιανὸς Ἀριστείδης φιλόσοφος Ἀθηναῖος.

Ex hac inscriptione patet Apologiam traditam fuisse non Hadriano Imperatori, sed suo successori Antonino Pio. Cum autem Antoninus rexisset ab anno 138 ad 161, intra spatium harum 23 annorum ponenda est origo huius apologiae. Cum apologia soli Antonino Pio dedicetur et sileat de Marco Aurelio, qui ab anno 147 factus est consors imperii, inde concludere licet eam scriptam fuisse ante an. 147. Haec res confirmatur etiam eo, quod Aristides nescit apologiam Iustini, quae circa an. 150 prodiit. Item et conditio politica christianorum ab Aristide cum eorum vita ita describitur, ut appareat inter apologias eius et Iustini fuisse aliquot annorum spatium. —

Ex Aristide conicere licet adhuc in valore fuisse decretum Hadriani, quo christianis concedebatur parvum patrocinium contra detractores, tandem fames, quae fuit ultimis Hadriani annis describitur, tamquam recens

calamitas. Haec videntur satis indicare apologiam Aristidis scriptam esse primis Antonini Pii annis, scilicet intra 138 et 140.

Ex inscriptione etiam patet auctorem habuisse praenomen Marciani et philosophum fuisse. Ex hac solemni et officiali denominatione „philosophi" patet Aristidem fuisse ex numero eorum virorum, qui ad christianismum conversi, non cessarunt portare eas vestes, quibus philosophi distinguebantur a populo.

<u>Editiones</u> Apologiae Aristidis multae fuerunt totales et partiales. Commendantur haec duae a protestantibus factae: 1) The Apology of Aristides on behalf of the christians from a Syriac Ms. preserved on Mounth Sinai edited with an introduction and Traslation by J. Rendel Harris. With an Appendix containing the main portion of the original Greek Text by J. Armitage Robinson. Cambridge 1891. 8° — 2) R. Seeberg. Der Apologet Aristides.

Der Text seiner uns erhaltenenen Schriften nebst einleitenden Untersuchungen über denselben. Erlangen und Leipzig 1894. 8°

2. Epistola ad Diognetum.

Sermonis elegantia, clara partium dispositione, spiritus sublimitate et pietate, ac argumenti quadam communitate valde similis Apologiae Aristidis est epistula ad Diognetum, quae antiquitus usque ad saec. XVI fere a nemine citabatur, conservata fuit in unico exemplari (cod. Argentoratensis 9 ex saec. XIII aut XIV) quod flammis periit in incendio Bibliothecae Strassburgensis 1870 tempore, quo haec urbs obsidebatur. Haec epistola an. 1592 edita fuit a Henrico Stephano et attributa s. Justino Martyri, tamquam auctori, doctissimus Tillemont anno 1701 probavit epistolam non esse opus Justini.

De aetate huius epistolae varii auctores varia sentiunt: alii enim oriri faciunt ante 70 annum (Tillemont), eo quod auctor se dicit discipulum Domini et de sacrificiis iudaeorum loquitur in forma

praesenti. Alii vero (Overbeck) putant epistolam ex s. IV esse. Donaldson a. 1866 credidit epistolam esse exercitationem cuiusdem humanistae XV aut XVI s. Sed componi hoc non potest cum facto existentiae manuscripti ex s. XIII aut XIV.

Communiter consentiunt eruditi epistolam ad Diognetum scriptam fuisse s. II v. III, tempore persecutionum, quando christianismus adhuc recens fuit religio, quod apparet ex multis locis, ubi sermo de vita christianorum, quando christiani et odio et suppliciis persequebantur ab inimicis. Item non consentiunt eruditi de auctore epistolae. Doulcet, Kihn et Krüger censebant eam scriptam fuisse ab Aristide philosopho Atheniensi, sed argumenta stringentia non protulerunt, ac Krüger ipse suam hypothesim dereliquit. Indolis enim similitudo explicari potest similitudine culturae mentis auctorum, similitudo vero descriptionum ab identitate obiecti potiunt causari. Constat quidem magistrum Marci Aurelii

imperatoris fuisse nomine Diognetum, tamen Battifol censet acceptorem epistolae esse personam fictitiam, nam opus de quo agitur non est epistola, sed brevis apologia. Tamen initium epistolae videtur insinuare eam dirigi ad personam auctori cognitam et in sublimi loco positam ac etiam veri cognoscendi cupidam.

In editione recepta epistola constat 12 capitibus, sed duo ultima sunt spuria, quod quidem agnovit primus editor eius, nam in exemplari manuscripto post caput 10 legebatur in margine και ὧδε ἐγκοπὴν εἶχε τὸ ἀντίγραφον.

Praeterea argumentum epistolae exhauritur decem prioribus capitibus, duo ultima sunt addititia. Obvio cogitationis cursu(s) nullus nexus fieri potest inter decem priora et duo ultima capita. Etiam styli elegantia et spiritus sublimitas priorum capitum deest in duobus ultimis. In hoc spurio appendice auctor vocatur discipulus Domini, quapropter haec appellatio nullum habet valorem

ad indicandam epistolae originem.

Argumentum epistola. Laudanda est voluntas cognoscendi veritatem christianam, (1) tamen ad hunc finem necessaria est integritas cordis. Irrationabiliter coluntur a gentilibus dei ex materia mortua confecti. (2) Iudei recte agunt respuendo hunc cultum et adorando unum Creatorem universi, sed et ipsi errant credendo Eum indigere sacrificiis cruentibus. (3) Praeterea ipsi superstitiose observant praescripta legalia, quae a christiana libertate recte negliguntur. (4) Christiani vitam communem cum omnibus vivunt et nonnisi hoc distinguuntur a caeteris, quod arcta assumunt sine iucundiis. (5) Quod in corpore animus est, hoc in societate humana sunt christiani; virtutibus eminent, dum torquentur perfectiores fiunt. (6) Haec magna assumunt christiani ideo, quod a Deo edocti sunt. Non philosophum, non angelum, sed filium suum dedit eis Deus magistrum. (7) Philosophi incapaces fuerunt vera de Deo docendi. Filius autem Dei

ipsum manifestavit per fidem, docuit homines et passus est pro eis. (8) Per Filium suum revelavit Deus originem universi, per ipsum contulit remedium inordinatis animi motibus, et mundum salvavit (9). Si cognoscis hanc sublimem christianorum doctrinam felix eris et summi boni particeps. Deus prius te dilexit, diligendo eum proficies. Amorem Dei imitari possumus diligendo proximum. Amor permittit Deum cognosci a terigenis.

Utilitas huius epistolae ad theol. fundam. in eo potissimum consistit, 1° quod describitur vita christianorum sublimibus virtutibus plena et indicatur fons harum virtutum esse Deus. 2° Auctor epistolae non solum respondet obiectioni eorum, qui dicebant christianos separari a vita communi, sed etiam docet maximam christianismi utilitatem ad profectum generis humani. 3° Ipse suppeditat argumentum utilitatis revelationis, indicando philosophos non fuisse aptos vera de Deo docendi sufficienter.

4° Licet magna expressio amoris divini non pertineat ad theologiam fundamentalem, tamen inter optima merita auctoris numeratur, oportet.

Editiones. Antiquissima est Henrici Stephani Parisiis 1592. Ex recentioribus commendantur: de Otto, Corpus apologetarum christianorum vol. III ed III Jenae 1879 p. 158-211 (protest.); Migne, Patrol. Graec II p. 1167-1186 (apud Migne reproducitur editio Galandis) Gebhard et Harnack, Patrum apostolicorum opera pars II, fasc. I Editio 2a Lipsiae 1878 p. 142-164 (protestantica), Funk Opera Patrum apostolicorum vol I Tubingae 1887, p. 310-333. - Editiones separatae: Hofmann. Neisse 1851 Gymnasialprogramm; W. A. Hollenberg Berlin 1858; W. B. Linder Leipzig 1857 M. Krenkel Lpzg. 1860.



S. Justinus Martyr.

Vita et scriptorum indoles.

Omnium apologetarum s. II maximus est s. Justinus philosophus et Martyr, quod affirmamus, sequendo commune iudicium omnium eruditorum. Postquam in bello 66-73 devastata fuisset antiqua urbs Sichem in Samaria, imperator Vespasianus eam reaedificari mandavit et nomen imposuit novum, nempe Flavia Neapolis, quod postea appellatum est Nablus. Flavia Neapolis incolebatur ab advenis graecis et romanis. Ex una horum advenorum familia natus est Justinus, qui patrem habuit Priscum, Bacchii filium. Tempus nativitatis Justini ignoratur, sed probabiliter in primum decennium secundi saeculi ponitur. In dyalogo cum Triphone ipse Justinus narrat se ad Christianismum convertisse

postquam tentaverat in variis philosophorum scholis veritatem invenire. Christianam religionem commendavit Justino Ephesi ad litus maris ambulanti quidam ignotus venerabilis senex.
Ex variis Justini dictis demonstrari potest demonstrationes intellectuales non fuisse solam causam conversionis eius, nam ad eam perficiendam maxime contulit animus christianus heroicus. Ipsi enim fortiter et libenter mortem subibant pro veritate (Apol. 2, 12)
Conversus ad christianam religionem Justinus non cessavit esse philosophus; imo philosophico suo habitu utebatur ad melius propagandam veritatem christianam. Saepissime commorabatur Ephesi sed et alias urbes visitabat.
Romae bis fuit ibique scholam philosophicam aperuit (Act. s. Just. c. 3,) Romae nactus est adversarium

philosophum Crescentem (Apol. 2, 3) et anno circiter 165 martyrium subiit sub praefecto urbis Iunio Rustico (163-167) Acta martyrii s. Justini fidem historicam merentur (Bardenhever, Altkirchliche Literatur I, 193; II, 618; Cfr. Harnack, Geschichte der altchristlichen Literatur II, 1, 282, A. 2) De indole Iustini tamquam scriptoris rectum iudicium profert eques de Otto: „Dictionem scriptoris nostri non "in coelum tolli neque ad inferos relego. Traduxit Iustinus adolescentiam in litterarum studiis, ut mos erat: inprimis Platoni operam dedit, cuius in scriptis volutatus erat, ut ex apologiis patet et Dialogo. Sed rethoricae artis non admodum studiosum fuit, si libros eius consideres. Plerumque a sermone vitae communis parum recedit: sententiarum ordo saepe communis parum recedit: sententiarum ordo saepe impeditus est, singularum enuntiationum structura interdum languida et intricata

phrases vocesque non diligenter lectae. Negat ipse facultatem sibi dicendi esse; neque orationis ornamentum putat opus esse ad christianam causam defendendam." (Corpus apologetarum + I prologomena p. LXIV) – „Nihilo secius Iustinus, qui veritatem non sine nervis defendit, passim in apologiis oratione altius adsurgente utitur, ubi de rei christianae praestantia eiusque ad hominum animos efficacitate agit... Quin etiam in Dialogo, qui magis, quam Apologiae ornamenti dicendi caret, Iustinus interdum, Veteris Testamenti scriptorum vestigia secutus, pro re nata merus est orator auditores et adliciens et movens... Comparationibus... et similitudinibus quandoque utitur ad rem optissimis. Quid? Ornamenta nonnumquam quaerit: sed plane respuit lenocinia. Vehementius in ipsos imperantes invehitur... Quin iis

aeternas poenas minatur nisi christianis faveant... Atque Iudaeis acclamat: Non ita miser sum, ut alia loquar, quam sentio. (Dialogus c. 80) Ista quia nihil omnino curo praeterquam ut verum dicam dixerim neminem reveriturus, etiamsi oporteat statim a vobis membratim discerpi." (de Otto op. et l. cit pp. LXV-LVII)

Iam vero depingam, prosequitur de Otto, quae in Iustini scriptis minus bene se habent. Ac primum quidem desideratur saepenumero lucidus sententiarum ordo. Admodum longas enim Iustinus orationi inculcat digressiones. Ubi id, quod propositum est edisserit, alia adiungit, quae haud necessario ad illud attinent. Repetit easdem res. Ipse repetitionum in dialogo excusationem offert: « iterum commemoro propter eos, qui heri nobiscum non erant » « breviter tamen et concinne »

Tum deest haud raro singulorum enuntiatorum structura satis expedita. Verba enim Iustinus nimis cumulat. Adde longissimam parenthesim, aliis parenthesim, aliis implicatam parenthesibus. Orationem imperfectam relinquit Dial. c. 56 Inepte collocat commatia. Etiam singula verba (nisi forte id librariorum negligentia factum est) alieno loco ponit. Porro consectatus est Iustinus formulas dicendi vel significationes vocabulorum minus usitatas.

Passim brachylogia utitur. Lectori aliquod verbum supplendum relinquit. Nec semper sibi constat in uno eodemque verbo... Accedit, quod Iustinus, ut interdum optimi scriptores, grammaticam verborum structuras non semper servavit. Variat constructionem. Illis adicio alia, quae in sermone Iustini conspicua sunt.

Lubenter cumulat verba eiusdem fere significationis. Valde delectatur locutionibus ὅτι ... ἔχουσιν, ἀκριβῶς ἐπίστασθε etc. Usurpavit interdum poetica verba: quanquam apud antiquiores quoque prosae orationis scriptores huius consuetudinis exstant vestigia. Saepius vocabula adhibuit raro usurpata, aut tempore fatiscentis graecitatis nata. Denique complura vocabula Justinus exhibet ipsi propria, quippe quae aliunde mihi non sunt nota." (Ib p. LXVII-LXXVI)

Pulchritudo linguae causa fuit cur non meis verbis, sed equitis de Otto indolem scriptorum Justini exposuerim, omittens exempla, quibus doctissimus editor sua asserta probabat. Eandem ob causam et argumenta scriptorum Justini verbis de Otto exponam.



2. SCRIPTORUM APOLOGETICORUM JUSTINI ARGUMENTA.

Apologiam Primam pro christianis Justinus Antonino Pio eiusque filiis adoptivis Annio Verissimo (h. e. Marco Aurelio) et Lucio Vero obtulit. Dividi potest in partes tres: in prima eius parte christianis indicta causa non debere condemnari demonstrat eorumque innocentiam exponit, in altera probat religionem christianam certissimis argumentis niti, in tertia quid in conventibus christianorum peragatur edisserit.

Pars I. Justinus posteaquam Apologiae inscriptionem dedit (c. 1) summa cum libertate ab imperantibus ut libertatem servent (c. 2) et Christianos aliorum reorum more iubet iudicari (c. 3): iniquum enim esse eos ob solum nomen indicta causa damnari (c. 4). Haec iniquitas orta est a daemonibus (c. 5). Ad hos daemones quod attinet, christiani dici possunt athei. Minime vero vituperari possunt, quippe cum Deum

Patrem, eius Filium, angelos bonos, Spiritum Sanctum colant (c. 6). Si qui forte ex christianis convicti fuerint sceleris, id non debet nocere aliis (c. 7), quorum eo illustrior est innocentia, quod, quamvis possint negare, lubenter tamen confitentur, ut mendacium vitent et ad Deum suum citius perveniant (c. 8). Neque etiam debeant christiani vituperari quod simulacra non colant, quum hoc cultu sit nichil absurdius (c. 9), neque quod putent Deum donis non indigere, quum ab eo omnia sunt creata (c. 10). Neque humanum regnum exspectant christiani: nichil eiusmodi ob iis metuendum (c. 11); quin immo eorum principia ad tranquillitatem reipublicae maxime conducunt (c. 12). – Rursus ad innocentiam christianorum defendendam Iustinus eos dicit atheos non esse: idque probat et ex puro cultu, quem Patri et Filio et Spiritui exhibent (c. 13) et ex mirabili morum mutatione, postquam a daemonibus recesserunt (c. 14). Atque res ut certo constet, in medium profert eximia Christi praecepta religiose a Christianis observata: de castitate, de caritate in omnes, de liberalitate in pauperes (c. 15), de patientia, de vitando iureiurando (c. 16), de obedientia regibus praestanda; de solvendis vectigalibus (c. 17).

Tam bene affectos cives si spernent imperatores, minatur iis futurum post mortem iudicium, quod ipsi gentiles agnoscunt, christiani autem multo magis, qui etiam corporum resurrectionem sperant (c. 18) eam non difficiliorem Deo esse putantes quam ipsam creationem (c. 19); cui dogmati nonnulla affinia dixerunt gentiles: quare aequum non est, ut soli christiani vexentur (c. 20). Similiter quae de Filio Dei eiusque in coelum adscensione (c. 21), generatione, incarnatione, morte docent, absurda videri non debent, quum tam multa poetae de filiis Iovis nugati fuerint (c. 22).

Pars II. Iustinus pollicetur se tria probaturum. 1° veritatem a solis christianis doceri, 2° Filium Dei vere esse incarnatum, 3° mythos opera daemonum esse prolatos, ut Christi adventus videretur mythus esse (c. 23). – Et veritatem quidem a solis christianis doceri probat, eosque propterea vexari, – primum quia in iis solis non licet quod aliis omnibus libere conceditur (c. 24), deinde quia solus veritatis amor adducit, ut ipsa morte proposita Deum verum colant (c. 25), denique quia eos qui religionis christianae veritatem erroribus corrumpunt persecutio non attingit (c. 26). Christianos ita a criminibus abhorrere declarat, ut ne infantes quidem exponere fas esse putent (c. 27).

Sibi autem ipsis nocent qui christianos calumniantur: cum diabolo in ignem mittentur (c. 28). Illi vel omnino non ineunt matrimonium nisi ad liberos educandos, vel, si a matrimonio abstineant, perpetuam servant castitatem (c. 29). - Tum Filium Dei vere incarnatum esse probat compluribus prophetarum vaticiniis (c. 30-35), in quibus recensendis quasdam tradit regulas Scripturae intelligendae (c. 36), exempla struens ubi Deus Pater loquatur (c. 37), ubi Filius (c. 38), ubi Spiritus Sanctus (c. 39); adiicit vaticinia de apostolis (c. 40) et de regno Christi (c. 41), obiter observans in scriptis propheticis saepenumero futura ut iam facta narrari (c. 42). Fatum ex illis praedictionibus minime sequi docet (c. 43), immo liberum in homine arbitrium esse (c. 44). Loquitur deinde de Christi adscensione a prophetis praenuntiata (c. 45), eosque neutiquam innocuos esse monet qui ante Christi incarnationem vixerunt, si a veritate aberraverint, quum eius semina in omnibus fuerint (c. 46). Pergit inde ad vaticinia de Hierosolymorum expugnatione (c. 47), de Christi potentia (c. 48), de conversione gentilium et reprobatione Iudaeorum (c. 49), de Christi morte et resurrectione (c. 50) et generatione inenarrabili (c. 51). Ex his autem vaticiniis iam adimpletis concludit ea quoque confirmari quae nondum evenerint (c. 52); sub

omnium enim oculis versari, quod adimpleta sint quae olim praedicta sint de conversione gentilium et reprobatione Iudaeorum (c. 53). - Postremo probat mythos de filiis Iovis opera daemonum esse prolatos, ut Filii Dei adventus videretur esse mythus (c. 54). Nihil tamen daemones de cruce suspicati sunt, cuius potentia et utilitas ex rebus sub adspectum cadentibus et magni apud gentiles momenti commendantur (c. 55). Eodem consilio daemones induxere Simonem, Menandrum, Marcionem (cc. 56 et 58); sed nihil aliud perficere potuerunt, nisi ut Christiani ob impiis odio haberentur (c. 57). Ipse enim Plato quae de mundi creatione (c. 59), de Filii decussatione et de tertiis circa tertium dixit (c. 60) ea ex libris Mosis derivavit.

Pars III. Iustinus exponit, quomodo christiani sese Deo consecrent in Baptismo (c. 61). De quo quum daemones ex Iesaia aliquid comperissent, induxerunt adspersiones et lavacra gentilium. Pariter ex iis quae Christus Mosi dixerat instituerint, ut calceos solverent, qui templa ingressuri sunt (c. 62). Non enim Deus Pater Mosi apparuit, sed Filius; Iudaei autem qui Patrem apparuisse volunt, nec Patrem nec Filium novunt (c. 63). Eidem daemonum artificio attribuendae sunt fabulae de Proserpina et Minerva (c. 64). Porro Iustinus exponit,

quomodo celebretur prima post baptismum Eucharistia (c. 65), et quid valeat (c. 66), et quae tota sit series eorum quae in synaxibus christianis agantur (c. 67).

In conclusione imperatores admonet ut, si ea quae hactenus dixerit spernenda arbitrentur, saltem capitali supplicio digna non videantur (c. 68). Subiungit epistolam Hadriani in gratiam Christianorum datam.

Apologia Secunda Antonino Pio et Marco Aurelio tradita est. Eam apologiae maioris appendicem esse una cum illa ablatam esse praeeunte Grabio coniecerunt: nostra (equitis de Otto) aetate Volkmar et Keim.[1]

Huius apologiae conscribendae occasionem dedit atrox facinus Romae „paucis ante diebus" in christianos patratum: ad quos occidendos improbi homines daemonesque pravi operam coniungebant (c. 1). Etenim mulier quaedam olim intemperantiae dedita, quum a Ptolomaeo ad Christi fidem adducta castitatem coleret, mariti quoque vitiori animam studebat virtutis amore imbuere. Quod quum minus bello caderet, dato repudii libello ab eo discessit. Hinc iste eam christianismi postulavit. Mulier autem impetravit ab imperatore ut demum domesticis rebus compositis respondere sibi liceret. Interim maritus irae explendae cupiditate ductus effecit ut Ptolomaeus

1) Bardenhewer firmiter asserit hanc secundam apologiam esse scriptam post primam et arctissimo nexu cum ea iungi et esse appendicem. Tamen ipse non dicit eam simul cum illa traditam fuisse imperatoribus.

ille comprehensus, posteaquam se Christo nomen dedisse coram praefecto urbis libere professus est, ad mortem duceretur. Quo facinore audito Lucius quidam, unus ex numero christianorum, iniustam praefecti sententiam fortiter arguit: is autem pariter hunc abripi iussit. In tertium quendam supervenientem christianum eodem supplicio animadvertit (c. 2). Testatur Iustinus se quoque exspectare fore ut a Crescente Cynico, viro improbo et indocto, in iudicium vocetur (c. 3). Gentiles autem, quum christianos viderent contemnere mortem, obiiciebant: „Cur vobis non vestris manibus mortem infertis, quo citius ad Deum vestrum veniatis, sed nobis negotium exhibetis supplicii de vobis sumendi?" Rationem Iustinus reddit cur ad voluntariam mortem non procurrant et cur nihilominus, interrogati num christiani essent, impavide profiteantur (c. 4) Porro illi obiiciebant: „Cur Deus, si est adiutor christianorum, vos occidi patitur?" Iustinus id quoque diluit: Hominum enim curam Deus angelis commisit, sed hi in vitia lapsi quaevis scelera in genus humanum sparserunt (c. 5). Potentissimum ille remedium opposuit Filium suum, Logon incarnatum. Atque contritae potestatis daemonicae argumentum in eo cernitur, quod Christiani daemones per nomen Iesu Christi ex corporibus hominum expellant (c. 6). Potest quidem Deus totum

mundum dissolvere, ut neque daemones amplius sint neque homines consiliis eorum perficiendis inservientes. Quamquam differt interitum mundi ad supplicium de illis sumendum propter christianos, scilicet ut semen christianorum propagetur. Tandem fiet conflagratio: quae tamen non ex fato eveniet, quia fatum nec libertati nec virtuti locum relinquit. Libertas autem et angelis et hominibus concessa ne tollatur, Deus homines a daemonibus incitatos non prohibet quominus christianos interficiant: at merito poenam in aeterno igne persolvent (c. 7) -- Iam probat Iustinus christianorum innocentiam ex ipsis persecutionibus commendari. Si enim semper daemonibus invisi fuerunt qui auxilio λόγου σπερματικοῦ (rationis disseminatae) aliquam veritatis scintillam assecuti sunt, tanto magis istis christiani odio esse debent, qui totum Logon incarnatum (Christum) totamque veritatem complectuntur ac daemones expellendo aeterna iis supplicia denuntiant (c. 8). Quae quidem supplicia negari non possunt, nisi aut Deus negetur aut providentia (c. 9). Christiani vero non modo ob perfectam illam veritatis, cuius scintillae tantum ob oculos philosophorum fulserant, cognitionem daemonibus invisi sunt, sed etiam propterea quod Christus praestiterit ut ipsi homines indocti veram doctrinam et inde profluentem vivendi rationem sequantur (c. 10). Eggregia Christianorum

in persecutionibus constantia declarat eos solidam virtutis effigiem assecutos esse (c. 11). Nihil aptius est persecutionibus ad propulsandam criminum suspicionem; christiani enim non tam lubenter mortem oppeterent, si ita viverent ut eos vivere gentiles dicebant (c. 12). Se fatetur Iustinus laudi ducere ut christianus reperiatur; nam doctrina christiana longe ipsa platonica praestet (c. 13) - Postremo Iustinus rogat imperatores ut hunc libellum publica comprobent auctoritate (c. 14) et aequum iudicium ferant (c. 15).

Dialogus cum Tryphone scriptus est post Apologiam primam, ad quam occasione data respicit. Iustino Ephesi ambulanti mane in Xysti spatiis obvius fit quidam Iudaeus, Trypho nomine, cum sex sociis. Qui quidem philosophiae studiosus se esse indicat et pallio Iustini philosophico invitatum ut congressum eius appeteret. Is vero ubi Iudaeum esse cognovit, miratur hominem Mosi et prophetis addictum non missos facere philosophos (c. 1): narrat quomodo ipse pluribus gustatis philosophis Platonicos adamavit (c. 2) et postea veritate a quodam sene cognita christianam religionem amplexus sit. Senex enim ille inanitatem demonstraverat scientiae philosophicae (c. 3): animam non posse videre Deum sine Spiritu Sancto (c. 4), neque sua natura immortalem esse (c. 5).

x) id quod Plato ac caeteri philosophi ignoraverint (c. 6). Veritatis cognitionem a solis prophetis petendam esse (c. 7). Ex hoc igitur colloquio cum sene Iustinus ad amorem Christi accensum se esse fatetur (c. 8). Rident isti Tryphonis socii, dolet ipse Trypho sortem Iustini: quo spondente se demonstraturum religionem christianam certissimis niti argumentis, denuo rident et indurre clamant. Discedere vult Iustinus, sed pallio retinetur a Tryphone; postulat ut eius socii aut abeant aut silentio audiant. Impetrata conditione veniunt in medium Xysti stadium, ubi lapidea sedilia erant ex utraque parte: consident in altera Iustinus et Trypho, in altera quatuor huius socii, quum iam duo iocantes abiissent (c. 9). Tum incipit dialogus, qui nocte interpellatus postridie (Tryphone cum sociis redeunte aliisque qui pridie non adfuerant) repetitus et ad vesperam productus est.

Hic dialogus tribus partibus continetur: in prima Iustinus praeiudicatas Iudaeorum de lege opiniones refellit, in altera verum Filium a Deo genitum esse et eum

x) Hoc loco de Otto videtur minus recte mentem s. Iustini expressisse. Iustinus quidem loquitur terminis quae carent scientifica strictitate, sed non videtur negasse immortalitatem animae, licet negaverit aliam esse animam hominis ex una parte et equi ac asini ex alia parte. Sed ipse dixit animas animalium non visuras Deum. Ex contextu coniicere licet terminum immortalitatis hoc loco a Iustino usurpari in sensu visionis beatificae, nam dicit animas peccatorum exclusas fore ex immortalitate.

nostra causa incarnatum crucifixumque demonstrat, in tertia vocationem gentium et ecclesiam a Christo constitutam dudum praenuntiatam et praefiguratam fuisse exponit.

Pars I. Quaerenti Tryphoni cur Mosaicam legem non observent christiani (c. 10) respondet Iustinus: 1° praedictam fuisse veteris illius legis abrogationem et novae institutionem, atque hanc legem gentiles iam observare per Christi gratiam (c. 11) dum illam iudaei prorsus violent (c. 12). 2° Peccatorum remissionem apud Isaiam non per lustrationes iudaeorum promitti sed per Christi sanguinem (c. 13). 3° Iustitiam ab eodem propheta non in ritibus externis reponi sed in conversione cordis a Christo donata: hanc veram esse circumcisionem. (c. 14 et 15). 4° Iudaicam nonnisi in signum datam esse (c. 16) ut punirentur iudaei ob scelera in Christum et christianos comissa (c. 17). 5° Hanc merito a Christianis reici, siquidem veteribus ignota demum Abrahamo in signum data sit, lex autem sub Mose ob populi duritiam cordis instituta (c. 18 et 19): ciborum enim delectum quendam praescriptum esse, ut populus etiam inter edendum et bibendum Deum esse ante oculos haberet (c. 20), sabbata introducta esse neutiquam ut opus iustitiae sed ob illius peccata (c. 21) similiter sacrificia et oblationes (c. 22). 6° Iudaicam de lege sententiam calumniis contra Deum ausam praebere (c. 23). 7° Longe praestantiorem esse

christianorum circumcisionem (c. 24 et 25), sine qua etiam iudaei salvari nequeant (c. 26). Prophetas eadem atque Moisen docuisse propter eandem istam cordis duritiam (c. 27). Atc veram iustitiam per Christum comparari (c. 28) ac proinde Legem christianis inutilem (c. 29) quum aeternam legem per Christi gratiam observent (c. 30). 8° Tanta cum fuerit potentia Christi in primo eius adventu, in secundo fore multo gloriosiorem (c. 31); duos enim esse Christi adventus eumque dominum et Deum et adorandum in multis psalmis dici (c. 32 et 33), qui in Solomonem non conveniant, quod non modo non tantus, sed etiam vitiosus fuerit christianisque longe dissimilis (c. 34). Inter eos quidem fatetur notas esse haereses, sed quae catholicos in fide confirment utpote a Christo praedictae (c. 35-39). 9° Legem figuram fuisse rerum ad Christum pertinentium (c. 40-42); finem habuisse in Christo (c. 43), sine quo Iudaei frustra salutem sibi promittant (c. 44). Fatetur iustos, qui ante legem et sub lege fuerunt, salvari idque per Christum (c. 45), neque negat salutem adepturos qui legem cum fide in Christum coniungant (c. 46), quamvis aliter catholici multi sentiant (c. 47).

Pars II. Quae hactenus de Christi divinitate Iustinus dixit ea spectant ad refellendas Iudaeorum opiniones de lege mosaica. Nunc rogatu Tryphonis probat

Christum (Logon) ante mundum conditum exstitisse et postea hominem factum esse. Antequam disputationem ingreditur, monet Tryphonem, ut ratum maneat quod iam demonstratum erat, nempe Iesum esse Christum (c. 48). Obiicienti vero nondum advenisse Eliam respondet Ioannem esse primi adventus praecursorem (c. 49), idque ex Isaia confirmat (c. 50-51), et ab ipso Iacobo duos adventus praedictos fuisse ostendit (c. 52-54). Tum rogante Tryphone ne ad probandam Christi divinitatem adhibeat illa testimonia, in quibus Dei nomen metaphorice usurpetur, promittit Iustinus se eiusmodi testimoniis non usurum (c. 55): probat Deum, qui Abrahamo et Iacobo et Mose apparuerit, a Deo Patre distinctum esse (c. 56-59) et iudaicas de eo qui in rubo apparuit opiniones refellit (c. 60), et Logon a Deo ut ignem ex igne genitum esse demonstrat provocans ad Prov. VIII, 21-36 (c. 61) et ad Genes. I, 26-28 (c. 62).

His argumentis cedens Iudaeus rogat ut etiam de Filii Dei incarnatione, passione, resurrectione et in coelum adscensione exponat.

Itaque Iustinus multa Veteris Testamenti profert testimonia, quibus Christus ut Deus et homo laudetur et gentilium conversio praedicatur (c. 63).

Consentit Trypho Christum gentilium esse Deum, at eo negat iudaeos indigere. Castigat Iustinus hanc impietatem et prosequitur susceptam de Deo homine facto demonstrationem (c. 64). Obiicit Trypho Deum alteri gloriam suam non dare. Locum igitur Iesai 42,8 explicat Iustinus. Deinde refert eiusdem prophetae locum: Ἰδοὺ ἡ παρθένος (ecce virgo) (c. 65). Sed cum multa de hac prophetia dicere pararet (c. 66), interpellans Trypho obiicit: 1° Iesaiam non dicere: Ἰδοὺ ἡ παρθένος sed Ἰδοὺ ἡ νεᾶνις. 2° Hanc ex virgine generationem fabulae Persaei non absimilem esse. 3° Satius fuisse Iesum hominem ex hominibus natum fateri eumque, si modo Christus sit, hanc dignitatem existimare accurata legis observatione consecutum esse. His tribus respondens Iustinus 1° iudaicas de lege (c. 67) et de Christo, quem hominem ex hominibus sibi fingebant, opiniones refellit (c. 68) 2° In iis quae poetae de Baccho, Hercule, Aesculapio, Perseo fabulati sunt artificia diaboli ostendit, oracula prophetarum imitantis (c. 69 et 70). 3° Textum illum Ἰδοὺ ἡ παρθένος adversus pravam iudaeorum interpretationem tuetur, exagitans iniquum eorum iudicium de versione septuaginta virorum, ex qua etiam multa istis testimonia sustulisse contendit (c. 71). Horum insuper nonnulla rogatu Tryphonis profert (c. 72 et 73); simul alios colligit logos, in quibus maiestas divinitatis cum carnis humilitate coniungitur (c. 74-76). Quibus expeditis Iesaiae prophetiam Ἰδοὺ ἡ παρθένος etc. demonstrat in Christo adimpletam fuisse (c. 77 et 78). Postquam interpositas a iudaeo de angelis (c. 79) et de regno mille annorum solvit (c. 80), provocans potissimum ad Apocalypsim XX, 4-6 (c. 81) nonnulla de donis propheticis apud christianos et de praedictis a Christo persecutionibus et haeresibus disserit. Tum vero Iudaeos hortatur ut ne propter falsos apud Christianos doctores Christo maledicant neve Scripturam Sacram pravo interpretantur (c. 82), quum ps. 109, 1 (c. 83), Iesai VII, 14 (c. 84), Psal. 23, 7 minime ad Ezechiam, sed ad Christum pertineant. Caritate se adduci declarat, ut multa pridie disputata repetat in gratiam eorum qui non adfuerant (c. 85). — Novus autem Iustino nascebatur labor in Christi morte similiter defendenda. Multa colligit quae lignum crucis in Vetere Testamento praesignificarint (c. 86). Tryphoni per occasionem interroganti, cur Christus quum Deus sit opus habuerit Spiritu Sancto, furias respondit (c. 87 et 88). Quem autem ille negaverit adduci se posse, ut ignominiam crucis a prophetis

praedictam esse agnoscat, propterea quod ἐπικατάρατος ὁ σταυρούμενος (c. 89). Justinus quanta sit crucis potentia ex manibus Mosi extensis (c. 90) ex benedictione data Josepho, ex serpente exaltato demonstrat (c. 91), et nonnullis de interpretanda Scriptura obiter monitis (c. 92 et 93) tandem locum a iudaeo obiectum explicat (c. 94), addens alia testimonia (c. 95-105). - Resurrectionem Christi probat ex psalm. 21, 21 s. (c. 106) et ex Jonae historia (c. 107), quam iudaei non modo respuerunt, sed et per totum orbem miserunt qui Christum et christianos teterrimis calumniis in invidiam vocarent (c. 108) - (De Christi adscensione in coelum dixit c. 85).

Pars III. Memorata Ninivitarum conversio, quam iudaei non imitati sint, transitum Justino praebet ad probandam gentium conversionem, quippe praedictam a Michaea (c. 109); multa praeterea colligit quibus gentium per Christi sanguinem liberatio praesignificata sit (c. 110 et 111). Postquam ieiunas iudaeorum interpretationes refellit (c. 112), Josuam (Jesum) figuram Christi fuisse ostendit: gentes per Christum in terram sanctam introductum iri (c. 113), ab eoque secundam circumcisionem longe iudaica praestantiorem accepisse (c. 114). Idem illud dogma confirmat ex Zachariae visione (c. 115)

et Malachiae de sacrificio christianorum praedicatione (c. 116 et 117), quam ex Christi sacerdotio confirmat aliisque eius titulis (c. 118). Docet eosdem christianos populum esse, et populum multo sanctiorem Judaeis (c. 119), ac genus Abrahamo eiusque filio et nepoti promissum (c. 120). Benedictionem autem in ipso Christo promissam (c. 121) non ad proselitos iudeorum, sed ad christianis spectare (c. 122), qui alius Israel sint (c. 123) et filii Dei (c. 124), quod Christus sit Filius Dei et Israel et Deus, qui patriarchis apparuerit (c. 125-129). Eosdem laetari cum populo Dei, id quod prophetae praedixerint (c. 130) et vocationem suam vitae sanctitate comprobare (c. 131), dum iudei impietate Deum offenderint et offendant (c. 132 et 133). - Similiter ecclesiam christianam figuris et oraculis ostendit in Veteri Testo indicatam esse, scilicet connubiis Jacobi (c. 134), cui aliud semen promissum (c. 135) iudeis reprobis successurum (c. 136 et 137), item arca Noachi

(c. 138) et benedictionibus a Noacho filiis datis (c. 139). In hac ecclesia nullum discrimen dari servorum et liberorum ac frustra iudeos se esse filios Abraham gloriari (c. 140), quos quidem cecidisse sua culpa probat. (141).

Peracta disputatione gratias Trypho agit, vicissimque Justinus salutat, nec quidquam illis melius praecari posse ait, quam, ut Jesum Christum agnoscant. (c. 142) ~~~. Hactenus de Otto.

3. Meritum Justini de Apologia Chr-ana

Meritum Justini ad demonstrandam veritatem religionis Christianae praecipue consistit in evolvendo argumento prophetico. De vaticiniis messianicis Justinus loquitur in Prima Apologia c. 30-53 et in Dialogo cum Tryphone c. 32-43; 49-60; 65-139. Itaque fere dimidia pars scriptarum Philosophi et Martyris versatur in enucleandis vaticiniis de Christo, de abroganda lege antiqua et de Ecclesia Christi seu sorte

apostolorum suorum.

Sicut in ceteris suis scriptis sic et in exponendis vaticiniis Messianicis non solet ordinem servare sententiarum.

Ipse omittit indicare factum concordantiae inter antiquitus praedicta et recens eventu confirmata esse indubitatum indicium divinae originis vaticiniorum et evidens testimonium supernaturalis missionis Christi. Haec Justinus supponit hoc iam notum esse suis lectoribus. Justinus diligenter colligit vaticinia, sed non curat profferre testimonia evangeliorum, quibus probbetur id et ita factum fuisse in vita Christi quod praedictum fuerat. Vitam enim Jesu Christi Justinus supponit notam esse sui operis lectoribus. Sed loquens de vaticinio Michaeae, quo praedicebatur nativitas Messiae in opido Bethlehem, Justinus (Apol. I c. 34) provocat ad tabulas censorias (ἀπογραφαί) confectas sub Quirino, primo imperatorum in Judaea procuratore, quas noverat asservatas esse in romanis tabulariis.

Copia locorum messianicorum ab Justino allegatorum in Prima Apologia est satis magna. Loci ab Justino allegati enumerari non possunt, quia saepe mut.... differunt ab hodierno textu recepto ex Vulgata et Septuaginta. Sic Js. 11,1 apud Justinum sonat: „Ἀνατελεῖ ἄστρον ἐξ Ἰακώβ, καὶ ἄνθος ἀναβήσεται ἀπὸ τῆς ῥίζης Ἰεσσαί", cum autem apud Septuaginta legitur nonnisi: „Καὶ ἐξελεύσεται ῥάβδος ἐκ τῆς ῥίζης Ἰεσσαί"; quod omnino respondet Vulgatae: „Et egredietur virga de radice Jesse". Itaque verba: Ἀνατελεῖ ἄστρον ἐξ Ἰακώβ attributa sunt Isaiae ex Num. 24,17, ubi dicitur in textu Septuaginta: Ἀνατελεῖ ἄστρον ἐξ Ἰακώβ, scilicet: „Orietur stella ex Jacob". Psalmi primus et secundus in unum coniuncti sunt. Ultima verba, quae citantur ex Psalmo 95 apud Justinum sunt haec: ὁ κύριος ἐβασίλευσεν ἀπὸ ξύλου (Dominus regnavit a ligno, quae verba „a ligno" non habentur in Vulgata, neque in textu Septuaginta. In suo Dialogo cum Triphone Justinus accusat Judaeos: Ex psalmo nonagesimo quinto per Davidem edito

perpaucas has voces abstulerunt a ligno. Nam cum dictum fuisset: „dicite in gentibus: Dominus regnavit a ligno" — reliquerunt: Dicite in gentibus Dominus regnavit." (Dial. c. 73. Corpus Apol., ed. 3, t. I, pars II, pag. 261).

Difficile est dictu, quam iusta sit haec accusatio. Tamen est notandum in Psalterio Graeco-Latino Veronensi, cuius exemplar est scriptum manu s. VI. et asservatur in tabulario capituli cathedralis Veronae, in textu ps. 95,10 adesse verba: ἀπὸ ξύλου — a ligno. Adsunt quaedam a Justino allegata, quae invenire non potui. Cap. 51 Justinus scribit: Quomodo autem e caelis quoque venturus sit cum gloria, audita quae etiam dicta sunt de hac re per Jeremiam prophetam. Sunt haec: „Ecce ~~tamquam~~ filius hominis venit super nubibus coeli, et angeli eius cum eo". Hunc locum apud Jeremiam invenire non potui.

Ex supra indicatis textibus aliqui videri possunt minus recte inter messianicos adnumerati, sed et Justinus eos adducit non tam ad manifestandam vaticiniorum adimpletionem, quam ad praestanda exempla

ex quibus pateat prophetas aliquando loqui ex persona Messiae aliquando autem ex persona Dei. Totalitatem textuum in Apologia Prima additorum quod attinet, ipsi sunt messianici reapse et hodie inter messianicos manifeste numerantur. Talis est praedictio Jacobi de duce non auferendo de femore Jude (Gen. 49,10, de virga ex radice Jesse (Is. 11,1), de virgine concipiente Emmanuelem (Is. 7.14), de nativitate in Bethlehem (Mich. 5,2), de ingressu Messiae in Jerusalem (Zach. 9,9), de exitu novae legis ex monte Sion (Is. 2), de Messia dominante principibus terrae (Ps. 2)

Capite 31 Justinus narrat antiquam Scripturam Sacram Judaeorum fuisse in graecum sermonem versam cura regis Ptolomaei. Hoc fecit Justinus, ut occurreret objectioni, quam clare non proposuit, neque vaticinia, quae a Christianis de Jesu ventilantur, scripta esse post eventum. Enarando historiam versionis Septuaginta Justinus commisit anachronismum, nempe dixit

Scripturas Sacras missas fuisse Alexandriam tempore regis Judaici Herodis, quod erroneum est, nam Ptolomaeus multo anterior fuit Herode. Nomen Herodis positum est loco Eleasari pontificis. Ashton putat a Justino scriptum fuisse βασιλεύοντι ἱερεῖ (regnante sacerdote), quod a quodam ignaro copista mutatum est in βασιλεύοντι Ἡρώδῃ (Conf. de Otto, Corpus apol., 3 ed., T. I, p. 92)

Post allegata satis multa effata prophetica Justinus occurit objectioni scribendo: „Ne quis autem ex iis quae supra diximus, autumnent nos dicere fati necessitate fieri, quae fiant, ex eo quod praedicantur praecognita, id quoque dissolvemus (Apol. I c. 43). Responsio Justini consistit in neganda fati necessitate et in affirmanda libertate actionum humanorum, quae nisi esset, totus ordo moralis rueat. In libertate consistit discrimen inter bruta et homines. Qui malum eligit, libere eligit. Malo innata est paena. Supplicium igitur sibi ipse libere eligit, qui malum eligit.

Nostris temporibus aliter solet responderi obiectioni a Justino praevisae. Necessitas adimpletionis vaticiniorum non obest libertati actionum humanorum, quia praevisio valde differt a praedeterminatione. Determinatio ad actum est in homine libere agente, sed praevisio huius determinationis liberae est in Deo. Praevisio externe manifestata est praedictio. Praevident et praedicunt astronomi futuras solis eclypses, sed non astronomi determinant has eclypses. Praevideo et praedico futurum esse ut anno sequente Petropoli multae virtutes ab hominibus fiunt, sed ego eas non praedetermino.

Apologiam suam Justinus dabat ad gentiles imperatores, qui divinam V. Tes-ti originem non agnoscabant, Dialogus cum Tryphone dirigitur ad Judeos, qui divinam auctoritatem litterarum sacrarum maxime venerebantur. Quapropter diversa debuit esse ratio tractandi locos messianicos in Apologia et in Dialogo cum Tryphone. Hanc diversitatem duorum operum suorum non

perfecte cognovit, sede neque omnino neglexit.

Nam in Dialogo cum Tryphone totus est in probando locos a se citatos revera ad Christum refferri non ad aliam personam. Sic cap. 33. demonstrat ps. 109 referri ad Christum non ad regem Ezechiam, quia hic non fuit sacerdos, neque aeternus. Similiter demonstrat in ps. 71 sermonem esse de Christo non de Salomono sicut dicebant iudaei.

Capit. 43 dialogo cum Tryphone Justinus promittit se z... in notissimo illo loco: „Ecce virgo concipiet et pariet filium," legendum esse reapse virgo (παρθένος) non vero adulescentulo (νεᾶνις) sicut legere incipiebat iudaei. Promissis stare voluit, sed Tryphone faciente contiouo novas obiectiones, dialugus ab obiecto hoc declinavit. Cap 67 iterum reversus est, sed postea denuo declinavit. Cap. 71 redit Justinus ad idem, sed denuo a Tryphone trahitur ad aliud thema.[1] Solumodo cap. 84 Justinus solvit promissa dicendo: „Nam si iste de Isaias loquebatur

---

[1] et satis abundam ter loquitur de mutilatis a Judaeis Scripturarum textibus.

non erat de virgine nasciturus, quis tandem est de quo Spiritus Sanctus clamabat: „Ecce Dominus ipse nobis dabit signum: ecce virgo in utero concipiet et pariet filium?" Nam si perinde ac allii omnes primogeniti iste quoque ex concubitu orturus erat, cur ipse Deus signum, quod non omnibus primogenitis commune esset, daturum se dicebat?" Argumentum hoc confirmat Justinus eo quod initio Deus prima animantia omnia sine concursu parentum creaverit et Hevam ex costa Adami aedificaverit.

In Dialogo cum Tryphone Justinus provocat ad morem Judeorum assandi agnum paschalem „Agnus enim qui assatur ad similitudinem figurae crucis assatur, alterum enim verum erectum ab infimis partibus ad caput usque transfigitur, alterum vero secundum scapulas, ad quosdiam suspenduntur manus agni (Dial. c. 40). In duobus hircis, quorum alius immolabatur, alius vero emittebatur Justinus demonstrat figuram duplicis adventus Christi (ib), in oblatione

similae post purgationem a lepra docet profigurari panem Eucharisticum (c. 41), circumcisione liberationem a pravitate et errore (ib.), duodecim tintinabulis ex veste talari summi sacerdotis pendentibus, duodecim apostolos ex ore Christ pendente (c. 42). His argumentis gentiles minime moveri poterant, quippe qui nullum honorem defferent ritibus ceremoniisque sacris V. T-ti, quapropter argumentis illis non utitur in Apologia. E contra iudaei multum venerabantur sua instituta sacra. Inerat iudaeis intima persvasio ritibus sacris, qui intelligi non poterant significari futura messianica. Quapropter explicatio horum rituum ita facta, ut in Christo clara fierent, multum conferre potuit et debuit ad commendandum iudaeis Jesum tamquam Messiam et ducem eorum.

Jam Christus Dominus similitudinem inter Se et Jonam, inter Se et agnum paschalem indicaverit. Justinus autem hanc ideam multum evolvit et ampliavit. Post Justinum multique ad recen-

tissima tempora adlaborarunt messianicae explicationi caeremoniarum et eventuum V. F^ti. Ex recentissimis hac de re scripsit Dr Hugo Weiss, Die messianischen Vorbilder im Alten Testament. Freiburg Br. 1905. Herder. VIII + p. 100.

Ex supra dictis de Aristide et de auctore epistolae ad Diognetum satis clare patuit legalia Antiqui Testamenti ab eis fere ita tractata fuisse, ut etiam adducerentur tamquam argumenta falsitatis iudaeorum. In hac re Justinus superior est illis scriptoribus, nam magna veneratione prosequitur omnia instituta Veteris Foederis etiam ea, quae a Christo abolita ~~sunt~~, amplius non observantur. In his enim institutis Justinus videt figuras Novi Foederis. Vide praesertim c. 41 Dial. cum Tryph.

Praeter vaticinia inter argumenta veritatis religionis Christianae id etiam adducit, quod christiani, veritatem cum ament, propter veritatem persecutiones patiantur, quae res sane mira est cum haeretici, qui doctrinam Christi erroribus

corrumpunt, persecutione non attinguntur (Apol. I 24-26). Persecutiones tamquam signum verae religionis iam indicatae fuerunt ab ipso Christo in Ev. s. Joannis 15, 18-20.

Justinus est unus ex fontibus ex quibus satis abundantes habemus notitias de vita antiquorum Christianorum plurimis virtutibus insigni (Apol. I 8, 14-16, 27, 29; Apol. II 4, 10, 11, 12)

Hodierni historiarum investigatores multum insudant comparandis christianorum doctrinis cum aliarum religionum mythis. Justini eadem necessitas occurrit cum Tryphoni probavit Christum ex virgine natum fuisse. Trypho tunc objecit similia narrari de nativitate Persei ex virgine Danae, quam fructificaverat Jupiter ineundo ad eam sub forma aurei imbris (67). Justinus respondit negando paritatem inter vera facta ex vita Christi et fabulis, quae excogitatae sunt a poetis.

Alios mythos religionum ethnicorum, qui plus minusve analogi sunt dogmatibus aut factis christianis Justinus dicit esse ortos ex malitia daemonum, qui veritates

religionis christianae obscurare voluerunt (Apol. I c. 23, 64). Haec explicatio sane non potest profferri ab apologeta christiano nostris temporibus, quia inventae sunt magis obviae et magis naturales causas originis mythorum. Similitudo eorum cum veritatibus christianis disparet statim ac perfecte cognoscuntur et mythi et dogmata, quae comparantur.

Non deest apud Iustinum commendatio religionis christianae sumpta ex utilitate eius ad bonum publicum promovendum. Christiani non sunt perniciosi regno terreno, quia non terrenum, sed coeleste regnum quaerunt (Apol. I, 11), eorum doctrina tranquilitatem rei publicae promovet (ib. c. 12), ipsi sunt liberales in pauperes (c. 15), obedientes regibus, prompti ad vectigalia solvenda (c. 17), infantes non exponunt (c. 27), matrimonium prole non frustrant (29 c).

Inter merita Iustini et id est etiam numerandum, quod parum occupetur demonstranda falsitate ethnicorum et iudaeorum. Hae res adsunt quidem in Apologiis et in Dialogo, sed constituunt nonnisi minimam

partem operum, quorum maxima pars est in defensione religionis christianae et positiva expositione eius.

Sicut ceterorum sanctorum patrum ita et Iustini scripta maxime commendantur sincero et ardente amore veritatis. Veritatem quaerendo factus est christianus, veritatem defendendo apologias et Dialogum scripsit. „Non ita miser sum, Trypho, ait Iustinus, ut alia loquar, quam sentio." et in testimonium veritatis sanguinem effudit in poenam capitalem subeundo.

Si quis compararet opera Iustini cum apologiis, quae hodie scribuntur, non cognosceret magnitudinem Iustini, sed potius errorem pareret. Facile est hodie voluminosas bene ordinatas et profundis investigationibus refertas apologias scribere cum praesto sint opera Aristidi, Iustini, Tertuliani, Minucii, Augustini, Thomae et tot talium sanctorumque virorum, quorum ingenio aucta est scientia nostra.

Supra vidimus Iustinum debita veneratione prosequentem instituta V. T-ti,

cui rei addendus est honor, quem Philosophus Martyr tribuebat antiquis illis ethnicis, qui veritatis erant strenui investigatores ac propugnatores. „Cum de media philosophia graeca prodiisset Justinus, magnanimiter et iuste de ea iudicavit; laudat, quae laudanda sunt apud Socratem et Platonem, non occultando defectus et vitium fundamentale in systemathibus eorum" ait Freppel (Sorti des rangs de la philosophie grecque, Justin l'apprécie avec équité et largeur: il sait rendre justice à Socrate et à Platon sans dissimuler le vide ou le défauts de leurs systèmes. Freppel. Sain Justin. Les apologistes chrétiens au II siècle. Paris Bray. 1860 p. 44)

Sicut ex amore proximorum cognoscuntur veri discipuli Christi (Jo ...) ita honore, quem defert suis adversariis et studio inveniendi veritatem etiam apud eos, quos refutabat cognoscitur verus apologeta christianus. Tamen amor proximi et quidem errantis, adverersarii fidei, non debet adeo coli, ut ipsa veritas laudatur propter hominem, aut fides defendenda cedat respectui humano.

Justinus tanto amore christianae fidei flagrabat, ut ea tanquam criterio uteretur ad

verum a falso secernendum in rebus philosophicis: „Das Christentum leiht ihm des Maßstab zur Würdigung der Ergebnisse der Philosophie; ait Bardenhewer Geschichte der Altkirchlichen Litterat t. 1 p. 232). Haec agendi ratio Justini tanti est momenti in apologia christiana, ut vehementer doleam me non posse satis fortiter eius necessitatem inculcare. Quotquot enim fuerunt antiquitus et recentissimis hisce temporibus defensores fidei qui in lumine sapientiae humanae diiudicarent vera et falsa in doctrinis christianis, tot facti sunt inopinati fautores et propagatores errorum. Nec tales defuerunt qui hoc modo facti sint haeresiarchae. Radicalis differentia inter catholicam apologeticae rationem et modernisticam in eo consistit, quod haec christianismum adoptare studet placitis modernis, illa vero nonnisi ea moderna approbat quae christiano dogmati conveniunt. Quidam recentiores eruditi, ut Aubé (Essai de critique religieuse. De l'apologetique chrétienne au II siècle

st. Justin Phil. et Mart. Paris 1861. 1875) et v. Engelhard (Christentum Justins des Märtyrer. Erlangen 1878) censent Iustinum potissimum fuisse philosophum, rationis culturem in mente cuius dogmata christiana fuerunt tamquam elementa aliena extrinsecus addita. Quidam alii vitio vertunt Iustino, quod finem christianam rationabilem reddere cupiendo, neglexisset mysticum eius naturam.

Huic ultimae obiectioni optime respondet Bardenhewer: „Non minus recte unaquaeque recens apologia christiana praesertim vero catholica potest rationalismi accusari" (Mit kaum geringerem Rechte könnte man auch jede moderne, insbesondere jede katholische, Apologie des Christentums, des Rationalismus beschuldigen. Altkirchliche Litteratur I. 232) Iustino persuasum ~~est~~ erat non posse fieri contradictionem inter divina dogmata christi et fructus verae sapientiae rationalis. Haec est magna illa veritas, quam post Iustinum repetunt omnes eruditi catholici, nec ideo cessant

esse christiani. Imo non possunt esse christiani qui admittunt veritatem veritati contradicere posse.

Qui Iustinum ethnicum fuisse dicere audent (Engelhardt l.c. p. 485), non satis cogitant de eis, quae ipse Iustinus scripsit in Apologia II c. 13: „Nam ego quoque, quum integumentum nefarium a pravis daemonibus ad deterrenda cetera homines divinis christianorum auctores et ipsum integumentum et vulgi opinionem irrisi. Christianus ut inveniar, profiteor me et laudi ducere et omni dimicatione contendere non quod alienae sint Platonis doctrinae a Christo, sed quod non omnino similes sint ut neque ceterorum, neque stoicorum et poetarum et historicorum."

Iustino persuasum erat fide in Verbum Dei seu Jesum Christum novas ignotas hominibus veritates patefieri. Christianam doctrinam Iustinus tanti facit, ut eo utatur tamquam criterio ad verum a falso discernendum.

Merita Iustini de apologia christiana

Freppel his enuntiat verbis: „Probando divinitatem christianismi ipse (Iustinus) his utitur argumentis, qui usquemodo manserunt fundamenta demonstrationis evangelicae nempe adimpletione prophetiarum Antiqui Testamenti, miraculis Salvatoris, quae non cessant in Ecclesia, celeri propagatione fidei mediis in obstaculis plurimis, quae videbantur esse aptissima ad eam impedicudam, mutatione fidelium vitae in melius procedente ex doctrina christiana, heroica martyrum fortitudo in ediis in suppliciis, excellentia et superioritate dogmatis, doctrinae moralis et ceremoniarum cultus catholici. Posteriori apologeticae christiani id solum mansit ut evolveret ea media defendent fidem, quae s. Iustinus indicaverat. Idem dicendum est de iuribus conscientiae et veritatis quae hic magnus vir formulat et vindicat coram potestate arbitrarie et iniquo processu iudiciali. Tertullianus et Origines nonnisi id attulerint, quod clarius evolverint hunc

punctum iuridicum definitum a primo apologeta christiano. Tandem disceptatio sua cum iudaeis stabilivit et campum et arma quibus uti oportet uti ad reportandam victoriam ea in pugna quae perdurat usque ad nostra tempora." (En prouvant la divinité du christianisme, il fait valoir les arguments qui sont restés la base de la demonstration évangelique: l'accomplissemant des prophéties de l'Ancien Testament, les miracles du Sauveur qui se prolongent dans l'Eglise, la rapide propagation de la foi malgrés les nombreux obstacles qui semblaient devoir l'entraver, le changement de vie opéré dans les fidèles par la doctrine chretienne, l'heroique constance de martyrs au milieu des supplices, l'excellence et la supériorité de dogme, de la morale, du culte catholique. L'apologétique chretienne n'a fait que développer depuis lors ces moyens de défense indiqués par saint Justin.

Il en est de même des droits de la
conscience et de la verité que ce grand
homme revendique et formule en
face d'une légalité arbitraire ou
d'une procedure inique: Tertullien
et Origène se borneront à eclairer
ce point juridique défini par le pre-
miers des apologistes chretiens. Enfin
sa controverse avec les Juifs determine
le terrain et les armes qu'il convient
de choisir pour triompher dans cette
lutte qui s'est prolongée jusqu'a nos
jours" (Freppel, Saint Justin. Les apolo-
gistes chrétiens au II siecle Paris
Ambroise Bray 1860 p. 442).

4. De scriptis Iustini dubiis.

Eusebius in Historia Ecclesiastica 4,18,3-4
tribus supra memoratis operibus Iustini
adnumerat adhuc tria alia nempe:
1) λόγος πρὸς Ἕλληνας (oratio ad graecos), 2) Πρὸς
Ἕλληνας συγγραμμα ὅ καὶ ἐπεγραψεν Ἔλεγχον (Liber
ad graecos quod inscriptum est Refutatio)
et 3) περὶ Θεόν μονρχίας (de unitate Dei). Ad
nostra tempora pervenerunt sub Iustini

r

nomine tria scripta, quarum tituli
fere idem sunt ac ei qui ob Eusebio
nominantur nempe 1) πρὸς Ἕλληνας seu
oratio ad Gentiles; 2) λογος παραι νετικὸς πρὸς
Ἕλληνας, cohortatio ad gentiles et tandem
3) περὶ Θεοῦ μοναρχίας, de Monarchia. Deest cer-
titudo haec usquemodo conservata scripta
esse eadem ac opera Iustini ab Eusebio
memorata. Sed etiam haec certitrido
adesset non ideo constaret ea esse Iustino
auctore exarata, nam iam tempore
Eusebii potuerunt quaedam spuria opera
tribui celeberrimo apologetae. Ipse Eusebius
hoc aliquatenus innuit cum dicit praeter
enumerata opera sub nomine Iustini
multa alia circumferri scripta (Hist. Eccl. 4,18,8).

Oratio ad gentiles (πρὸς Ἕλληνας) est
parvulum opusculum quinque constans
capitibus seu 107 versibus eleganter scriptum,
ordinate dispositum, cum versa exaratum.
Totum opusculum versatur in demonstranda
immoralitate mythorum religiosarum, qui
apud Homerum et Hesiodum leguntur, ac
in vituperanda pompa solemnitatum

cultus ethnici. In fine opusculum vehemens adhortatio ad amplectandum christianismum.

Forma opusculi est oratio et quidem ad graecos, quod patet ex invocatione ὦ ἄνδρες Ἕλληνες: finis etiam indicatur est nempe iustificatio transitus oratoris de religione graecorum ad christianismum.

Auctor opusculi est incognitus, nam certe non est Iustinus, quod probatur validissimis argumentis internis, nam modus dicendi et ratio tam differt ab operibus Iustini, ut omnino nequeat ab eodem prodire auctore ac Dialogus cum Tryphone et duae Apologiae. Ignotum est tempus, sed certe non recentius quam s. III, quia opusculum prodiit durantibus persecutionibus. Prohibitur pertinet haec oratio ad apologeticam s. II et quidem ad tempus quo ratio defendendi christianismum maxime floruit. Ex titulo hoc opusculum potest idem reputari ac primum ab Eusebio secundo loco mentinatum opus Iustini sed ex argumento magis

quadrat cum secundo, de quo Eusebius dicit fuisse confutationem.

Quidam Ambrosius cuiusdam parvae civitatis graecae consiliarius (βουλευτής) s. III hanc orationem ita redegit, ut fere dimidiam eius partem (50 versus ex 107) eiecerit, eius loco posuerit ex alienis fontibus depromptos circiter 75 versus. Haec nova redactio ab Ambrosio apellata est Ὑπομνήματα (pro memoria scripta). Graecum originale Hypomnematum perditum est, conservata autem versio syriaca. Cum haec Hypomnemata autem versio syriaca. Cum haec Hypomnemata scripta sint certe ante Constantinum Magnum, cum praeterea constent ut ipse titulus in syriaca versione graece conservatus indicat exceptis ex antiquioribus scriptis, haec scripta evincuntur esse veteriora. Sed Hypomnemata utuntur Oratione ad Graecos, quapropter haec Oratio probatur esse Ambrosio antiquior. Itaque omnino nihil obstat, quominus ipsa oratio transferatur in tempus

maxime florentis. Apologia christianae antiquae, nempe in s. II.
Ambrosius Hypomnemata cumposuit ut coram suis sociis urbis consiliariis evinceret suum transitum ex ethnicismo ad christianismum iustam et alienabilem fuisse. Qui Orationem ad Graecos tribuebant Iustino auctori, credebant hanc orationem esse a philosopho martyre exaratam ad rationem reddendam, cum ipse factus sit Christi assecla. Haec hypothesis verosimilis est, sed longe abest a certitudine, quia modus agendi Ambrosii potuit ortum dare hypothesi de Iustino.
Inter opera s. Iustini addubitata secundo loco poni solet Cohortatio ad gentiles, quae constat 38 capitibus et dividitur in tres partes. Harum prima dicitur philosophos et poetos graecorum versari in inextricabilibus contradictionibus cum loquuntur ~~mendacium~~ de rebus ad religionem pertinentibus. Non ita Moses et prophetae qui antiquiores sunt philosophis ac poetis. Moses igitur et prophetae

fuerunt veritatis magistri. In secunda parte (cc. 14-34) conceditur multa valde bene dicta fuisse a philosophis de Deo, sed haec omnia deprompta esse ex antiquis illis iudaeorum libris religiosis.
Tandem in ultima parte auctor hortatur graecos ad sequendam auctoritatem librorum christianorum, aut saltem ad credendum Orpheo qui docet unum Deum.

Ex argumento Cohortationis quod exposuimus coniici potest eam esse idem opus Iustini, de quo Eusebius mentionata „Oratione ad Graecos" dicit: „Et alterum ad graecos (dedit) librum, quem et inscripsit Refutationem (Hist. Eccl. 4, 18, 4), sed haec identitas argumenti sola non sufficit, ut opus attribuatur Iustino, nam gravia obstant argumenta interna.
Imprimis Cohortatio scripta est stylo eleganti et commendatur clara ac ordinata dispositione sententiarum, quod omnino contrarium est ingenio Iustini cognito ex suis operibus certis. Porro Cohortatio profert quasdam sententias, quae

componi non possunt cum sententiis de iisdem et quidem gravibus obiectis, quas protulit Iustinus in suis operibus authenticis. Ita Cohortatio nihil boni tribuit philosophis graecorum, nisi ea quae mutuata sunt ex Libris Sacris Iudaeorum (c. 14-33), Iustinus autem fatetur apud poetas et philosophos fuisse semina veritatis (Apol. I c. 44), quia Logos antequam corpus factum est iam agebat in mundum ut eum perficeret (Apol. II c. 13). Huic argumentatio a doctissimo Bardenhewer adductae liceat unum restrictionem opponere. Inter doctrinam Apologiarum Iustini de seminibus veri apud philosophos et doctrinam Orationis ac Cohortationis ad Graecos de veritatibus, quas graeci mutuati sunt ex iudaeis, non est vera contradictio. Nam influxus Verbi Divini non excludit mutationem et mutuatio non excludit influxum. Parva veri semina idem auctor attribuere potuit influxui Verbi, magnas et claras veritates de unitate Dei reducendo

ad mutationem. In operibus ad imperatorem scriptis magis insistebat primo, in operibus autem scriptis posteriore tempore magis adhaerere potuit secundae explicationi. Apologiae suae non cohibuerunt persecutiones quapropter occasionem debebant auctori ad diminuendam suam fidem in bonam voluntatem philosophorum, de quorum numero erant imperatores Antoninus Pius et Marcus Aurelius ac Lucius Verus. Quo minus credidit Iustinus in bonam voluntatem philosophorum sibi contemporaneorum, eo diminuebatur et fides in bonam voluntatem antiquorum. Hypothesi autem de inventione veritatis sub inspiratione Verbi sine magna parte bonae voluntatis philosophorum consistere non potest.

Sed vix possibilis est tanta differentia styli et dispositionis quanta est inter tria certe authentica Iustini opera et Orationem ac Cohortationem ad Graecos. Quapropter probabilissimum manet et

ab omnibus receptum est, haec duo opera non esse Iustino auctore scripta. Dräsecke et Asmus crediderunt Cohortationem ad Graecos scriptam fuisse ab Apollinari Laodiceno, qui auctor fuit haereseos apollinaristicae ac mortuus est a. 390. Ratio hoc admittendi fuit persuasio cohortationem dirigi contra legem Iuliani Apostatae, qua vetabatur christianis humaniorum litterarum studium. Asmus etiam censet librum Iuliani „Contra Galilaeos" esse responsum ad Cohortationem. Ad hanc thesim probandam Asmus supponit duo gratuita: 1° edictum Iuliani ad nos pervenisse in forma truncata 2° perditam esse secundam positivam Cohortationis partem, in qua continebantur clarae reputationis legis. Hypothesis super tot gratuitis assertis constructa nullum habet valorem in scientia critica.

Communiter censent eruditi Cohortationem esse scriptam inter annos 180 et 240.

Tertius liber de quo dubitatur Iustinumne habeat auctorem an alium est liber De Monarchia (Περὶ Μοναρχίας). Huic libri argumentum sic exponit de Otto: „Auctor huius libri, postquam de origine idololatriae nonnulla praefatus est (c.1) unum esse Deum probat ex Aeschyli & Sophoclis Philemonis Orphei Pythagorae testimoniis (c.2.) Hunc Deum solum et aequum esse iudicem, qui sacrificiis nequeat placari, Sophoclis Philemonis Euripidis Platonis effatis ostendit (c.3 et 4). Tum provocat ad Menandrum et Euripidem qui de gentilium diis habendos esse censeant. (c.5) Unde concludit soli vero et immutabili Deo adhaerendum esse (c.6)" (Corpus Apologetarum vol. III, ed. 3. p. LXI).

Ex aetate argumento libri patet in eo esse testimonio de unitate divina ex ethnicis scriptoribus deprompta. Itaque ex hoc capite liber iste respondet iudicio ab Eusebio posito. Eusebius autem dicebat:

„... De unitate Divina in quo (scripto) non solum ex nostris propriis scriptis, sed etiam ex operibus graecorum probat" (Histor. Eccl. 4, 18, 3-4). sed argumentum non est omnino firmum, quia ab Eusebio mentionantur etiam argumenta ex scriptoribus christianis, in libro autem qui ad nos pervenit non sunt nisi testimonia ethnicorum. Tamen Defectus testimoniorum christianorum, puto non est argumentum contra authentiam, quia in verba Eusebii: „non solum ex nostris propriis", stricte interpretando, non asserunt in opere mentionato fuisse testimonia scriptorum christianorum. Haec verba indicant potius auctorem non esse contentum arguere adversarios nostris propriis auctoritatibus, sed eos premere auctoritatibus ipsarum.

Hic animadvertendum est omnes locos, quos habemus in „Monarchia" citatos non esse exceptos ex authenticis operibus earum scriptorum, quibus attribuuntur,

sed omnes et singulos ab uno auctore confectos et quidem a iudaeo, qui vixit s. III ante Christum natum Abderae et notus est sub nomine Pseudo-Hecataei. Itaque auctor libri „De Monarchia" non fuit falsarius, sed a falsario deceptus.

Argumenta interna et externa non sufficiunt ad dirimendam quaestionem de Iustino tamquam auctore libri „De Monarchia". Hic liber ad nos pervenit in eisdem codicibus ac scripta Iustini authentica. Harnack (Gesch. der altchristlichen Litteratur 2, 1 p 512) dicit omnia argumenta usquemodo prolata contra autentiam libri nihil valere. Nihilominus communis sententia eruditorum magis favet opinioni neganti authentiam. Elter[1] (De gnomologiorum graecorum historia atque origine) censuit librum „De Monarchia" fuisse circa an. 180 scriptum et falso attributum Iustino. Ehrhard credit hunc librum pertinere ad tempus ante s. Irenaeum ideoque esse ex s. II (Altchristliche Litteratur. Freiburg 1900 p. 225)

Praeter memorata opera de Iustino manserunt quaedam fragmenta. Ea tamen quae

[1] citatus ab A. Ehrhard.

authentica sunt nonnisi magno cum labore a spuriis sub suo nomine ventitatis secerni possunt. In historia apologeticae non multum habent valorem.

Itaque ex omnibus operibus quae tamquam dubia Justini scripta recensentur de sola Monarchia spes concipi potest fere, ut certe Philosopho Martyri attribuatur. Etiam hic liber de Monarchia consistit in veritate christiana positive demonstranda, non autem in detegendis vitiis adversariorum. Haec methodus apologetica, quae consistit in veritate positive adstruenda, non posset dici omnino stricte fuisse a Justino observata si probaretur Orationem ad Graecos et Cohortationem ad gentiles eo auctore prodiisse. Sed nulla spes affulget haec duo opera Justino attributa iri.

Antequam sermo finiatur de Justino oportet animadvertere ad unam circumstantiam quae logice quidem non iungitur cum munere apologetico, sed in vita ab eo separari omnino non potest. Justinus eminebat eximio studio perfectionis spiritualis, amore Dei et exercitio mortificationis tam excelluit, ut martyrio coronatus sit.

De ipso restant quaedam valde preciosa consilia ad profectum spiritualem interiorem promovendum. Coniunctio magni valoris apologetici cum magna perfectione animi in Justino non est factum accidentale. Sanctitas vitae apologetae est et conditio necessaria et mensura utilitatis, quam eius scripta regno Christi afferunt. Nam Christus non habet opus defensoribus, qui labiis honorant Deum, cor autem eorum longe est ab Eo.

5. Editiones operum Justini et recentissima commentaria.

Prima editio operum Justini prodiit Parisiis 1551 cura R. Stephani. Haec editio est reproductio codicis manuscripti parisiensis № 450 designati. – Fr. Sylburg. Heidelbergae 1593. Mutatus est ordo scriptorum Justini in praecedente editione servatus ac adiunctae: Oratio ad gentiles et epistula ad Diognetum. – Optima omnium editio est equitis de Otto. Corpus Apologetarum Christianorum, Jenae 1847–1872; tertia editio 1876–1881 vol I–V. In hac editione habentur omnia Justini opera de quibus locuti sumus. – Editio Migne (Patrol. Graec.) commendatione

non indiget.

Separatae editiones. A. Apologiae. J. W. J. Braun. Bonn 1830, quam tertia vice reproduxit Gutberlet, Lipsiae 1883. — Ad usum scholarum easdem apologias edidit G. Krüger, Die Apologien Justins des Märtyrers, Freiburg i. Br. 1891. Haec editio cum secunda vice apparuerit 1896a., additas habuit eas lectiones variantes, quae desunt apud de Otto.

A. Harnack, Die pseudo-justinische „Rede an die Griechen". Sitzungsberichte der K. preussischen Akademie der Wissenschaften zu Berlin 1896 pag. 627-646.

Eruditorum commentaria de Justino enumerati sunt apud Bardenhewer in suo opere Altkirchliche Litteratur p. 209, 213-215, 217-219. praeterea recentissimi G. Krüger, Zu Justin (Zeitschrift für die neutestamentliche Wissenschaft, Giessen, N7 p. 136-139) protest. — A. L. Feder, Justins des Märtyres Lehre von Jesus Christus dem Messias und dem menschgewordenen Sohne Gottes. Freiburg Herder 1906 (catholicus). — G. H. Giebert, Justin Martyr an the person of Christ (The American Journal of Theology. Chicago. 1906. octobr. p. 663-674); — L. Murillo, Doctrina de san Justino

sobre Jesuchristo Messias e hio de Dios (Razon y fe 1906 p. 380-385) cathol. — H. Wendisch, Die Theodizee der christlichen Apologeten. Justinus. Leipzig. Hinrichs (prot.) — J. Rivière. Saint Justin et les apologistes du seconde siecle. Paris 1907. Bloud, 3 fr. 50 (cathol.) — A. Archambault, Les manuscrits du dialogue avec Tryphon (Revue de l'histoire ecclesiastique, septembre 1908, p. 665-679 cathol.) — J. M. Pfättisch, Christus und Sokrates bei Justinus (Theologische Quartalschrift. Tübingen 1908a. vol. 90 p. 502-523 cath.).

— . —

Tatianus Assyrius

Vita. Inter discipulos s. Justini notissimus est Tatianus, qui Assyrius est cognominatus. De tempore quo natus sit nihil certi constat. Zahn in suo opere „Forschungen zur Geschichte des neutestamentlichen Kanons und der altkirchlichen Litteratur th. I p. 284" dicit eum natum esse anno 110, Funk autem (Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen t. II p. 149) putat potius annis 120 aut 125 proba-

bilus posse Tatiani nativitatem poni. Ipse Tatianus in sua Oratione ad Graecos dicit se primum lumen vidisse in terra Assyriorum ac imbutum fuisse ab infantia doctrinis huius regionis ad orientalem ripam Tigris positae. Clemens Alexandrinus (Strom. 3, 12, 81) vocat eum syrum, ex quo conicere licet maternam linguam Tatiani fuisse syriacam. Ex suis scriptis patet eum fuisse in litteris graecis liberaliter eruditum ac in philosophia versatissimum. In Oratione ad Graecos (29, 25) testatur se multum peregrinasse in Graecia et Italia. Antequam factus est christianus iam fuit scriptor operum (Oratio 15, 16), quae tamen perierunt. Tatianus fatetur lectione scripturarum Sacrarum se adductum fuisse ad maledicendum paganismo et amplectendum christianismum, ac displicuisse sibi bonis moribus contrariam rationem agendi Christianorum (Orat. c. 29). Sed et admiratio virtutum christianarum, praecipue fortitudinis martyrum, quae admiratio patet ex Orat. ad Graecos c. 32 et 33, potuit aliquid conferre ad conversionem Tatiani. Haec probabiliter creditur Romae peracta fuisse fortasse etiam

eo tempore quo Justinus ibi scholam habuit. Sed discipulus Justini Tatianus eo nonnisi sensu est, quod ab illo christiana sapientia magis instructus fuit. Ad Christianismum conversus Tatianus ipse habuit scholam christianam, quod compertum habemus ex Rhodone, qui, teste Eusebio (Hist. Ec. 5, 13, 1. 8) hanc Tatiani scholam frequentavit. Tempus conversionis ignotum est, sed praecedere debuit apparitioni suae Orationis ad Graecos, quae non ante 150 – 155 ac probabilius 165 anno scripta est. Sed brevi post mortem s. Justini, quae secuta est circa annum scilicet 167, Tatianus iam fuit haereticus, ut novimus ex Irenaeo (Adv. Haer. 1, 28, 1) et Epiphanio (Haer. 46, 1). Epiphanius dicit 12 anno Marci Aurelii (scil. 172 aut 173) Tatianum venisse in Orientem ibique sectam haereticam fundasse. Juxta Eusebium et Epiphanium haeresis in quam Tatianus est lapsus Encratistica appellari solet. De morte Tatiani nihil notum est.

<u>Apologia Tatiani</u>. Arethas archiepiscopus Caesareensis anno 914 confici iussit novum exemplar operis Tatiani Πρὸς Ἕλληνας. Cum caeteri codices huius operis periissent hic solus conservatus est et, nisi fallor, hodie habetur

in Bibliotheca Nationali Parisiensi. Ex hoc codice deprompti sunt sex alii codices antiqui manuscripti, quibus Carolus de Otto usus est ad suam editionem apologiae Tatiani conficiendam.

Liber Tatiani „Ad Graecos" dividitur in duas partes. In prima parte exponitur doctrina christiana de principalibus obiectis: de Deo, scilicet, de Eius Filio, seu Logo, de creatione mundi, de resurrectione corporum, de hominis lapsu ac redemptione. Haec omnia in fine partis primae comparantur cum institutis gentilium et praestantiora esse inveniuntur. Secunda pars tota est in demonstranda antiquitate religionis christianae, cuius origo repetenda est Moyse. Sed Moyses 400 saltem annis antiquior fuit antiquissimo scriptore graecorum nempe Homero.

En argumentum operis Tatiani „Ad Graecos" verbotenus ex opere Caroli de Otto transscriptum (Corpus Apologetarum s. II vol VI p. XXXV–XL).

„Tatianus in exordio Orationis suae graecos exagitat quod de praeclaris artibus et disciplinis tantopere glorientur: quum tamen eas non invenerint sed a barbaris mutuati sint,

atque adeo iis perverse abutantur. Institutam enim esse rhetoricam ad iniustitiam, poeticam ad morum corruptelam (c.1); ipsos etiam philosophorum principes suis quemque erroribus et vitiis insignitos esse (c. 2,3). Immerito igitur christianos odio haberi, quod eiusmodi instituta spernant, quippe verum Deum cognoscentes et colentes (c.4)...

I Deus primum quidem solus fuit. Ita tamen, ut ab aeterno inde λογικὴν δύναμιν (vim verbigenam) secum haberet: ex qua postea λογος (Verbum) prodiit. Haec autem de creatione doctrina confirmat fidem resurrectionis aliquando, post finem mundi, futurae iudicii causa. Ridetur haec doctrina sed parvi pendunt christiani, qui, quaemadmodum creati sunt quum antea non essent, sic quamvis moriantur revicturos se aliquando confidunt, Deo particulas corporum ex elementis colligente (c.5) – Ut vero studia mortalitatem consequendae commoveantur, disserit scriptor quomodo homo et lapsus sit et ruinas possit sarcire. Ratiocinatio fere haec est, Logos coelestis creavit hominem, ideo quidem, ut divini spiritus particeps ideoque immortalis esset; ante eum creavit angelos. Utrique libero arbitrio ornati sunt, ut pro meritis pos-

sent remunerari. Postquam autem homo primogenitum angelum secutus a lege divina discessit, mortalis factus est deserente eum spiritu divino. Primogenitus autem ille angelus effectus est daemon; eiusque sectatores evaserunt daemones (c. 7). Hi peccati occasio hominibus fuerunt. Hominibus enim positiones siderum monstrarunt et sic fatum introduxerunt, cum ipsi moderatores sub deorum nominibus fuerunt (cc. 8 et 9) deorum transformationes et hominum animaliumque improborum inter sidera consecrationes induxerunt (c. 10). Absurda est ista de fato sententia. Minime homines fato peccarunt sed libere: ab ipsis productum est malum, non a Deo; qui vero produxerunt repudiare possunt (c. 11). Quomodo autem id assequantur sic exponit. Duo sunt spirituum genera: anima et spiritus divinus (c. 12). Nequit anima immortalis fieri nisi spiritui coniungatur. Per se enim immortalis non est, sed post mortem simul cum corpore perit et cum eodem resurgit in fine mundi, ita quidem, ut pia anima deinceps beate vivat et impia aeterno cruciatui tradatur. Itaque si degat salutaria, deorsum ad materiam vergit,

una cum corpore moriens; cum spiritu autem copulata non caret auxilio, verum eo ascendit quo deducitur ab illo (c. 13). Multo satius est spiritum ducem sequi quam daemones, qui, etsi nunc non moriuntur ut homines, tempore tamen iudicii pari supplicio afficientur atque ipsorum sectatores (c. 14). Danda ergo opera ut animam cum spiritu coniungamus. Nequaquam, ut daemones, spe veniae caremus; sed victi rursus vincere possumus (c. 15). Si vero vincere volumus, cavendum est ne nobis illudant daemones, dum potentiam suam ostendant: vel mali aliquid infligendo, quod quidem potestate spiritus coelestis repellimus (c. 16), vel sanitatem per occultas dissensiones et per mortuorum reliquias promittendo (c. 17) vel rebus permissis alias vetitas adiungendo; non enim sanant sed hominibus illudunt (c. 18). Pravae cupiditates quae in ipsis philosophis damnantur, fidem conciliant spiratis daemonum curationibus et praedictionibus (c. 19). Etiamsi materia adhibita curemur, gratiae eapropter Deo agendae sunt, ac danda opera ut spreta materia illas spiritus alas recuperemus, quibus amissis angeli de coelo detrusi et homines e paradiso eiecti sunt (c. 20).

Comparat scriptor cum institutis christianis

magos gentilium. Ac christianos dum Deum dicunt in forma hominis natum, minime desipere declarat, sed ipsos graecos, dum eiusmodi deos colunt qui aut mortales sunt et improbi, aut, si ad physiologiam trahantur, ad nihilum decidunt (c. 21). Tum argute exagitat mimos (c. 22), athletas, gladiatores (c. 23), alia spectacula (c. 24). Neque sales eius effugiunt philosophi, quorum habitum iactantiam, dissensiones acutis naribus suspendit. Quaerit cur discordes concordibus christianis ac multo praestantiora docentibus bella indicant, et cur Thyestiae coenae christianis affingantur, quum eiusmodi facinora deorum exemplis comprobata sint (c. 25). Ridet etiam inanem graecorum in quaestionibus inutilibus laborem et absurda grammaticae studia (c. 26). Quo tenatiores eiusmodi institutorum graeci, eo magis vituperandi, dum multo praestantiora crimini vertunt christianis. His vero mors frustra intentatur, ut suam religionem mentiantur aut nugas graecorum probent (c. 27). Ne ipsae quidem graecorum leges probandae, quae mirum in modum variae sunt, quum eaedem deberent ubique esse (c. 28). Addit se, quum haec perspexisset ac forte in sacros christianorum (V.T.) libros incidisset,

omnibus veritatis notis quibus ii libri signati sunt captum christianae religioni nomen dedisse (c. 29), quae sit thesaurus plane inaestimabilis (c. 30)....

II. De Homeri, inquit, aetate variae sunt opiniones; argumento est haec dissensio historias graecorum recto talo non stare (c. 31). Apud christianos vero ut nullum gloriae aucupium ita nulla dissensio: ab eorum doctrina nulla aetas aut conditio excluditur (c. 32). Gentiles rident mulierculas et virgines christianae disciplinae addictas; sed prorsus immerito, quum ipsi meretricium discipuli sint et meretricibus (c. 33) improbisque hominibus statuas posuerint (c. 34). Et ne quis haec falsa esse obiiciat, ipse has omnes statuas Romae suismet oculis se vidisse testatur (c. 35). Redit ad Mosen et Homerum, atque illum longe antiquiorem esse ostendit ex scriptoribus chaldaeis (c. 36) et phoenicibus, qui de Mose loquuntur (c. 37), et ex aegyptiis, qui eum tempore Inachi vixisse testantur (c. 38), hoc est annis ante bellum troianum quadringentis, ut patet ex serie regum argivorum (c. 39). Ergo credendum est potius Mosi, quam graecis (c. 40). Immo scriptores Homero vetustiores

superat Moses, atque iis qui sapientes existimati sunt multo est antiquior (c.41).

In conclusione (c.42) declarat se in Assyria natum, primum institutis graecorum imbutum, deinde rem christianam professum esse, cui se ita dicit adhaerescere ut eam abnegare nefas esse iudicet. (Carolus de Otto, Corpus Apologetarum Christianorum s. II vol. VI pp. XXXV–XL).

Varii eruditi varia sentiunt de tempore, quo Oratio Tatiani scripta est. Protestantes Zahn (orthodoxus) et Harnack (rationalista) censent eam prodiisse eo tempore, quo Iustinus adhuc vivebat, spatio scilicet quinque annorum inter 150 et 155, nam in Oratione c.18 et c.19 Iustinus tamquam vivus mentionatur. Sed hic locus in manuscriptis quae conservantur, probabiliter, corruptus est. Ab eo discrepat lectio ex eodem loco citata apud Eusebium et praeferens sensum, qui indicat Iustinum iam esse mortuum. Sed mors Iustini non potest accuratius indicari quam anni 163–167. Cum autem Oratio nullibi vituperet catholicos, ideo censenda est prodiisse antequam Tatianus factus est haereticus. Sed Epiphanius eum haereticum factum fuisse 12 anno Marci Aurelii, scilicet 172/173.

Ergo tempus apparitionis Orationis Tatiani Πρὸς Ἕλληνας includitur inter duos extremos terminos, annos scilicet 163–173. Eruditus Kukula in opere „Tatians sogenannte Apologie" (Leipzig 1900 p. 40 sqq.) putavit Orationem prodiisse post lapsum Tatiani, quia in ea habentur doctrinae a doctrinis orthodoxis diversae, ac proinde post annum 173. Sed haec hypothesis teneri non potest, nam errores dogmatici potuerunt adesse ante lapsum, quia non lapsus erat causa erroris, sed error causa lapsus, quem praecessit. Oratio Tatiani est quidem vehemens, sed dirigitur contra graecos ethnicos non vero contra catholicos.

Forma phraseon quibus Tatianus loquitur de Roma innuit Orationem scriptam esse extra Romam. Tamen certa indicia desunt.

Valor Tatiani in apologia christiana multo minor est quam Iustini. Licet discipulus eius fuerit tamen toto coelo differt ab eo. Commune id habent, quod iuventutem uterque transegit addiscendo systemata philosophorum graecorum. Uterque etiam ~~multum~~ nullum valorem tribuit elegantiae dicendi. Tamen in vituperandi philosophis et

poetis graecorum ac pulchritudine linguae eorum multo vehementior est Tatianus quam Iustinus. Hic committit menda in dicendo, sed nullibi errat errandi gratia, apud illum autem menda sermonis sunt affectata. Iustinus multa laudat apud Socraten et Platonem, Tatianus vero sine ulla mensura philosophorum sapientiam dicit esse damnationem, servitutem, tyranniam. Vehementia Tatiani in vituperandis graecis mensura caret. Ipsum non pudet sic scribere: „Plato philosophus a Dyonisio propter heluationem venditus est. Atque Aristoteles, qui inscite terminum providentiae ponit et felicitatem iis rebus quibus delectabatur circumscripsit, nimis contra magistri officium Alexandro adulabatur oblitus adolescentulum eum esse; qui quidem prorsus aristotelice amicum suum, quod nollet ipsum adorare, inclusum instar ursi aut pardi circumferebat (Oratio ad Graecos c. 2, editio de Otto, Corpus Apolog. vol VI p. 11).

Ingenium Tatiani natura sua capax fuit ad sententias bono ordine ponendas in scriptis; in arte eleganter scribendi iam versatus fuit, ut ipse testatur de se, quando factus est christianus (Oratio c. 1). Nihilominus in apologia

sua tam neglecto utitur sermone, tot accumulat breves et obscuras phrases, ut difficillimus evadat. „Quam obscurum sit orationis genus quo utitur vix dici potest: quocirca fuere qui eum scite Heraclitum redivivum appelarent vel Tertullianum assyrium," scribit Carolus de Otto (Corpus apologet. vol VI p. VII). Vehementia sermonis apud Tatianum quamquam nimis est exagerata, tamen multis in locis oritur ex sincera ac ardente adhaesione ad christianismum. Sua oratio ad Graecos non caruit bono effectu, nam contulit ad evertendum paganismum vigentem. In hoc suo opere adsunt satis multa, ex quibus vita philosophorum s. II melius cognosci potest. Sed id sane maxime dolendum est, quod iam in oratione multa sunt, quae religioni christianae adversantur. De tertia Persona SS. Trinitatis apud eum nullibi fit mentio, Filium Dei seu Logos apparet

tamquam creatura Patris. Itaque Tatianus tam fuit imbutus principiis eorum philosophorum, quos carpebat, ut etiam dogmatum catholicorum plene ac sincere accipiendorum fuerit incapax. Scissio igitur quae postea facta est inter eum et Ecclesiam non fuit res instantanea, sed satis longe praeparata, et praecipuam causam in eo habuit, quod Tatianus non satis conversus fuisset ad Christianismum. Sui animi amaritudo impedivit, quominus ad Christum converteretur perfecte. In c. 40 orationis Πρὸς Ἕλληνας Tatianus scribit: „De nostro igitur instituto, ac de legum nostrarum historia, quaecumque eruditi apud Graecos dixerint et quot et quales meminerint harum rerum in libro adversus eos qui de rebus divinis asseverarunt demonstrabitur." (Περὶ μὲν οὖν τῆς καθ' ἡμᾶς πολιτείας, ἱστορίας τε τῆς κατὰ τοὺς ἡμετέρους νόμους, ὅσα τε εἰρήκασιν οἱ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν λόγιοι καὶ πόσοι καὶ τίνες

εἰσὶ μνημονεύσαντες, ἐν τῷ πρὸς τοὺς ἀποφηναμένους τὰ περὶ Θεοῦ δειχθήσεται.) Ignoratur scriptum-ne sit liber qui his verbis promittebatur, an non. Certum est eum ad nos non pervenisse. Caetera Tatiani opera non sunt apologetica. Editiones Orationis ad Graecos. Editio princeps prodiit Tiguri 1546 inter opera aliorum Patrum antiquiorum sub titulo: Ἐν τῇ παρούσῃ βίβλῳ ἔνεστι τάδε:... enumerantur opera et tandem ultimo loco... Τατιάνου Ἀσσυρίου λόγος κατὰ Ἑλλήνων. Hanc editionem parandam curavit Joannes Frisius, qui eam tradidit Conrado Gesnerio. Quapropter haec editio sub duobus nominibus nota est apud eruditos, Frisii scilicet et Gesnerii. Haec editio solum textum graecum habet. Latinam versionem addit suae editioni Henricus Stephanus adiungendo apologiam Tatiani ad editionem operum s. Iustini 1592. Editiones Marani, Migne et Otto omittimus quia notissimae sunt. Recens editio Eduardus Schwartz. Tatiani Oratio ad Graecos in collectione quae

prodit curantibus v. Gebhardt et A. Harnack sub titulo Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Litteratur Bd IV fasciculus 1 pag X et 105 Lipsiae 1888 apud Hinricho. Commentaria. H. Dembowski, Die Quellen der Christlichen Apologetik des 2 Jahrhundert. Theil I Die Apologie Tatians Leipzig 1878. B Ponschab, Tatians Rede an die Griechen Metten 1895; R. C. Kukula Tatians sogenannte Apologie Leipzig 1900; idem Altersbeweis und Kunstlerkatalog in Tatians Rede um die Griechen Wien 1900. Bardenhewer Alkirchliche Literatur Freiburg Herder 1902. Bd. I p. 245-253 ibique indicata est ubiorior res litteraria. Recentissima: H. U. Meyboom, Tatianus en zijne Apologie (Theologisch Tijdschrift. Leiden 1903; 37, 193-247; 440-442) A Puech, Recherches sur le discours aux Grecs de Tatien, suivies d'une traduction française avec notes (Bibl. de la faculté de lettres de l'univ. de Pari 1903. Pari Alcan.

Athenagoras Atheniensis.

Arethas archiepiscopus Caesareensis multum est meritus de historia litterarum christianarum. Non solum Oratio Tatiani ad Graecos ope solius Arethae conservata est, sed etiam apologia quae inscribitur Ἀθηναγόρου Ἀθηναίου φιλοσόφου χριστιανου Πρεσβεία περὶ χριστιανῶν (Athenagorae Atheniensis philosophi christiani supplicatio pro christianis. De auctore huius apologiae, praeter id quod in titulo expressum invenitur, nihil amplius certi sciri potest. Et Eusebius et Hieronimus et alii antiqui christianarum litterarum scriptores silent de Athenagora. Solus auctor incognitus parvuli scripti historiam scholae alexandrinae referentis et Philippo Sidetae (s. V) attributi narrat Athenagoram imperantibus Hadriano ac Antonino floruisse, ac iisdem imperatoribus apologiam christianorum dedisse. Pseudo Sidetes dicit Athenagoram imprimis fuisse christianorum adversarium ac voluisse christianos refutare scriptis

eorum propriis, sed lectione eorum conversum fuisse, postea factum esse moderatorem scholae christianorum alexandrinae ac discipulum habuisse Clementem Alexandrinum, cuius discipulus fuit Pantenus. Huic testimonio parva tribuenda est fides, nam in eo certe habentur quaedam falsa. Pantenus enim fuit magister Clemendis non vero discipulus. Apologia Athenagorae non Hadriano et Antonino Pio, sed Marco Aurelio et Commodo data est, quod patet ex eius inscriptione. Hi duo errores probant testimonia auctoris non semper esse bene fundata. Porro et tertia sua affirmatio, nempe Athenagoram fuisse scholae Alexandrinae moderatorem parum probabilis esse videtur. Quia Athenagoras huic scholae praeesse potuit eo circiter tempore quo scripta sua confecta sunt, scilicet circa annum 180. Sed inter annos 180 et 200 Alexandrinae scholae praeerat Pantenus. Sitne ficta etiam notitia de hostilitate Athenagorae erga christianos, quae fuerit occasio conversionis, certo sciri non potest.

Tale factum, licet in se possibile sit, saepius tamen solet narrari inter fabulas quam inter veros historiae eventus. Quapropter suspecta sunt donec positivis argumentis probentur. Quidam scriptor alexandrinus Boëtus circa annum 180 scripsit librum de difficilibus dictis Platonis (περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι ἀπορουμένων λέξεων Photius Bibliotheca cod 155) quem cuidam Athenagorae dedicavit. Th. Zahn (Forschungen zur Geschichte des Neutestamentlichen Kanons Theil. III p. 60 editio 1884 satis probabiliter putant Athenagoram Boetick apologetam esse eandem personam. Sed ex eo acquiritur tenue indicium hunc Athenagoram habuisse quasdam relationes cum Alexandria. Quae relationes confirmantur sane falsa illa assertione pseudo Sidetis de rectoratu Athenagorae in schola Alexandrina.

<u>Apologia Athenagorae</u> praeter nomen auctoris indicat statim initio quibus data sit. Non est exclusa suspicio nomen auctoris et titulum operis addita fuisse ab alio homine, sed omnino certum nomina

imperatorum, quibus apologia porrigebatur ab ipso provenisse eius auctore.

Haec secunda inscriptio sic sonat: Αὐτοκράτορσιν Μάρκῳ Αὐρηλίῳ καὶ Λουκίῳ Αὐρηλίῳ Κομμόδῳ, Ἀρμενιακοῖς Σαρματικοῖς, τὸδε μέγιστον φιλοσόφοις (Imperatoribus Marco Aurelio Antonino et Lucio Aurelio Commodo, Armeniacis Sarmaticis, et quod maximum est Philosophis.) De primo imperatore nullum est dubium, nam clare mentio fit Marci Aurelii, de secundo vero scilicet Lucio Aurelio Commodo potest dubium moveri; quia eadem nomina duo imperatores habuerunt, nempe Lucius Verus, Marci Aurelii adoptivus frater, et Commodus filius Marci Aurelii. Dubium dirimitur ex 18 capite apologiae, ubi auctor dicit eam dari „vobis patri et filio“ (ὑμῖν παρὶ καὶ υἱῷ) Preterea Lucius Verus habuit cognomen Commodi antequam factus consors imperii, non vero postea. Sed apologia apologia datur imperatori Commodo, ergo non Lucio Vero. Huius quaestionis declaratio utilis est ad inveniendum

tempus, quo Apologia Athenagorae scripta sit. Nam Commodus, Marci Aurelii filius, titulum imperatoris (αὐτοκράτωρ) accepit die 27 novembris 176 anni. Ergo apologia Athenagorae scripta est post hanc diem. Ea non potuit esse porrecta imperatoribus post 17 martii 180 anni, quia hae die Marcus Aurelius mortuus est. Porro medio capite primo Athenagoras scribit ἡ σύμπασα οἰκουμένη τῇ ὑμετέρα συνέσει βαθείας εἰρήνης ἀπολαύουσιν (universum imperium per verram prudentiam, profunda pace perficitur) Sed mense augusto 178 anni exarsit bellum Marcomanicum. Ergo apologia Athenagorae scripta est inter 27 nov. 176 et mensem augustum 178. Tali pacto iuste communiter origo apologiae Athenagorae designari solet anno 177. Quidam putarunt Athenagoram legatione functum fuisse ex parte Christianorum ad imperatores et ratio invocata est haec, quod apologia inscribitur Πρεσβεία - legatio. Sed legatorum scripta non solent apellari legationes,

nec probabile est s. II exeunte christianos consilia invicem contulisse alicuius viri delegandi ad imperatores gratia; nimis difficilis erat conditio eorum, nec postea aliquid simile egerunt. E contra, scripta apologetica, etiam a non legatis confecta, legationes apellari solent. Sic explicatur inscriptio et perit ratio credendi Athenagoram fuisse christianorum legatum.

Argumentum Supplicationis pro Christianis. (Verbatenus iuxta iuxta C. de Otto) Athenagoras in exordio supplicationis suae... conqueritur quod sub aequis imperatoribus christiani neque in summa erga Deum pietate eandem ac alii in absurdis superstitionibus licentiam (c. 1) neque in summa morum innocentia eandem ac gravissimorum criminum rei formam iudiciorum obtineant (c. 2). Tria dicit afficta esse christianis crimina: atheismum, oedipodeos concubitus thyesteas coenas (c. 3).

I Christianos atheismi falso accusari probat ex eorum de uno Deo vero doctrina (c. 4): cui quum similia dixerint poetae (c. 5) et

philosophi (c 6) nec tamen viri sint athei; multo minus hoc crimine notandos esse christianos, qui non ut poetae et philosophi, Deum frustra quaesiverint sed spiritus divini effatis nitantur (c 7). Hanc christianorum doctrinam confirmari incommodi ex deorum multitudine consequentibus (c 8) et prophetarum testimoniis (c 9). Hinc iam satis apparere dicit christianos non esse atheos. Magis vero hoc inde elucescere quod illi cum Deo Patre ipsiusque Filium colant et Spiritum Sanctum. Quampiam ne illic quidem consistere christianorum θεολογικὸν μέρος (pars quae de Deo tractat) docet, sed eos etiam angelos agnoscere (c 10) Quin etiam ex morum sanctitate christianorum apparere eos revera Deum colere (c. 11), cui aliquando ratio vitae transactae reddenda sit (c 12)

Postquam sic in universum demonstravit christianos falso dici atheos, peculiariter ea refutat qua calumniatores ad calumniam suam aliquatenus confirmandam protulerant. Quum autem crimi-

natio inde potissimum orta sit quod nec sacrificarent christiani nec deos a civitatibus gentilibus receptos colerent, primum ostendit Deum Summum istis sacrificiis non indigere, cui gratus sit tantummodo rationalis cultus (c 13) deinde civitates ipsas demonstrat in diis colendis non convenisse dum alias alios colant (c 14), immo si omnes in hac superstitione convenirent, tamen nihil inde proemii esse his diis, laudandos potius christianos quod Creatorem a re creata discernant (c. 15), nec mundum aut partes mundi, nedum opera hominum colant (c 16) neque deos quorum nomina valde recentia et statuae nudiustertius inventae (c 17). Nonnulli vero obiciebant cultum statuis adhibitum ad ipsos deos referi. Respondet deos illos poet. (c 18) et philosophis (c 19) consentientibus creatos esse ac proinde non colendos. Quod etiam ex absurdis eorum figuris, prave factis (c 20) cupiditatibus, amoribus (c 21) evincit, quae frustra ad naturam revocari demonstrat; si enim, quod quibusdam

placet. v. c. Jupiter ignis sit, non deus est (c 22). Sed quum obiiceretur miracula interdum ad deorum simulacra fieri, opinatam illam efficaciam ut explicet, affert sententias Thalesis et Platonis de demonibus (c 23) Daemones istorum quae ad statuas fiant auctores esse docet: quorum deinceps originem et naturam fusius explicat. Etenim docet angelos a christianis agnosci eosque, quum Dei operibus praepositi fuissent, alios in officio permansisse, alios esse praevaricatos mulierumque amore captos: unde noti sunt gigantes sive daemones (c 24). Hi inquit daemones, itidem ut mali angeli, dum bono Dei adversantur, locum dederunt nonnullis providentiae perperam negandae (c 25). Hi nidarum avidi ad simulacra homines trahunt et eorum nomina, quibus erectae sunt statuae, sibi arogant (c 26) perficiunt ut ad infirmas animas, tamquam a simulacris vita inania effluant, et si quid anima aut coniiciendo diviret aut medendo et curando nuret, huius rei glori-

am arripiunt (c 27). Quum c. 17 promisisset se de nominibus deorum dicturum idque leviter pertinxisset, paulo uberius probat ex Herodoto (c 28) et poetis (c 29) deos illos homines fuisse, et quomodo divinitatis existimationem assecuti sint investigat (c 30). Iam pergit ad reliqua crimina christianis afficta, de quibus in antecessum obserat mirum non esse haec contra illos proferi, quippe quum Pythagorae aliorumque exemplo satis appareat semper virtuti vitium esse oppositum; atque satis ista confutata esse ex christianorum doctrina de Deo et aeterna remuneratione (c 31).

II Quod ad oedipodeos concubitus attinet, demonstrat christianos huius criminis, quod gentiles de diis suis vere praedicent, falso accusari: quippe qui liberiorem adspectum adulterium ducant, in osculis cautionem adhibeant (c. 32) usum matrimonii liberorum procreatione definiant, virginitatem perpetuam colant, secundas nuptias speciosum vocent

adulterium (c 33). Inique fieri ut adulteri et puerorum corruptores in eunuchos et unicis nuptiis contentos invehantur, raptores et malefici in homines non solum iustitiae sed etiam patientiae cultores (c 34).

III Denique Christianos exponit Thyestearum coenarum falso accusari. Nam inquit tales epulae sine homicidio fieri nequierent. At nemo unquam vidisse se dixit hominem a christianis occisum. Nulla eiusmodi facinoris est suspicio in iis qui ne iustam quidem caedem adspicere volunt, nedum gladiatorum ludos, qui abortivis medicamentis uti homicidium, liberos exponere parvicidium existimant (c 35), qui futuram mortuorum resurrectionem expectant: quae quidem doctrina neque ridicula neque nova haberi debet, quum ipsis philosophis gentilibus fuerit probata, de eaque plenius se aliquando disputaturum pollicetur (c 36). In conclusione aequum esse dicit ut, quum omnes criminationes contra christianos collatas diluerit,

imperatores petitioni pro sua in omnes humanitate adnuant (c 37) [J Carolus Theod. Otto, Corpus apologetarum christianorum saeculi secundi vol VII paginae LIII - LVII]
Walor in historia apologeticae. Supplicatio Athenagorae pro christianis scripta est eleganti lingua graeca ac habet frasium suarum claram dispositionem. Argumentatio Athenagorae est stricta ad normas logicas, semper tranquilla et bono spiritu iuridico imbuta. Finis suae apologiae clare positus est demonstrare christianos non esse reos criminum, quae eis obiiciuntur. Hunc finem apologeta attingit provocando ad facta accusationibus a diametro opposita, quae negari omnino non possunt. Non privilegia sollicitat Athenagoras pro christianis, sed ne eis negetur criminum demonstratio iuridica, quae sceleratis conceditur. De nulla accusatione tam dolebant quam de eo quod sibi obiiciebatur atheismus. Huic obiectioni refutandae Athenagoras consecrat

De nulla accusationi tam dolebant quam de eo quod sibi obiiciebatur atheismus. Huic obiectioni refutandae Athenagoras maximam apologiae partem. Triginta septem habet capita, et atheismi obiectionem repellit viginti octo capitibus (4-31)
Refutando hanc obiectionem Athenagoras non solum eis utitur argumentis, quibus utebantur antiquiores apologetae, sed etiam nova addidit. Ipse cum processoribus habet tria argumenta communia. 1º provocat ad christianorum fidem in unum Deum Patrem, Filium, Spiritum Sanctum ac dicit nos credere in angelos creatos a Deo spirit. 2º exponit polytheismi futilitatem et 3º provocat ad auctoritatem prophetarum antiquorum nec non philosophorum et graecorum. Maximum tamen meritum Athenagorae in eo consistit quod ipse primus initium facit positive probandi monotheismum. En sua argumentatio:
„Unum igitur ab initio esse
Creatorem Deum hoc modo considerate, ut percipiatis etiam rationem cum nostra fide-

coniunctam. Si duo erant ab initio pluresve dii, aut in uno eodemque loco erant aut in suo quisque separatim. In uno quidem et eodem esse non poterant. Non enim si dii sunt similes sunt, sed qui infecti sunt non similes sunt, nam quae facta sunt exemplaribus similia sunt, infecta vero dissimilia sunt, quum neque ab alio orta neque ad aliud expressa sint. Si autem, quemadmodum manus et oculus et pes unius corporis sunt partes, unum ex ipsis constituentes, ita Deus unus est? Quamquam Socrates, quoniam ortus et corruptioni obnoxius est, compositus est et divisus in partes; Deus autem ortum non habet et perpessionibus et divisionis expers(est) est, non igitur constat ex partibus. Si vero separatum quisque eorum est, quum mundi creator sit supra opera sua et circa ea quae fecit et ornavit, alter aut reliqui ubi sunt? Nam si mundus, cum sit rotundus, coelestibus sphaeris concluditur, mundi autem creator Deus supra opera sua versatur, illum gubernans his providendo: quis erit alterius dei (at) aut caeterorum locus? Neque enim in mundo est, quum sit alterius; neque circa mundum, supra hunc enim

mundi Creator Deus. Si vero neque in mundo est neque circa mundum (quidquid enim circa hunc est a Creatore occupatur), ubi nam est? Supra mundum et Deum? In alio mundo aut circa alium? Sed si in alio est vel circa alium, neque iam circa nos est (non etiam mundi dominatum tenet) neque potestas eius magna est (in circumscripto enim loco versatur). Quodsi neque in alio mundo est (omnia enim ab isto implentur) neque circa alium (omnia ab isto occupantur), plane non est, quum locus non sit in quo versetur. Aut quid facit, si, quum alius sit cuius mundus est, ipse supra Creatorem mundi, nec tamen in mundo aut circa mundum, versetur? Sed estne aliud quidpiam, in quo stare possit? At supra eum Deus est et quae Dei sunt. Et quis erit iste locus, quum Creator quae sunt supra mundum impleat? Num providet? Nihil sane facit nisi providet. Quodsi nec facit quidquam nec providet nec alius est locus in quo versetur, unus est ille ab initio et solus mundi Creator Deus? Neminem ex hodiernis haec argumentatio persuadere potest, quia in ea utitur Athenagoras quibusdam conceptibus

quae pro veris habebantur suo tempore, nunc autem iam a multo tempore falsa esse evidenter cognoscuntur. Talis est conceptus universi, quod Athenagoras credit esse sphaeram rotundam fortibus limitibus inclusam. Item conceptus relationis inter Deum et locum apud Athenagoram est vitiosus. Philosophia christiana continuo proficiendo et meliorem ideam Dei efficit. – excoluit (s. Augustinus) et ideo argumentum contra polytheismum comparavit tantum, ut polytheismus in philosophia renasci non possit.

Non obstante hac argumenti Athenagoriani infirmitate nos debemus magnam suo auctori praestare honorem. Nam non solum ii laudandi sunt qui argumenta exantlati praestiterint, sed et ii qui his argumentis praeparandis adlaboraverint. –

Athenagoras non fuit primus, qui unius Dei existentiam argumentis rationis probare tentaret. Nam longe ante eum auctor Libri Sapientiae scribebat de vanitate hominum qui Deum non cognoscunt ex eius operibus, sed varia elementa (deos) cultu superstitioso honoraverunt, decepti pulchritudine creaturarum non intellexerunt

Creatorem (Sap. 13, 1–5). Et s. Paulus scribebat „Invisibilia enim ipsius (scil. Dei) a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus et divinitas." (Rom. 1, 20 (Vide Dr. J. Quirmbach, Die Lehre des hl. Paulus von der natürlichen Gotteserkenntnis und dem natürlichen Sitt.-gesetz Freiburg i. Br. 1906. paginae X + 95.)

Argumentum Libri Sapientiae et s. Pauli multo majoris est ponderis, quam argumentum Athenagorae, sed hoc praeterire non licet, quod Athenagoras suum ratiocinium construendo nititur in idea Creatoris, tamquam in fundamento. Librum Sapientiae et s. Paulum secutus agnoscit unum unius universi Creatorem et probare student praeter Creatorem universi nullum alium Deum dari posse. Liber sapientiae et s. Paulus arguunt contra eos, qui Creatorem non agnoverunt, scilicet contra atheos (a?) aut impiorum polytheismum. Athenagoras vero arguit contra eos qui polytheismum cum idea Creatoris contendere studebant.

Faciliter veneratione afficitur erga antiquos unusquisque cui compertum

est, quam parvis passibus progrediebantur scientiae cuius vis evolutio, quantaque habiat impedimenta ad removendum.

Praeter „Supplicationem pro Christianis" Athenagoras scripsit librum de Resurrectione corporum qui conservatus est. Hic liber etiam fine apologetico est confectus, sed cum tractet quaestionem specialis dogmatis, ad nostrum scopum non pertinet. Quapropter eum omittimus. Item omittimus tractare de nimio rigorismo erga secundas nuptias, qui apparet in apologia Athenagorae, nam et haec quaestio ad nos non pertinet.

<u>Editiones Athenagorae</u>. Prima editio prodiit 1557 an. in Zürich curante C. Gesner simul cum libro de resurrectione. Porro apologia edebatur in notissimis illis collectionibus a Marel 1615., Maran 1742, de Otto 1857; ad usum scholarum Americae ediderunt F. A. March et H. B. Owen New York (1856) 1856. Tandem Ed. Schwartz Athenagorae libellus pro christianis. Oratio de resurrectione cadaverum (in collectione Harnack. Texte und Untersuchungen fasciculus IV, 2) paginae XXX+143 Lipsiae apud Hinrichs 1891. praet. M 2.60.

Protestantica editio. —

<u>Commentaria</u>. Th. A. Clarisse, De Athenagorae vita et scriptis et eius doctrina de religionis christianae capitibus. Lugduni Batavorum 1819; A. Eberhard, Athenagoras. Augsburg 1895.; A. Harnack, Die Ueberlieferung der griechischen Apologeten des zweiten Jahrhunderts in der alten Kirche und im Mittelalter. Leipzig Hinrichs 1882 p. VIII+298 praet. 6 mar. L. Arnould. De Apologia Athenagorae. Paris 1898. Richter L. Philosophisches in der Gottes- und Logoslehre des Apologeten Athenagoras aus Athen Leipzig 1905. (protest.) J. Turmel, Athenagoras (in … The New York Review 1905 pp. 189—203) modernista. — J. Geffken, Zwei christliche Apologeten Aristides und Athenagoras (Sammlung wissenschaft. Kommentar. zu griechisch. und römischen Schriftsteller XLIII+333. Teubner Leipzig 1907. praet. 10 mr. — K. Meiser, Zu den Apologeten Aristides und Athenagoras (Philolog 314—316.) 1908.

Theophylus Antiochenus.

Vita. Ex Eusebio Caesareensi (Hist.

Eccl. 4, 20-24) compertum habemus sextum episcopum Antiochenum in Syria fuisse Theophilum Romae Marco Aurelio Imperante. Sanctus autem Hieronymus aliquando sextum eum vocat Antiochenae Ecclesiae episcopum (De viris illustribus 25) aliquando autem septimum (Ep. 121 ad Algas c. 6) Sed in hoc nullo est contradictio, quia aliquando s. Petrus computantur primus Antiochiae episcopus, aliquando vero antiocheni praesules computari incipiunt post Petri transitum Romam.

Eusebius et Hieronymus ac omnes recentiores credunt Theophilum Antiochenum esse auctorem libri, qui in initio simpliciter inscribitur Θεοφίλου πρὸς Αὐτόλυκον (Theophili ad Autolycum) ad finem vero prolixiorem et accuratiorem habet titulum: Πρὸς Αὐτόλυκον Ἕλληνα περὶ τῆς τῶν χριστιανῶν (περὶ) πίστεως λόγοι τρεῖς. (Ad Autolycum graecum de fide christianorum sermones tres). Eruditi communiter censent etiam prolixiorem inscriptionem, quae ponitur ante indicem argumenti librorum ab ipso auctore esse positam.

Sed dubium oritur, sitne ipse Theophilus Antiochenus auctor librorum ad Autolycum. Ratio dubitandi ea est, quod Eusebius dicit Theophili successorem in episcopatu Antiocheno fuisse Maximinum, ac ad episcopatum esse electum anno Abrahae 2193 scilicet nostrae computationis 177. Sed haec notitia componi non potest cum interno argumento libri ad Autolicum.

In hoc enim libro posita est computatio mundi annorum producta ad mortem Marci Aurelii, quae accidit anno 180. Ita igitur tertius liber ad Autolicum scriptus est post diem 17 martii 180 anni. Unde sequitur auctorem suum tunc in vivis fuisse. Sed successor suus non potuit suam sedem occupare ante suam mortem, et occupavit eam 177 anno. Theophilus debuit ideo hoc anno mori. Itaque manifesta est contradictio apud Eusebium. Dubium non est, quin Eusebius in uno erravit aut in attribuendis Theophilo libris ad Autolycum aut in indicando anno electionis Maximini ad episcopatum.

Error in indicando anno electionis Maximini est multo probabiliter, quam in attribuendo altero,

nam in computatione annorum ab Abrahamo, quam Eusebius sequitur vix potest error vitari. Errorem autem in attribuendo libro admittere vetat non sola cognita Eusebii diligentia in indicandis scriptoribus, sed adhuc magis consensus omnium scriptorum, qui inde a s. IV de libris ad Autolycum locuti sunt.


Admisso errore in indicando tempore sationis Maximini ad episcopatum reliqua faciliter componuntur. Tertium librum ad Autolycum esse scriptum post mortem Marci Aurelii ipsa operis loquendi ratio manifestat. Mortem autem auctoris non habemus necesse ponendi statim post scriptum librum, nam testimonia historica non indicant quam longus fuerit sui successoris Maximini episcopatus. Si Theophilus mortuus est quinque annis post scriptum librum nempe 185 anno, Maximinus quinque annis potuit munere episcopali fungi ante suam mortem quae secuta est annis 190/191.

De apologia Theophili. Ea pervenit ad nos in manuscripto codice qui conservatur in bibliotheca s. Marci sub #496 Venetiis. –

Codex hic membranaceus scriptus est s. XI et constat 185 foliis. Prima vice hic codex descriptus est a Carolo de Otto in suo opere „Corpus Apologetarum christianorum secundi seculi vol. VIII pp. XV–XVIII. Ibidem datur specimen scripturae eius codicis, iuxta quem ~~(secundi saeculi; datur specimen scripturae)~~ adornata est sua editio librorum ad Autolycum. Nam ceteri qui ad nostra tempora pervenerunt, deprompti sunt ex codice Veneto.

SPECIMEN CODICIS VENETI.

Bibliotheca s. Marci # 496.



Libri ad Autolicum plenumque utuntur oratione satis incompta.

Theophylus evadit splendorem orationis vanum esse, cum ei desit veritas. Stylum tamen non ita neglexit, ut perspicuitati noceret aut sententiarum ordinem perturbet. Mentem suam exprimit manifestis verbis et probat ista argumentatione. „Omnis eius oratio, ait de Otto, instar placidi fluminis profluit: qua quidem sit, etiamsi fucato abstineat dicendi genere legentium animos allicere et teneri" (Corpus Apol. vol. VIII p. XXXIX. Repetitiones tamen non vitat. –

Theophylus nullibi sibi vindicat philosophi nomen, neque pallio philosophico videtur usus fuisse. Ex suo opere patet eum minus peritum fuisse in scientiis philosophicis quam alii quidquam apologetae s. II. Sed istud ei defuit quod ad perfectam illius temporis eruditionem pertinebat. Poetarum opera sufficienter novit, philosophiae non fuit ignarus, in historia autem caeteris illius aetatis eminebat, nam multo ante Eusebium aggressus est laborem texendi historiam omnium temporum.

Humiliter de se sentiens in Deo suam confidentiam ponit ac christianum nomen sibi carum esse prodit. –

Quoniam igitur, – scribit, – amice, me sermonibus inanibus obtudisti venditans deos tuos lapideos et ligneos, ductos et fusos, fictos et pictos, qui nec vident nec audiunt, sunt enim simulacra et opera manuum hominum, neque praeterea christianum dicis quasi malum nomen ferentem. Equidem confiteor me esse christianum et gratum hoc Deo nomen (je) fero sperans me utilem esse Deo. Non enim ut tu existimas, molestum esse nomen Dei; ita res se habet, sed fortasse, quia tu inutilis es Deo, idcirco de Deo ita sentis" (c. 1).

<u>Argumentum operis ad Antolycum</u> traditus hic verbatenus iuxta de Otto (corp. Apol. vol. VIII p. XLIV – LII.)

Libri <u>primi</u>. Huic libro occasionem fecit sermo Theophili cum Antolico (amico c.c. 1, 14) habitus, fortasse magistratum gerente (l. III c. 9 = 4), erudito quidam viro sed gentilium religioni addictissimo et de christianis male sentiente: qui deorum gentilium defensor et christiani nominis derisor exstitit (c. 1).

Ac primum quidem deos gentilium quod attinet, Theophylus respondet huic Antolyci petitioni „ostende mihi Deum tuum". Demonstrat 1º deum videri non

posse, nisi oculi animae expurgati fuerint (c.2) 2º Si quis postulet, ut Dei forma exprimatur id prorsus fieri non posse, quia nihil de Deo possumus dicere quod non longe infinita eius virtute superetur. (3, 4) 3º etiamsi Deus non cernatur oculis, ex providentia tamen (c.5) et operibus eum cognosci (ch) 4º Tum demum fore ut Deum videamus, quum mortale exuerimus et incorruptionem induerimus (c.7) Sed quia resurrectionis fides abhorrebat ab Autolici ingenio, conatur Theophylus incredulum flectere animum. Probat in multis artibus variisque in rebus ad vitae cultum pertinentibus nihil sine fide ad exitum perduci: quanto magis Deo, a quo creati sumus quum antea non essemus, fidem denegari non debere. Tum Autolicum exagitat quod, quum statuas deos esse et mira efficere credat, credere nolit Deum a quo creatus sit iterum posse ad vitam revocare (c.8) Simul persequitur deorum istorum flagitia (c.9), animalia ab Aegyptiis culta, matrem deorum, eiusque filios Caesari vectigales (c.10): unde concludit Caesarem multo magis quam eiusmodi deos honorandum esse, itam tamen, ut nequaquam adoretur. (c.11). —

Iam christianorum nomen quod attinet, demonstrat Theophylus id non risui, ut deos Autolici, dignum esse, sed rem maxime suavem ac utilem significare (c.12). Quum autem petiisset Autolicus aliquem sibi ex mortuis si quem vidisset eiusmodi, reiicit eum Theophylus ad Herculem Aesculapium ac crediturum dubitat etiamsi mortuorum aliquem ad vitam revocatum videat. Sed tamen, ut obstinatum frangat animum, dicit in rebus ante oculos positis imagines quasdam resurrectionis, velut in dierum noctiumque vicibus, in mirabili frugum ac plantarum nascendi ratione, in lunae decrescentione interitu resurrectione, in hominum aegrotantium ad pristinam sanitatem et formam restitutione (c.13) Suum denique exemplum proponit: quemadmodum ipse olim incredulus, tum rationibus illis tum scripturarum lectione eventuque propheticorum oraculorum convictus, crediderit, idem nunc Autolyco faciendum censet, ne, si aliter credere nolit, frustra credat aliquando in aeternum ignem coniectus (c.14).

Libri secundi. Hunc librum produxit insecuta Autolici cohortatio ad idem argumentum fusius continuandum. —

Itaque Theophylus demonstrare instituit stultitiam superstitionis, cui ille addictus erat, eique veritatis lucem ex prophetarum libris efflorescentem opponit. (c. 1).

Illam superstitionem quod attinet, primum observat, quemadmodum operarii opus suum non magni faciunt dum elaborant, at venditum et in templo collocatum adorant, sic eos qui genealogias deorum legunt non inficiari homines fuisse, postea tamen ut deos colere (c. 2). Deinde quaerit cur dii gignere desierint, cur Olympus vacuus sit qui diis repertus esse deberet, cur Idam Jupiter reliquerit! (c. 3). Tum ad scripta transit philosophorum et poetarum. Ex philosophis alii Deum prorsus negant aut providentiam tollunt, alii mundum increatum dicunt neque alium deum esse quam suam cuiusque conscientiam; ipse Plato, qui Deum increatum et omnium creatorem docet, materiam cum eo increatam coniungit (c. 4). Homerus deorum originem ex aqua repetit. Nec sanior est sententia Hesiodi (c. 5); materiam is increatam et simul Creatorem creationum statuit et inepte loquitur de deorum prosapia (c. 6). —

Denique nugas profert historicorum, ut Satyri, qui Ptolomaei Philopatoris genus a Baccho longa serie repetat (c. 7). Unde Theophilus concludit scriptores omnes, philosophos, poëtas, historicos, errore labi: id quod confirmat etiam ex eorum de mundo et providentia dissensionibus, speciminis loco nonnullas afferens poetarum de providentia discrepantes inter se sententias (c. 8). Longe dissimilis est prophetarum doctrina, quos Spiritu Sancto plenos fuisse probat eventus eorum, quae praedixerunt (c. 9). Hi summo consensu docuerunt mundum a Deo per Logum ex nihilo creatum fuisse (c. 10). Opus sex dierum describitur in libro Genesis (c. 11). Unde scriptores gentiles nonnulla hauserunt, sed ea errore corruperunt (c. 12). Jam Theophilus plura exponit de tribus primis diebus: scilicet Deus initium ducit ex ipso culmine; spiritum rebus creatis, ut animam homini, tribuit; terram aquis remotis ornat herbis, seminibus, plantis (c. 13). In his habemus imaginem resurrectionis, in mari imaginem mundi (c. 14). Variae considerationes de iis quae quarto (c. 15) et quinto (c. 16) et sexto die creata sunt (c. 17). Hominis creatio singulare quidpiam habet (c. 18): ea declaratur

homo in paradiso collocatur (c. 19). Apponuntur quae in libro Genesi referuntur de Paradiso. Evae formatione hominis lapsu (c.c. 20. 21). Quod Deus in paradiso ambulasse dicitur, id Theophilus docet de Logo eius intelligendum esse (c. 22). Veritatem autem eorum quae in Genesi narrantur manifestum esse demonstrat ex mulierum parturientium doloribus et serpentis statu (c. 23). Iam postquam Paradisi ornatum descripsit (c. 24), probat accusandum Deum non esse quod ligno scientiae Adamum prohibuerit (c. 25), aut praevaricatori mortem infixerit (c. 26): nec mortalem Adamum nec immortalem creari par erat, sed capacem utriusque (c. 27). Eiectus Paradiso Adamus cognovit uxorem suam, quam ex eius costa Deus armaverat, ut et singularitatis Dei argumentum exhiberet et coniugalem amorem arctius adstringeret (c. 28). Eva peperit Cainum ac deinde Abelum. Caini scelus et punitio (c. 29) et posteri recensentur. Ab iis artes inventae sunt, de quibus scriptores gentiles nihil potuerunt nisi fabulosum dicere (c. 30). Eiusdem Scripturae beneficio cognoscimus originem maximarum urbium, divisionem linguarum, seriem antiquissimorum regum (c. 31), rationem dissipationis humani generis in universum terrarum orbem (c. 32). Harum rerum omnium cognitio frustra in libris gentilium quaeritur (c. 33). Prophetae vero non solum de mundi

creatione nos docuerunt, sed etiam de Deo colendo et vita recte instituenda praecepta tradiderunt (c. 34): id quod speciminibus ex libris eorum illustrat (c. 35), multis additis Sybillae versibus (c. 36). Quin etiam poëtae de poenis sceleri infligendis (c. 37), de mundi conflagratione et aliis rebus nonnulla dixerunt quae cum prophetis consentiunt (c. 38).

Libri tertii. Quum priores disputationes animum Autolyci non infregissent, Theophilus ad hunc librum exarandum aggressus est. Declarat sibi propositum esse antiquitatem scripturarum christianarum ab origine repetitam ei ante oculos ponere, ut tandem aliquando intelligat scriptores quorum admiratione tenebatur nullius esse pretii (c. 1). Nam neque suis ipsi oculis viderunt quae litteris mandant, neque didicerunt ab his qui viderunt (c. 2): inter sese et secum ipsi pugnant, deos esse nunc asserunt, nunc negant, providentiam mox defendunt mox evertunt, stupra et adulteria docent, ipsis diis horrenda flagitia et scelestas coenas attribuunt (c. 3). Eiusmodi rebus Theophilus lubenter supersedisset; sed quum vidisset Autolycum adhuc animo fluctuare ac sermonibus hominum insanorum moveri, qui Christianis 1º epulas humani carnis et 2º promiscuos concubitus affingebant atque eorum doctrinam esse recentem dictitabant,

uberiorem sibi disputationem de christianorum innocentia et antiquitate suscipiendam esse indicavit (c. 4). Primum igitur demonstrat istorum criminum gravissima in scriptoribus gentilibus indicia; nullam prorsus in christianis haerere suspicionem. Etenim nonnulli philosophi, ut Zeno Cleanthes Diogenes docent humanas carnes vorare et ne parentibus quidem parcere (c. 5). Omnes fere de incestis concubitibus conveniunt: Plato communes uxores esse praescribit et Epicurus consuetudinem stupri cum matribus et sororibus commendat. Immo haec nefanda flagitia non dubitant in deos ~~trans~~conferre (c. 6). Nam quum nihil omnino constanter sentiunt, eos dicunt aut ex atomis constare aut in atomos obire, aut materiales esse aut nullam hominum curam gerere; animam immortalem quum dixerint, in alio hominum vel belluarum corpora migrare assererant; providentiam alii probant, alii explodunt (c. 7). Qui vero deos esse negant eosdem esse rursus affirmant, iisque incestos concubitus et epulas humanae carnis attribuunt (c. 8. – Christianorum vero doctrina est longe sanctior. Unum Deum esse credunt eiusque providentia mundum gubernari, et ab eo le-

ex decalogo Moisi a Deo dato (c. 10). Apponuntur prophetarum testimonia de poenitentia (c. 11) et iustitia (c. 12) et castitate (c. 13). Nonnulla ex Novo Testamento adduntur de inimicis diligendis et gloria inani effugienda et obedientia magistratibus praestanda (c. 14). In homines tali doctrina imbutos non cadunt nefasta ista humanarum epularum et promiscuorum concubitum facinora; immo tanta est christianorum hac in re cautio ut neque gladiatorum spectaculis ipsis interesse liceat ne caedis conscii fiant, neque alios ludos obire, ne ipsorum aures aut oculi contaminarentur (c. 15). Tum Theophilus probat doctrinam christianorum minime recentem esse. Primum argumentum inde ducit quod graeci nihil prorsus viderint in numerandis mundi annis (c. 16), quos christiani ex prophetarum oraculis cognitos habent (c. 17), et in narrando diluvio erraverint (c. 18), quod a Mose propheta accuratissime describitur (c. 19). Aliud argumentum suppeditat Moisis (c. 20) et exitus ex Aegypto (c. 21) et templi iudaici antiquitas (c. 22). Ipsi prophetae antiquiores sunt scriptoribus graecis (c. 23). Atque haec omnia uno conspectu ponantur, anni haebraeorum numerantur ab Adamo usque ad reditum ex captivitate Babylonica (cc. 24, 25). E[illegible]uo

facilis est comparatio quantum inservit inter christianorum et graecorum historias et utrorumque de mundi origine doctrinam (c. 26). Ne quid autem desit huic chronologiae, romanorum anni pertexuntur ad obitum usque Marci Aurelii (c. 27). Tum totius chronologiae capita praecipua summatim recensentur (c. 28). Ex his concludit quam immerito christianam doctrinam nonnulli vellicent tamquam recentem (c. 29). Perorat Theophilus librum duplici causa allata cur scriptores graeci hebraeos raro commemorent, quarum prima est quod recens apud eos sit litterarum cognitio, altera quod non desinunt fabulas amare et veritatem odisse ac insectari (c. 30). Valor Theophili in historia apologeticae artis cognoscitur ex comparatione eius cum praecessoribus. Imprimis hoc tenendum est quod Theophilus parum loquatur de Verbo Incarnato, qua in re idem ipse multum distinguitur a S. Justino eiusque sectatoribus. Causa huius silentii non est sane quaerenda in defectu fidei Theophili, quia tota apologia testatur antistitem Antiochenum fuisse obedientissimum in omnibus ac praecipue in dogmate, cui maximum pondus tribuebatur ab ipsis christianismi

exordiis. Silentium hoc aptissime explicatur ex ipsa apologiae Theophili indole. Indolem hanc sequente enuntiatione exprimere possumus: ubicumque viget discrepantia doctrinae inter christianos et graecos, satis est ponere utramque ante oculos mentis, ut sanum cor statim percipiat sublimitatem doctrinae christianae et inanitatem narrationum graecorum. Hanc indolem suae apologiae Theophilus expressis verbis non proposuit, sed in multis locis ea usus est tanquam criterio. Itaque Theophilus credit in unum Deum, quod hoc magis est consentaneum, quam fabulae de multis diis et criminosis. Christianam narrationem de origine mundi sequitur Theophilus ideo quod ipsa melius explicat hanc maximam questionem quam multi gentiles et hypotheses philosophicae. Praefert narrationem Moisis de Noe mytho de Deucalione, ideo quod illa accurate rem describat, haec vero non. Sed manifestum est hoc methodo Theophilum non potuisse uti ad commendandum dogma incarnationis Filii Dei. Hoc enim dogma non mentis sanae iudicio percipitur, sed fide creditur. Praeparat Theophilus Antiochenum ad hanc idem capite octavo pri-

mi libri, ubi ostendit in multis artibus variisque in rebus ad vitae cultum pertinentibus nihil sine fide ad exitum perduci ac concludit adhuc magis nos fidem debere Deo, cum ipse nos, qui antea non fuissemus, creavit ut essemus. Theophilus igitur primus est inter apologetas, qui clare de fide eiusque necessitate loquatur. Iustinus directe praedicabat incarnationem Verbi esse Veritatem ac proinde assensum mentis ei ~~debetur~~ deberi. Athenagoras dixit non esse discrepantiam inter veritatem philosophicam et doctrinam christianam. Theophilus autem loquitur de fide tamquam de obedientia, quam mens creata debet suo Creatori. Multa sane sunt argumenta quibus officium fidei commendari possit, sed maximum et essentiale inde sumitur, quod creatura Creatori obedire debet. Hoc argumentum, ut videmus, iam a Theophilo clare propositum est. In hoc consistit maximum, nisi fallor suum meritum. Inter antiquissimos scriptores christianos fuerunt sane, qui doctrinam Christi multi aestimabant tamquam suam persuasionem eamque amabant eodem ardore quo quisque philosophus prosequitur sua placita. Apologia Theophili testatur eum multo sublimiorem affectum fuisse erga fidem catholicam.

Ipse non quaerebat ornamenta sententiarum, veritatem autem amabat, ut iuxta eam viveret. Amor Dei, humilitatis, zelus in toto opere scatent. Sicut ceteri sancti apologetae Theophilus indicando falsitatem polytheismi et errores philosophorum, ad quod quidem ipsa necessitas eos cogebat, nullibi Theophilus delectatur in ventilandis adversariorum vulneribus. Fortiter evertendo errores parcet personis. Sed in hac re non utitur mollitie, nam ultimo (14) capite primi libri monet Autolycum de aeternitate poenarum. Ex Theophilo, nisi fallor, tamquam fonte historico comperta habemus quaedam de sententiis et doctrinis eorum philosophorum, quorum opera perierunt. Ratio autem perdendi fuit immoralitas argumenti.

Communiter cum aliis apologetis Theophilus multum contulit ad evertendas obiectiones quae contra christianos in vulgo et apud eruditos spargebantur, nec non multum elaboravit ad labefactandum polytheismum, probando nihil in eo esse quod verum sit eorum oculis mentis et multa narrari quae moribus noceant.

<u>Editiones</u> Theophili trium librorum ad Autolycum. Editio princeps prodiit Zürich in 1546 an. curantibus J. Frisio et C. Je-

scripto. Praeterea opus Theophili habetur in editionibus illis omnibus, quos publici iuris fecerunt Morel Parisiis 1615; Maranus ibidem 1742, C. de Otto (Corpus Apologetarum -II) Jenae 1847-1872, Migne P. G. v. VII.

Commentaria. L. Paul, Der Begriff des Glaubens bei dem Apologeten Theophilus (Jahrbücher für protestantische Theologie. vol. I an. 1875 p. 546-557). -G. Karabangeles, Ἡ περὶ Θεοῦ διδασκαλία Θεοφίλου τοῦ Ἀντιοχέως (Doctrina de Deo apud Theophil. Antioch.) Lipsiae 1891 (dissertatio ad gradum doctoris). – O. Gross, Die Gotteslehre des Theophilus von Antiochien. Chemnitz 1896. – A. Ehrhard, Die altchristliche Litteratur und ihre Erforschung von 1884 bis 1900. Freiburg Herder 1900, p. 245-249. O. Bardenhewer, Geschichte der altkirchlichen Litteratur Freiburg im Br. Herder 1902, vol. I p. 278-290. – Abundantiores notitiae de operibus, quae de Theophilo Antioch. tractant vide Richardson, Bibliograph. Synopsis 35-36. –

Hermias Philosophus.

Carolus Otto, cum Corpus Apologetarum saeculi secundi edebat, duodecim codices manuscriptos novit, in quibus legebatur Ἑρμείου φιλοσόφου διασυρμὸς τῶν ἔξω φιλοσόφων (Hermiae philosophi irrisio philosophorum extraneorum).

Omnes hi codices pertinent ad saeculum decimum quartum, decimum quintum, aut decimum sextum. Anno autem 1890 graecus J. Sakkelion Athenis Πατριακὴ Βιβλιοθήκη, ubi describit manuscriptum codicem, quem refert ad s. X, in quo etiam codice invenitur Hermiae Irrisio. Tres alios codices manuscriptos nominat A. Ehrhard (Gesch. der altchrist. Litt. und ihre Erforschung 1884 bis 1900. Freiburg, Herder 1900, p. 252), qui omnes sunt ex saec. XVI et valorem non habent. Testimonia historica de Hermia et eius scripto desunt apud antiquos. Indicia interna ex quibus aetas libelli determinari possit sunt tam parva tamque ambigua, ut eruditi abeant in diversissimas sententias. Diels (Doxographi graeci Berolini 1879 prolegomena p. 261) scribit de hoc libro: „Nescio alii quid sentiant; mihi quidem summo ingenii artisque inopia in qua insulsissimus ille buro tamquam gloriatur labentis aetatis testimonium videtur." Hac consideratione ductus Diels putat irrisionem provenire ex saeculo V aut VI. Non deest ratio quae hanc sententiam confirmat. Num s. V ad finem vergente ultima fuit ardensque pugna inter philosophos christianos et gentiles, quae ista

fuit provinciae scripta umaris virilis urdentiousque verbis referta, quae omnia inveniuntur in Irrisione. Sed haec pugna fiebat inter christianismum et neoplatonismum. Maximi christianorum adversarii ex eo tempore fuerunt neoplatonici Plotinus, Porphyrius, Proclus. Hermias autem nemisiamcorum nominat nec sententias ipsus cognoscere videtur, sed impugnat platonicos, peripateticos, stoicos, pythagoraeos, Epicuris sectatores, qui omnes actualiter christianis adversabantur usque ad saeculum tertium. Quapropter Bardenhewer Irrisionem Hermiae censet esse scriptam saeculo tertio (Altkirchliche Litteratur I volum. 302 pag.) Bardenhewer argumentum istud sumpsit a Carolo de Otto, qui scribit: „Quoniam ergo, ut liquet ex iis quae disserui, Hermiae opusculum optime quadrat ad illud tempus h. e. secundi saeculi extremum (180-200), nobis non opus est ut seriora circumspiciamus tempora" (Corp. Apol. vol. 9 p. XLVI). Argumentum Irrisionis Hermiae verbotenus iuxta de Otto traditum: Quando quidem philosophia ab angelis malis principium cepit, absurdes sunt et inter se, pugnantes philoso, ho-

rum sententiae. Etenim philosophi non conveniunt 1° de anima h. e. eius natura (c. 1), summo eius bono, eius immortalitate ac post hanc vitam statu, sed alii in alias opiniones absurdissimas abierunt (c. 2). Multo minus 2° de Deo et de mundo quod verum est statuere. Jam adduntur 3° philosophorum de rerum principiis dissensiones. De principiis cum Anaxagora Melissus et Parmenidas pugnant, et Parmenidi adversatur Anaximenes (c. 3). Siquis Empedoclem sequatur ab eo abducet Protagoras, a Protagora Thales, a Thalete Anaximander (c. 4). Magna est Archelai fama, sed neque ei Plato assentitur neque Platoni Aristoteles (c. 5). Phericidis doctrinam nugas esse existimat Leucippus. Democrito ridenti repugnatur plorans Heraclitus (c. 6). Epicurum videt Cleantes capite e puteo elato. Carneades et Clitomachus contendunt nihil mente comprehendi posse ac semper veritatem falsum quamdam speciem adhaerescere (c. 7). Pythagoras ex numeris elementa componit (c. 8). Quodsi in metiendo, secundum Pythagorae placitum, universo mundo lemmus trines (c. 9).

innumeros dimetiuris. Ex illis concludit Hermias philosophium nulla evidenti ratione niti (c. 10). Apologeticus valor Irrisionis Hermiae est admodum parvus, num idea quam ipse suggerit lectoribus, philosophiam scilicet esse inutilem, est exagerata. Porro irrisio non studet ea philosophorum placita refutare, quae ab ipsis reapse proferebantur, sed nimis superficialiter eorum sententiis propositis irridet eas. In toto opusculo apparet irrisio eorum, qui errabant, nullibi vero lucet tranquillus et fortis amor veritatis.

Editiones Hermiae. Antiquissimam paravit J. Oporinus curante R. Seiler'o Basileae 1553 an. Editiones communes. Morel 1615. Maranus 1742. Migne P. G. VI de Otto 1872.

Commentaria. Harnack. Texte und Untersuchungen f. I Lipsiae 1882; Geschichte der altchristlichen v. I p. 782; A. Ehrhard, die altchristliche Litteratur und ihre Erforschung von 1884-1900. Freiburg Herder 1900. p. 252.- O. Bardenhewer, Geschichte Altkirchlichen Litteratur. Freiburg Herder 1902 t. I p. 299-303.- R. Knopf, Ueber eine neu untersuchte Handschrift zum Διασυρμὸς τῶν ἔξω φιλοσόφων der Hermias.

(Zeitschrift wissenschaftliche Theologie. Bd. 43, Jahr 1900, pag. 626-638).- A. di Pauli, Die Irrisio des Hermias (Forschungen zur christlichen Litteratur- und Dogmengeschichte, herausgegeben von Ehrhard und Kirsch. Mainz Kirchheim VII volumen, II fasciculus. Mainz Kirchheim 1907).

Marcus Minucius Felix.

In bibliotheca nationali Parisiensi conservatur codex manuscriptus s. IX confectus, nunc numero 1661 designatus in quo leguntur octo libri Arnobii Adversus nationes. Sed s. Hieronimus in Epistola Jo ad Magnum c. 5 testatur Arnobium scripsisse Adversus gentes libros septem. Porro octavus liber in memorato codice et argumento, et lingua et caeteris indiciis internis evidentibus manifeste apparet esse opus auctoris diversi ab eo qui scripsit primos septem libros. Tandem in proemio octavi libri auctor dicit se voluisse monumentum piae memoriae defuncti sui amici Octavii facere et hoc fine statuisse scribere dialogum, quem hic amicus habuit cum alio amico Caecilio, quem ad fidem christianum convertit. Nulla fuit diffi-

cultus inveniendi auctorem huius libri, qui additus est septem libris Arnobii. Lactantius enim in opere Divinarum Institutionum l. 5. c. 1. 22 et ss. Hieronymus in opere De Viris Illustribus c. 58 testantur a Marco Minucio Felice scriptum esse dialogum, cui titulus Octavius. Amanuensis, qui codicem illum Parisiensem saeculo nono confecerat, fuit homo aut negligens aut parum cultus, quia multa adsunt in codice menda et errores, qui non auctori sed sibi debentur. Menda illa sunt tam multa, ut critici nostri aevi non parum insudare debent ad restituendum integrum textum Arnobii et Minucii Felicis. Quapropter errori huius amanuensis tribuendum est, quod liber, qui inscribebatur „Octavius" factus es octavus et attributus fuit Arnobio.

De vita Marci Minucii Felicis admodum pauca tradunt Lactantius et Hieronymus. Ipsi tradunt eum fuisse eminentem causidicum et iudiciaria cura occupatum fuisse Romae in Foro, quod et in dialogo confirmatur. In dialogo auctor dicit se iam provectionis aetatis virum

fuisse, cum ex alta caligine ad lumen sapientiae et veritatis ascenderit.

Octavius Januario fuit suus condiscipulus et postea comilito in cura iudiciaria, ante eum Christianus factus est, sed vixit in quadam provincia transmarina. Caecilius autem Natalis alter amicus Minucii Felicis, probabiliter Cirtae in Numidia oriundus[1] Romae vivebat atque fortiter addictus fuit dominanti in imperio Romano religioni ethnicae. Itaque dialogus, qui inscribitur Octavius est sermocinnatio inter tres nominatos viros: Octavium, Caecilium et Marcum.

Argumentum dialogi. Cum Octavius Romae apud amicum suum Marcum Minucium Felicem moraretur, accidit, ut simul cum eo et cum amico eius Caecilio Natali irent

1) Loquendo de Frontone qui erat Cirtensis Caecilius dicit: „Cirtensis nostri testatur oratio", Octavius autem respondendo ait: „Tuus Fronto" (Octavius c. 31, 2).

ambulare ad litus maris. Ad viam invenerunt statuam Serapidis. Caecilius manum ori admotus osculum labiis impressit, sic adorando deum. Octavius statim vituperavit Marcum propterea, quod amicum suum in hoc imperitiae vulgaris caecitate deseruit.

Postquam ad litus maris pervenerunt sermones inter se amici hilarius conferre coeperunt, Caecilius autem silebat et, interrogatus a Marco, fatebatur se esse verbis Octavii male affectum. Tunc communi consilio statutum est quaestionem de vera religione de toto et integro tractari inter Octavium et Caecilium. Marcus vero electus est iudex. Tres amici considerunt in pariete lapidea quae ad mare aedificata erat. (cc. 1-5).

Incipit sermo Caecilii, qui dicit nullam dari certam veritatis cognitionem, nullum probabile testimonium de vita post mortem.

Conamina philosophorum veritatem non attigerunt. Cum christiani, qui nulla cultura praediti sunt, resolvere contendunt eas maximas quaestiones, quarum impares fuerunt maximi quique philosophi, hoc non est nisi audax conatus et imprudens. Itaque aut impervia est veritas hominibus aut regnat in mundo soluta legibus fortuna. Quapropter non solum commendandus, sed etiam obligatorius est cultus deorum patriorum. Antiqui sancte deos romanorum colebant, quapropter in virtutibus proficiebant ac universo orbi terrarum dominari coeperunt. Christianorum molimina contra traditam a patribus religionem omnem merentur vituperationem. Christiani non sunt nisi secta tenebrarum amans et in tenebris probrosa scelera perpetrans. Ipsi enim asinum colunt, ornant crucem et cruci affixum, in suis mysteriis occidunt infantem eiusque

carnes vorant, nocturnis in conventibus crimina sexualia committunt et genitalia sacerdotum adorant. Deum habent phantasma aliquod ridiculum: nemini visibile ubique praesens. Praeterea christiani credunt futurum universi interitum in flammis, cadaverum resurrectionem et iudicium. Spe futurae felicitatis decepti abnegant praesentia bona et iucunditates sublimes, quod non est nisi imbecillitatis mentis iudicium. Si tamen Deus eorum posset stare iucundis promissis in altera vita, liberaret eos ab aerumnis praesentis. Aerumnae hae sane possent probare inanitatem eorum fidei, nisi hebetudo mentis impediret. Ignorant futura involuta esse tenebris non penetrabilibus. Iam Socrates dicebat quod supra nos nihil ad nos. Simonides autem annuit eo minus de natura deorum scire posse, quo diligentius ea investigetur. Quod quidem probandum est, quae dubia sunt relinquenda sunt tamquam dubia. Ubi tot talesque eximii viri defecerunt, non licet temeras promere definitiones, ne aut

anilis inducatur superstitio, aut omnis religio destruatur.

Respondet Octavius contradictionem esse inter principia scepticismi et fidem in religionem patrum, porro indicat hominem ius habere et officium investigandi veritatem. Homo qui graditur erectus, qui coelum adspicit ius habet cognoscendi veritatem. Ac rursus ex constitutione corporis et ex gubernatione mundi statim apparet providentia divina. Quaestio fieri potest nonnisi de eo, unusne sit Deus an plures. Sed una est abelarum regina, unus est pastor gregis, ex hoc igitur iam sufficienter videri potest unum esse universi moderatorem. Ipsa popularis loquendi ratio monotheismo favet, quod confirmatur auctoritate philosophorum et prophetarum.

Polytheismus ortus est ex seriore errore. Dei fuerunt homines, quod Euhemerus probavit, quibus propter eximia merita cultus divinus exhiberi coepit. Roma autem potens et magna facta est non ope deorum, sed ope rapinarum et violentiae.

Accidit quidem haruspicibus, auguris et oraculis aliquando vera praesagire, sed hoc fuit aut casu aut ope daemonum. Generatim erroris et pravitatis fons sunt spiritus illi qui Deum prodiderunt. Ipsi statuis deorum praestant speciem praesentiae divinae, inspirant vates, vivificant nervos et viscera immolatorum animalium, moderantur avium volatum atque, odio erga christianos cum ardeant, odium hoc iniungunt cordibus gentilium.

Omnes a Caecilio allatae christianorum accusationes ex calumniis ortae sunt, quas calumnias daemones spargunt in populo. Ethnici ideo credunt has calumnias, quia apud ipsos non raro accidit talia crimina reapse fieri.

Licet non possint Christiani Deum ostendere, cum nec ipsi Eum videant, tamen inde nihil sequitur. Nam et sol, licet sit luminis fons, ab oculis tamen non percipitur. Quomodo igitur possit oculus humanus tantam luminis claritatem impune videre, quanta est in Deo. Sicut sol qui fixus est in coelo, radiis

autem suis ubique penetrat et omnia vivificat, ita et Deus, cum sit in throno suo caelesti, adest simul et in terra ac omnia penetrat.

Fides christianorum in finem mundi, in resurrectionem corporum in iudicium post mortem non est absurda, nam ei patrocinantur philosophorum et poetarum dicta.

Eloquentia Octavii dialogo progrediente continuo fit maior atque praestantior ita, ut ad finem Caecilius fateatur se esse convictum; nec opus est provocare ad sententiam Marci qui electus fuit, ut esset iudex controversiae.

De aetate dialogi eruditi satis varias proferunt sententias. Tamen nemo ponit eum ante medium saeculum secundum, cum in dialogo nominatur Fronto Cirtensis, qui mortuus est an. 175. Nemo etiam serius potest tribuere aetatem quam initia saec. IV, quia dialogus memorat infelicem christianorum conditionem Romae adhuc vigentem, quod sane non fuit post annum 312.

Lactantius et s. Hieronymus loquendo

de Octavio, coniungunt hunc dialogum cum Apologetico Tertulliani, sed non concordant. Cum enim Lactantius innuit Minucium Felicem scripsisse ante Tertullianum (Div. Institut. 5, 1, 22), Hieronymus e contra profert Minucii opus esse recentius quam Tertulliani liber scriptus anno 197. Res est tam difficilis, ut definitione vix dirimi potest saltem eiis mediis, quae critici hodie praesto sunt.

Dubium non est, quin haec duo opera sint in arcta relatione inter se, nam multae sententiae sunt communes. Comparatio autem communium sententiarum evincit eas esse et breviores apud Minucium et quasi delineatas, apud Tertullianum autem plene evolutas. Ex. e. Minucius 28, 6 breviter dicit, famam saepe errare, ...lianus autem in simili idearum con...e. inserit uberiorem dissertationem ...atura famae (Apol. c. 7). Minucius censet per se patere homines non posse fieri deos (c. 21, 9), Tertullianus autem hac sententia utendo eam demonstratione adornat (c. 11).

Sed maximum iudicium dependentiae

Tertulliani a Minucio Felice est locus (Octavius 21, 4) ubi legitur: „Nepos et Cassius in historia." Tertullianus autem (Apolog. c. 10) scribit „Cassius Severus aut Cornelius Nepos." Evolvendo zetam Minucii sententiam Tertullianus erravit, nam non novit extitisse s. II ante Christum natum historiarum scriptorem parum notum Cassium Heminam, optime autem noverat Cassium Severum rhetorem, qui celeber fuit imperante Augusto. „Si diligenter Tertullianus dialogum legisset, hunc errorem non fecisset," ait Bardenhewer („Und die Quelle des Irrtums kann nur oberflächliche oder allzu eilige Lesung des Dialoges sein." Bardenhewer, Gesch. d. altkirch. Litt. I, 312).

Contra hanc argumentationem obiici potest inscriptio anno 1880 inventa Cirtae in Numidia. Haec inscriptio sonat: „Marcus Caecilius Quinti filius Quirina Natalis." Inscriptio probat hunc M. Caecilium fuisse Cirtae triumvirum et ad honorem imperatoris Caracallae arcum construxisse. Cum Caracalla dominaset a 211 ad 217, ergo M. Caecilius eodem tempore vivere debuit. Sed iste Caecilius est idem ac ille

qui participat in dialogo Minucii Felicis, nam et Caecilius vocatur et cognomen habet Natalis et uterque Cirtensis. Dialogus itaque debuit esse scriptus saltem initio s. III ac proinde post Apologiam Tertulliani.

Sed haec argumentatio non videtur esse omnino stricta, nam 1° Caecilius triumvir Cirtensis potuit aut filius, aut consanguineus illius Caecilii esse, qui conversus est ad Christianismum ab Octavio convictus, quod recte animadvertit Bardenhewer (Alt. Lit. II, 313). Porro, nihil nos stringit admittere dialogum esse scriptum post mortem Caecilii et nihil obstat, quominus admittamus Caecilium post conversionem vixisse plus quam 20 annos ac eo tempore opus construxisse. Iudicium Caecilii de Caracalla potuit differens esse a nostro iudicio de hoc imperatore.

<u>Valor apologeticus</u>. Una cum caeteris apologiis christianis Octavius obstat calumniis, quae contra asseclas Christi spargebantur. Inter has calumnias apud Minucium Felicem invenitur adoratio genitalium sacerdotis, quam nemo alius

antiquorum apologetarum nominavit. Haec calumnia orta est inde, quod apud Christianos usus fuit peccata sacerdotibus confiteri et post confessionem accipere absolutionem amplectendo genua sacerdotis.

Demonstratio existentiae Dei in Octavio est eadem quam innuit liber Sapientiae et S. Paulus. Sed ea videtur etiam dependere a dialogo Ciceronis de Natura Deorum, ubi profertur cosmologicum argumentum existentiae Dei. Cicero autem usus est ideis antiquorum philosophorum graecorum. Sic igitur Minucius Felix introduxit in litteras christianas id verum, quod inventum ac probatum fuit ab illustribus viris gentilium. Acute disserit Minucius de invisibilitate Dei. Quamquam non probat eam argumentis metaphysicis, tamen feliciter removet, mira comparatione usus, obstacula, eamque credibilem reddit. Accurata cognitio philosophorum ethnicorum valde commendat opus Minucii. Tamen maximum suum meritum est, quod primus inter apologetas christianos pugnavit contra scepticismum et quidem victoriose. Suis temporibus sceptici asseclae sophistae utebantur stilo eleganti et quaesito. Ipse eorum artis peritus, stylo

pulcherrimo, eorum scilicet armis, eorum errores profligavit.

Licet codex, in quo dialogus Minucii conservatus ad nos pervenit, sit imperita manu scriptus, quae sat multa menda introduxit, tamen ipsum opus omnem laudem meretur propter elegantiam sermonis latini, ceterasque apologias latinas et graecas secundi et tertii saeculi pulchritudine superat. Literarum doctissimus Norden ait Minucium mira arte uti philosophia Ciceronis eamque sermone Senecae expressam, omnibus eximiis qualitatibus styli apud cultissimos homines eiusdem temporis accepti, praedito novam religionem eximiis ethnicis commendare. Pulcherrimae figurae bene accepti sophistorum styli, praecipue vero membrorum parallelismum cum consonantibus terminationibus, ipse tanta cum gratia adhibet, ut nullibi artificialitate offendat. Licet haec peritia non sit omnino spontanea, sed arte et studio acquisita, tamen non minus est accepta. 1)

1) Minucius hat es mit einzigem Geschick verstanden, auf dem Grunde der Philosophie Ciceros des Diktion Senecas in einem den

Non obstante dictionis peritia et sermonis elegantia, apud Minucium Felicem deest sibi constans et elaborata terminologia christiana. Huius defectus non tam ipse auctor est causa quam potius status litterarum. Non potuit enim solus Minucius Felix creare id, quod non fit nisi communi conatu totius societatis. Romani autem cum parum essent proclivi ad quaestiones speculativas tractandas, minus solliciti erant de dogmatibus christianorum, quapropter vix opus erat scribendi apologias latinas. Ex hoc autem sponte sua sequebatur status terminologiae christianae fere incultus. Eidem causae tribuendum est, quod in Octavio de ipsis christianorum doctrinis pauciora legebatur quam apud apologetas graecos.

Licet florens sit sermo Octavii tamen

verwöhntesten Ansprüchen genügenden hocheleganten Modestil die neue Religion den gebildeten Kreisen zu empfehlen die zierlichen Figuren des modernen Sophistenstils, vor allem des Gliederparallelismus mit Gleichklang am Ende, weiss er mit einer Gratia anzubringen die, obgleich sie keine natürliche, sondern eine durch Studium und gelegentlich durch Raffinement erworben ist, doch nirgends verletzt wie die Apulejus (Norden, die Antike Kunstprosa Bd. I Leipzig 1898,

tranquillus et nullibi redolet contemptum errantis Caecilii. Quae religionem defendendi ratio et praecepto caritatis maxime correspondet et optimum effectum nota est producere.

<u>Editiones</u>. Editio princeps facta est Romae 1543 a Fausto Sabaeo, qui opus Minucii Felicis non separat ab opere Arnobii. Secunda editio Fr. Balduini prodiit Heidelbergae 1560, iam restituendo Octavio suum titulum, et attribuendo dialogum vero auctori suo. Postea fuerunt valde multae editiones, quarum optima est in Corpore scriptorum ecclesiasticorum latinorum, quod editur Vindobonae. Octavius prodiit in vol. II anno 1867 curante C. Halm. – Ad usum scholarum theologicarum edidit Pater H. Hurter 1871 inter Opuscula selecta sanctorum Patrum vol. XV. – J. Vizzini, M. Minucii Felicis Octavius. Q. S. Tertulliani Apologetico. Romae apud Forzani 1902. – H. Boenig Minucius Felix, Octavius. Lipsiae. Teubner 1903, p. XXXI + 166. – J. P. Waltzing, Minucius Felix. Octavius in usum lectionum suarum. Lovanii: Pieters 1903 fr. 7,50 appendices 5 fr.

<u>Commentaria</u>. Antiqua scripta de Minucio Felici inveniuntur indicata in U. Chevalier

Bio-Bibliographie, 1583-2744, et apud Richardson, Bibliographica Synopsis 43-50. Opera, quae prodierunt inter 1870 et 1891 vide apud O. Bardenhewer, Geschichte der altkirchlichen Litteratur. Freiburg. Herder 1902 vol. I p. 309. Sat multa opera quae prodierunt ante 1900 indicantur in adnotationibus apud A. Ehrhard. Die altchristliche Litteratur und ihre Erforschung von 1884-1900. Freiburg. Herder 1900 pp. 284-292. Post annum 1899 prodierunt: F. Kotek, Anklänge an Ciceros „de natura deorum" bei Minucius Felix und Tertullian. Wien 1901. – J. P. Waltzing, Bibliographie raisonnée de Minucius Felix paginae 51. Louvain. Pieters. 1902. – J. P. Waltzing, Minucius Felix et Platon. Paris. Fontemoing 1903. – F. X. Burger, Minucius Felix und Seneca. München. Beck 1904 p. V + 65. – F. Storey, Plato and Minucius Felix (Class. Rev. 18. 302 sq.) 1904. – P. Thomas, Notes sur Minucius Felix (Revue de l'instruction publique en Belgique vol. 37 p. 365-368. Bruxelles 1904). – J. P. Waltzing, Platon source directe de Minucius Felix (Musée Belge vol. 8 pp. 424-428. Bruxelles 1904). – F. Ramorino, L'apologetico di Tertulliano e l'Octavio di Minucio. Roma. Accad. dei Lincei 1904). – H. Dessau, Minucius Felix und Caecilius Natalis. Hermes vol. 40 pp. 373-386 anno 1905. – W. Kroll

Randbemerkungen zu Minucius Felix (Rheinisches Museum. Frankfurt. 1905) vol. 60 pp. 307-313. — W. Luikinga, De litterarische betrekking tusschen den Apologeticus van Tertullianus en den Octavius van Minucius Felix. Groningen Evers 1905. — P. Thomas, Notes sur Minuce Felix (Revue de l'instruction publique en Belgique. Bruxelles 48, annus 1905 pag. 172-174.) — Allai; Oreste, De Minucio Felice Ciceronis imitatore (R. Sc. Stor. V 1906; 186-192; 293-300; 347-355). — G. B. Bertaldi, M. Minucio Felice e il suo dialogo Ottavio. Roma. Legati 1906. — Faider P., De l'emploi insolite du comparatif dans Minutius Felix (Musée Belge vol. 10 p. 79-84 Brux. 1906). — P. Faider, le style de Minutius Felix (Musée Belge vol. 10, pag. 85-99.) — J. P. Waltzing Le texte l'oeuvre et la vie de Minuce Felix (Musée Belge vol X p. 37-78 Bruxelles 1906). — P. H. Damsté, Minuciana (Mnemosyne 55-62) 1907. — J. P. Waltzing, Minucii Felicis codex Parisiensis 861 (Musée Belge vol. 11 p. 319-321. Bruxelles 1907) pozostaje do uzupełnienia: rok 1909; 1910: 1911. W 1908 nic nie pokazało się odnoszącego się do Min. Felix.).

Praelectiones ex theologiae fundamentalis historia Prof. Buczys.

Quintus Septimius Florens Tertullianus.

Vita. Circa medium saeculum secundum apud proconsulem Africae serviebat centurio, cui circa annum 160 Carthagini natus est filius, cuius nomen supra positum est. Licet pater non fuisset dives nec potens, tamen filius nanctus est eximiam mentis culturam ac praeter linguam latinam ita didicit graecam, ut posset graecos scribere libros. Tamen graeca Tertulliani opera perierunt.

Eusebius vocat eum legum peritissimum romanarum (Hist. Eccl. II, 3, 4) ac in omnibus Tertulliani operibus apparet stylus hominis curis forensibus assueti. Cum in Pandectis habeatur quidam locus ex scriptis iuris periti Tertulliani (Quaestionum libri VIII. De castrensi peculio liber singularis) orta est hypotesis Tertullianum, cum iunior fuisset, quaedam opera pure iuridica edidisse. Alii affirmant iurisperitum Tertullianum et apologetam Tertullianum esse diversas personas. Res sub lite est et non praevidetur solutio.

Opera Tertulliani scatent indiciis ex quibus cognosci possunt successiva stadia mutationum illarum, quae in anima eius fiebant. Ex suis

testimoniis compertum est eum transegisse iuventutem in paganismo non solum theoretice, sed et practice. In libro de resurrectione fatetur se adulteria commisisse. Plusquam triginta annos natus anno scilicet 195 factus est christianus et mores mutavit omnino in meliores. Causae conversionis non indicantur in suis operibus nec in aliis fontibus historicis, sed non perperam creditur constantia martyrum id factum esse, nam in maxima sua apologia Tertullianus scripsit notissimam illam sententiam, quae adagium commune facta est; nempe: „Semen est sanguis christianorum." (Apol. c. 50) Cognita veritate totum se tradidit Tertullianus, ut ei serviret, et factus est sacerdos ut testatur Hieronymus. Vix dubitari licet, quin pertinuerit ad clerum carthaginensem.

Saeculo secundo ad finem vergente haeresis Montani penetravit in Africam. Quapropter initio saec. III iam factae sunt scissiones in ecclesia carthaginensi ita ut fideles dividerentur in duas partes. Montanistarum dux factus est Tertullianus, cuius scripta inde ab anno 207 erroribus montanisticis sunt referta, sed ipse nonnisi anno 213 aperte discessit ab unitate catholica proprio marte aut invitus. S. Hieronymus in libro Adversus Marcionem I, 29 dicit: „invidia et contumeliis clericorum ecclesiae romanae Tertullianum venisse ad schisma et

haeresim adductum. Attamen Tertullianus Romae fuit nonnisi antequam converteretur (De cultu femin. I, 7) ut censent Nöldechen (Tertull. Gotha 1890 p. 25 sqq.) Kellner (Wetzer u. Welte's Kirchenlexikon XI² p. 1390 sqq.), Monceaux (Histoire littéraire de l'Afrique chrétienne 1901 t. I p. 178). Si igitur fuisset male tractatus, non esset ad christianismum conversus. Sed ipse Tertullianus non conqueritur de mala tractatione. Itaque videtur s. Hieronymum errasse, cum ipse multa et gravia mala passus est a clericis romanis.

Vera causa lapsus Tertulliani fuit suum vehemens ingenium et indominatum. Dissidia inter eum et clerum orthodoxum carthaginensem et romanum nonnisi inde orta sunt, quod falsa docere coeperat. Haec ingenii vehementia indominata effecit ut Tertullianus ne cum montanistis quidem pacem ac unitatem servare posset, nam statim in montanistica haeresi coegit sibi sectam tertullianistarum quae ad finem saec. IV perduravit et a s. Augustino in sinu Ecclesiae recepta est. S. Hieronymus notat traditionem, qua testabatur Tertullianum vixisse usque ad decrepitam aetatem (De viribus illustribus c. 53). Sed quo anno mortuus sit ignoratur. Ex eo autem quod sua secta extitisset post suam mortem, concludere licet eum mortuum esse non reconciliatum Ecclesiae. Cum ex Tertulliani operibus multa colligi possint

quibus illustrentur successivae mutationes interiores in mente eius, pauca tamen in his scriptis invenimus, quae chronologiam eius vitae stabiliant. Itaque chronologia Tertulliani nimis plena est difficultatibus.

Scripta apologetica. Magna eruditione ac ardenti ingenio praeditus Tertullianus plurima opera scripsit, quae a Nöldechen dividuntur in sex, Monceaux autem in quattuor periodos. Iuxta Monceaux ad primam periodum referenda sunt scripta philosophica et apologetica, quae prodierunt post conversionem Tertulliani ante suam ordinationem sacerdotalem scilicet ab an. 197 ad 200; ad secundum pertinent opera, in quibus Tertullianus loquitur tamquam presbyter et est omnino orthodoxus ac liber ab omni errore montanistico; quae periodus amplectitur annos 200-206. Opera tertiae periodi iis iam recte vocari debent semimontanistica, nam Tertullianus licet adhuc sit catholicus, erroribus tamen Montani favet eosque profert inter annos 207-212; tandem in quarta periodo ab anno scilicet 213-222 plenus est odio erga ecclesiam catholicam.

In assignanda chronologia scriptorum Tertulliani sequemur auctoritatem doctissimi Nöldechen, cui Ehrhard summas tribuit laudes (Die altchristliche Litteratur. Freiburg Herder 1900, 242). Fatendum

tamen est chronologiam hanc multis dubiis subiectam esse et nonnisi in paucis certam esse.

Ad apologetica opera Tertulliani adnumeramus sequentia: a) Adversus Iudaeos, quod scriptum est anno 195; porro initio aestatis 197 publici iuris facti sunt duo libri: b) Ad nationes et eadem aestate ad finem vergente c) Apologeticus seu Apologeticum. Huic appendicis instar additum fuit paulo post d) De testimonio animae. Ex tempore 197-207 est liber contra haereticos scriptus e) De praescriptione haereticorum, attamen eum ad apologetica opera adnumeramus, quia antiquissima continet documenta de eo, qualis fuerit doctrina ecclesiae de fontibus revelationis. Paulo post scriptum est opus f) Adversus Hermogenem haereticum; quo in libro invenitur sat ampla investigatio philosophica de aeternitate materiae. Porro opus Tertulliani g) De anima prodiit anno 210 aut 211, ac tandem liber h) Adversus Scapulam exaratus est mense septembri 212.

Apologeticis operibus non adnumeramus tria opuscula: a) De spectaculis, b) De corona, c) De fuga in persecutione, quia in his solvuntur quaestiones practicae seu potius casus conscientiae christianorum, qui frequentes fuerunt temporibus Tertulliani. In his opusculis apparet convi-

nus crescens rigorismus presbyteri carthaginiensis vergentis ad montanismum. Opusculum c) Ad Martyres est cohortatio ad constantiam, quae referta est et pulcherrimis exemplis (cap 4) et ardorem spirat, caret tamen elemento apologetico. Item ad moralia pertinet d) De idololatria, ubi indicantur, quae christianis illicita sunt iuxta opinionem Tertulliani. Ad apologeticos potest aliquatenus adnumerari III lib. Adversus Marcionem, praesertim capita 17-20. De hoc tamen postea.

Primum fere christianum apologeticum Tertulliani videtur fuisse liber Adversus Iudaeos. Occasio huius scripti fuit oralis disceptatio inter christianum et aliquem gentilem iudaeorum proselytum. Initio (cc. 1-6) ostenditur gratiam Dei a Iudaeis reprobatam translatam esse ad gentes. In locum antiquae legis, quae consistebat in vindicta, facta est nova lex in amore fundata. Quae in antiqua lege de futuro Messia praedicebantur, ea sunt in Christo adimpleta. (cc. 7-14). Secunda pars a cap. 9 ad 14 fere integra invenitur in posteriore Tertulliani opere Adversus Marcionem libro III. Marcion enim eodem ac Iudaei modo negabat Iesum esse antiquitus promissum Messiam. Hanc ob causam orta est hypothesis librum Adversus Iudaeos aut non fuisse finitum aut nonnisi octo primis capitibus absolutum.

Hypothesis parum probabilis est ex capite, quod liber Adversus Iudaeos scriptus est eo tempore, quo Tertullianus et in vigore virilis aetatis erat et recenter conversus ad christianismum. Librum fuisse absolutum demonstratione translationis gratiae ab Iudaeis ad gentes ideo vix potest admitti, quod s. Hieronymus ex octavo cap. citat ea verba, quibus messianitas Iesu Christi affirmabatur (Hieronymus Commentar. in Danielem ad 9, 24.) Porro in altera parte libri Adversus Iudaeos habentur quidam loci, qui desunt in III libro Adversus Marcionem; loci autem isti sunt scripti tali sermone, ut evidenter sint tribuendi Tertulliano, nam omnes qualitates eius ingenii praeseferunt. Doctissimus Noeldechen (Tertullians Gegen die Juden auf Einheit, Echtheit, Entstehung geprüft. Texte und Untersuchungen. Leipzig Hinrichs 12 Bd. 2 H. 1894 p. 93) statuit ipsum Tertullianum in suo opere Adversus Marcionem usum esse antiquiore suo scripto Adversus Iudaeos. Contra hanc sententiam multi eximii surrexerunt, tandem instigante M. [illegible] J. M. Einsiedler colligit locos parallelos inter librum Adversus Marcionem et secundam partem operis Adversus Iudaeos. Per comparationem apparet in hoc secundo scripto tot tantosque adesse errores, qui desunt in libro 3 Adversus Marcionem, ut nullo modo haec secunda pars Tertulliano attribui possit.

Quapropter A. Ehrhard concludit: „Hypothesis Nöldeckenii probabiliter nullum amplius assedam inveniet." (Nöldeckens Hypothese wird aber hoffentlich keinen Vertreter mehr finden. Die altchristliche Litteratur und ihre Erforschung von 1884-1900 Freiburg Herder 1900 p. 439.) Nostra non multum interest quaestiones pure historicas dirimere, nam magis studemus argumenta apologetica colligere apud antiquos sparsa scriptores. Quapropter secunda pars libri, de quo loquimur, etsi non esset Tertulliani, haberet tamen valorem tamquam scriptum ignoti cuiusdam compilatoris antiqui. Quo pauciora compilator ipse addidit, eo magis sua compilatio accedit ad Tertullianum. De tempore, quo facta sit compilatio nulla adsunt accurata indicia.

Argumentum libri Adversus Iudaeos hic trado verbotenus iuxta Puhelium, qui nunc Tertulliani librum praeparavit, ut ederetur in Patrologia Latina Migne vol. II p. 595-642. Disputatione habita inter christianum et proselytum Iudaeum, de se, quantum apparet sermonem faciens in tertia persona, Tertullianus, quod per concentum obstrepentium spectatorum minus recte ac plene potuit dilucidari, stylo retractat, pugnans adversus iudaeos solidissimis rationibus: et ex S. Scripturae sententiis: idque pace Ecclesiae adhuc durante ante bellum Partnicum, eo tempore, quo mauri a romanis [illegible]. Primum autem eum gentibus gratiam

Dei vindicat, posse eos ad legem Dei admitti vindicans (c. 1.) quippe cum lex primordialis matrix omnium praeceptorum Adae et Evae in paradiso data sit ac legem Moysi scriptam, legis naturalis iustitia in Noe et Abraham, quin et sacerdotum in Melchisedech, praecesserit (c. 2) Et datum quidem circumcisionem carnalem ad tempus, sed in signum, unde Israel in novissimo tempore dignosceretur, quando secundum sua merita in sanctam civitatem ingredi prohiberetur: nunc vero spiritalem circumcisionem in salutem esse populo obedienti (c. 3). Sabbati quoque observationem temporalem fuisse, sabbati aeterni figuram: utpote quod neque a praedictis patriarchis ante legem Mosis, neque post eandem ab omnibus perpetuo observatum, exemplis constat Iesu Nave et Machabaeorum (c. 4) Quid? quod etiam ipsa sacrificia terrenarum oblationum Abel et Cain in Leviticо conscripta, spiritualium sacrificiorum praedicta fuisse ex Malachia et psalmis, manifestum sit (c. 5) Atque adeo ex praedictis concluditur, legem novam supernaturalem superventuram, id itaque quaerendum, an expectetur novae legislator, an vero iam venerit (c. 6). Venisse autem, primum ex prophetiis commonstrari de regno eius super gentes et aeterno (c. 7), deinde ex temporibus nativitatis ducis Christi, passionis et exterminii Ierusalem

e Daniele praedictis (c.8). Quin etiam praedictionibus variis, quibus a prophetis nuntiata est Christi nativitas (c.9). Item ex iis, quae de passione Christi in cruce praedicta sunt, et figuris eiusdem (c.10), rursum ex cladis Jerusalem praedictione non modo per Danielem, sed et per Ezechielem prophetam (c.11). Insuper de repetitione quorundam Scripturae Sacrae locorum de gentium ad Christum conversione (c.12) denique praescriptione aliarum scripturarum, ex quibus iam venisse convincitur (c.13). Postremo ex abundantia erroris Judaeorum convinci, ex secundo Christi adventu in sublimitate post priorem illum in humilitate; circa quem illi decepti sunt, quia non in sublimitate venerit, dum ignorant in humilitatem fuisse venturum. (c.14).

Hereticus Marcion medio saeculo secundo docuit plura adesse Summa Entia aeterna (disputatur duone aut tres admisisset), negavit Vetus Testamentum esse eiusdem Summi Entis, cuius filius fuit Christus, ac concludebat vaticinia V. Testamenti non esse in Christo adimpleta. Tertullianus adversus Marcionem scribens primo libro probat nonnisi unum esse Deum, libro secundo mundi materialis Auctorem demonstrat iuste appellari posse Deum ac esse, tertii autem libri initio c 1-16 evincit Christum esse filium eiusdem Dei, ... mundum

creavit, ac tandem cc 17-23 probat in Christo adimpleta esse vaticinia, quae mundi Creator ac Veteris Foederis Dominus in libris prophetarum consignaverat.

Ex magno illo opere Adversus Marcionem nonnisi quaedam singula capita referri possunt ad apologeticas litteras, sc. primi libri, ubi sermo est de unitate Dei cc 17-21, ubi exponitur adimpletio vaticiniorum in Christo.

S. Hieronymus in epistola 70 ad Magnum c.5 dicit a Tertulliano scriptos esse libros Contra Gentes. In codice autem Agobardino praeter „Apologeticum" habetur opus, quod duobus constat libris ac inscribitur: Ad nationes libri duo. Finis huius operis ut ex I cap. libri II patet, fuit defensio christianorum. Sed reapse uterque liber fere in eo consistit, ut paganismum impugnet. Primus liber demonstrat iniustitiam ethnicorum, qui solo odio ducti perperam obiiciunt christianis crimina magna et falsa (cc 1-9). Secundam partem huius I libri Tertullianus incipit verbis: „Nunc vero eadem ipsa, scilicet tela, de nostro corpore vulsa in vos retorquebo" eamque totam implet exemplis corruptionis ethnicorum, quae manifestatur in vita morali, sociali ac politica (c...). Hanc partem concludit verbis: „Aufert. stipulam de oculo vestro, aut trabem de oculo vestro, ut sti-

pulam de alieno extrahatis. Emendate vosmet ipsos prius, ut christianos puniatis; nisi quod emendaveritis, non punietis, imo eritis christiani, imo si fueritis christiani eritis emendati. Recognoscite, quod in vobis non accusetis et accusabitis. Patet etiam hinc vobis, quantum aperire potuerimus (e paucis istis libellulis), erroris inspectio et veritatis neg. recognitio. Damnate veritatem, sed inspectam si potestis, et probate errorem, sed repertum, si putatis. Quodsi praescribitur vobis errorem amare et odisse veritatem, cur quod amatis et odistis, non noveritis?" (Ad nationes I, 20; Migne P. L. 1. 586). In secundo libro Adversus nationes Tertullianus analysi criticae subiicit religionem romanorum ethnicorum talem, qualis descripta est in opere Terentii Varonis „Antiquitates rerum divinarum et humanarum". Hoc opere usus Tertullianus evincit singulos deos esse ab hominibus inventos ac in cultum publicum introductos, quapropter veros deos esse non posse, cum non sint aeterni.

Hic liber incipit verbis: „Nunc de deis vestris, miserandae nationes congredi vobiscum nostra defensio desiderat, provocans ipsam conscientiam vestram ad censendum, an vere dei, ut vultis, an falso, ut scire non vultis." (Ad nationes II, 1 Migne P. L. I. 585). Argumentum huius libri difficiliter

tradi potest, nam totus magna cum vehementia est scriptus et ordinem sententiarum non servat. Praeterea textus in plurimis locis lacunas habet, quae licet breves sint, lectori tamen nocent. Libros Adversus nationes esse scriptos post Februarium 197 anni indicat caput 17 libri primi. Nam in hoc capite Tertullianus repellit obiectionem christianis factam de impietate in imperatores et ait: Nulla unquam coniuratio erupit, nullus in senatu vel in palatiis ipsis sanguis caesaris notam fixit, nulla in provinciis affectata maiestas. Adhuc Syriae cadaverum odoribus spirant; adhuc Galliae Rhodano suo non lavant." Ultima verba intelleguntur ab iis, qui sciunt mense Februario 197 apud Lugdunum prope Rhodanum pugnam fuisse inter copias imperatoris Septimii Severi et exercitum Claudii Albini, qui divinum cultum numini imperatoris non negabit, sed voluit eo vreto suum thronum caesareum occupare.

Scribendo „Ad nationes" Tertullianus iam volvebat mente propositum scribendi aliam christianorum defensionem, quod patet ex l. I c. 10, initio, ubi operi „Ad nationes" assignatur negaturus finis, nempe repellere tela, quae christiano nomini infligebant inimici, et promittitur opus, in quo obtundentur ora ethnicorum expositione doctrinae christianae. Hoc opus reapse est scriptus sub titulo Apologeti...

et prodiit aestate anni 197. Ergo Ad nationes prodire debuit inter mensem Februarium et finem aestatis 197 anni.

Apologeticus.

Maximum pondus inter opera Tertulliani apologetica et locum plane eximium inter omnia omnium temporum scripta, quibus religio christiana defendebatur liber de quo non est certum vocari debeat Apologeticus an Apologeticum. Antiquissimi enim codices hanc tradunt lectionem, s. Hieronymus vero illum (Ep. 70 ad Magnum 5).

Librum hunc ex anno 197. provenisse satis certe probatur ex argumentis internis, nam Septimius Severus vocatur cap. 4. constantissimus principum, ex quo colligi potest bonus erga eum Tertulliani animus. Atqui Tertullianus nullo modo manifestasset bonum animi affectationem erga christianorum persecutorem. Itaque liber scriptus est ante persecutionem Septimii Severi seu ante annum 202 aut 203. De hac persecutione Tertullianus non siluisset, si scripsisset ea durante vel post eam. Porro cap. 35 versus finem exponens scelera in imperatores facta ab iis, qui sacra faciebant pro salute imperatoris, ait: „Sed et qui nunc scelestarum partium socii aut plausores quotidie revelantur post vindemiam parricidarum racemotio superstites, quam recentissimis et ramosissimis lauris postes perstruebant? quam elatissimis et clarissimis lucernis vestibula enubilabant? quam cultissimis et superbissimis toris forum sibi dividebant? non ut gaudia publica celebrarent, sed ut vota propria edicerent et in aliena solemnitate exemplum atque imaginem spei suae inaugurarent nomen principis in corde mutantes."

Hoc loco Tertullianus manifeste loquitur de vindicta illa atrocissima, quam sumpsit Septimius Severus de adversariis, quos vicit. Horum cladem Tertullianus vocat vindemiam, eorum conatum evertendi imperatorem censet esse parricidium. Porro indicat non tamquam praesentem ipsam cladem, sed detectionem sociorum, qui coniurationi favebant quosque Tertullianus vocat scelestarum partium socios aut plausores, eosque dicit nunc quottidie revelari. Sed hoc fiebat anno 197. Hunc igitur annum designat illa particula Tertulliani nunc.

Licet opera „Ad nationes" et Apologeticus" habeant communem et finem et auctorem rem argumento sat multa eadem, attamen non pauciores intercedunt inter haec duo opera differentiae. Imprimis in duobus libris „Adversus nationes Tertullianus vertitur ad populum ethnicum, ut veritatem demonstret deesse apud ethnicos; in „Apologetico" autem vertitur ad antistites seu praesides imperii

romani, quibus persuaderi studet leges, quae latae sint contra christianos, esse adversas aequitati ac pudore afficere iustitiam. Porro „Ad nationes fere exclusive occupatur vitiis ethnicae religionis et eius sectatorum, „Apologeticus" autem principaliter agit de doctrina christianorum et moribus ac positive eminentiam christianismi stabilit. Etiam in modo adducendi rationes ac in expositionis forma non parva adest differentia; nam in „Apologetico" est sermo multo tranquillior quam in priore apologia, quae scripta est stylo ardente simul et vehementer. Sed maximum „Apologetici meritum est, quod tota religionis defendendae ratio constructa est ad normas iuris, magnam auctoris peritiam manifestat in scientia legum. Ex hoc capite „Apologeticus" Tertulliani superat ceteras christianorum apologias graecas et latinas.

Argumentum. Liber „Apologeticus" constat 50 capitibus. Initio auctor dicit leges contra christianos latas pudori esse iustitiae. Porro transit ad examinanda singula crimina, quae christianis obiiciuntur, dividens in duas partes-classes. Ad primam refert crimina occulta, quae christianis imputantur, ad secundam vero refert actus, qui publice fiebant a christianis, quique ab eorum adversariis

tamquam crimina habebantur. Refellendis criminibus Tertullianus nonnisi tria capita a 7 ad 9. Multo diligentius auctor examinat crimina christianorum publica, nempe intentationem laesae divinitatis et laesae augustioris majestatis. Hac occasione Tertullianus exponit christianos non posse divinum cultum praestare imperatori, quia credunt unum solum Deum creatorem universi ac demonstrat religionem christianam longe abesse ab eo, ut sit nociva saluti rei publicae.

Ultimis sex capitibus Tertullianus scribit et probat christianam religionem non esse scholam philosophicam, sed systema veritatum divinitus revelatarum.

Propter magnum Apologetici valorem hic trado argumentum singulorum eius capitum.

Severus negavit christianis ius in iudicio se defendendi, quare Tertullianus scribit hunc librum ac ostendit iniquum esse insontibus, quorum magnus est numerus negare ius se defendendi (c. 1). Ne malefias neganda est quidem defensio, nam defensione culpa clarescit. Christianos vero insontes esse inde apparet quod Traianus inquiri eos prohibuerit. Iudices perverse agunt in christianos (c. 2). Odium erga christianos tantum

et ut pagani malint uxorem aut filios peccatis onustos potius quam christianos. In aliis sectis persequuntur crimina, hic vero solum nomen. Sed christianorum et vita et nomen est sanctum (c. 3.) Parum prodest iusta defensio, ubi ipsa lex est iniusta. Sed etiam leges mutari debent, praesertim cum malae sunt. Lex iniusta tyranis est (c. 4).
Aemilius tulit legem qua Alburnus in deorum numero referebatur, ex quo patet divinitatem placitis hominum esse subiectam. Boni imperatores christianos tolerabant, mali autem odio persequebantur (c. 5). Christiani novitatis accusantur ab iis qui antiquas romanorum virtutes neglexerunt nova vitia novos deos peregrinos Romam introducendo (c. 6). Qui christianos accusant infanticidii et incestus probent quod dicant, sed non credant famae mendaci. (c. 7). Infanticidium abhorret natura humana, sed christiani homines sunt. Nec ignorantes aut coacti homines ad christianismum conversi id facere possunt, nam cogi ad malum ii non possunt mortem praeferunt pudendis (c. 8). Homicidia et infanticidia apud paganos reapse fiunt in sacrificiis occultis, in theatris in expositione infantium aut procuratione abortus. Frequentes scortationes vere apud paganos locum [illegible] ignorare

qui parentes qui filii, ex quo incestus sequuntur. Christiani et sanguinem abhorrent et licito etiam usu sexuali privantur ex amore castitatis (c. 9). Christiani deos non colunt, quia dei non sunt, ut patet ex conscientiae testimonio ipsorum gentilium et ex Saturni exemplo (c. 10). Nec propter merita homines post mortem fieri possunt dei (c. 11). Nomina sunt inania mortuorum nomina, simulacra autem tanti valent quanti materia et fabrica. Ipsa mortua sunt, nam non possunt se defendi ab iniuriis. Non damnandi sunt christiani, quia et Seneca superstitionem politheismi reprobavit (c. 12). Senatus creat publicos deos, dei familiares constituunt mercaturae obiectum. Meretrices non minus merentur honores nec minus accipiunt cum contumelia deorum (c. 13). Sacrificia avaritiis, dei criminibus contaminantur, vitiosi dei et deae iuventuti proponuntur exemplaria, philosophi deos irrident (c. 14). In theatris plaudente populo divinitas stupratur, eius cultores stulti, omnes vero sapientes ostenduntur (c. 15). Christiani non colunt caput asini, nec crucem habent deum, nec sol nec onocoitin (c. 16), sed Deum verum, bonum, iustum ubique praesentem, cuius agnitio naturaliter insita

est homini (c. 17). Hic deus errantes docet prophetas mittit, qui conscripserunt volumina sacra cura Ptolomaei in graecum versa, sapientia incomparabili plena (c. 18). Omnes dei ethnicorum recentius deis adnumerati sunt, quam Scriptura Sacra conscripta est (c 19). Magis quam ex antiquitate divinitas Scripturae Sacrae inde probatur, quod quae in ea praedicta fuerunt, adimpleta sunt, quae vero non adimpleta indubitanter ventura sunt, horum enim illa praestant certitudinem (c. 20). Christus Dei Filius est, iudei paenis atrocissimis afflicti sunt propterea quod Eum negaverunt. Qui Eum cognovit debet falsam religionem relinquere (c. 21). Demones agunt in homines ut falsam religionem adigant (c. 22). Obediendum est Christo non demonibus (c 23). Christiani magis sunt religiosi quam romani nam sublimiorem Deum colunt. Saltem libertatem habere opportet, sed gentiles omnia permittunt adorare solo vero Deo excepto (c. 24). Non ex deorum beneficio romanum imperium magnum factum est (c. 25). Solus Deus dat potentiam regnis sed non solis romanis (c. 26). Christiani ne thus quidem adolere conventiunt inanae divinita-

ti, ut vitam conservent, invidia daemonum morti traduntur, sed morte daemones vincent (c. 27). Gentiles magis colunt imperatorem quam deos suos (c. 28) etiam dei gentilium sub patrocinio imperatoris sunt non vero ipsi copatrocinantur. Christiani nihil mali faciunt cum fortunam imperatoris non credunt dependere a deis suo beneplacito subiectis. E contra merentur de imperatore, cum pro rogant rerum Numen a quo reapse solus dependet (c. 29). Verus Deus est maior imperatore, quod et imperator novit. Hunc Deum christiani pro imperatore orant et pro orbe (c. 30). Orationem pro imperatoribus Scriptura S. christianis iniungit, sed ipsi norunt a tranquillitate imperii eorum tranquillitas pendere. Quapropter non mentiuntur christiani cum se pro imperatore orare affirmant (c. 31). Christianis cordi est imperatoris et imperii salus (c 32) ipse credunt sibi a Deo datum esse. Ipsum Deum non vocant, sed neque irrident. Ipsius imperatoris interest credere in Deum cui subest ipse et sui subditi (c. 33). Imperator non potest vocari Dominus sensu divinitatis (c. 34).

Christiani religiosi sunt erga imperatores, etsi negent eos esse deos umquam saluti imperatorum quia adversum agunt sed multa utilia ac proinde non debent vocari publici inimici (c. 35). Christiani tamquam peccatum reputant male velle aut facere cuiquam eo magis imperatori (c. 36) malum pro malo christiani non reddunt, etsi reddere possent ob multitudinem et fortitudinem, quia lege suae religionis impendiuntur (c. 37). Christiani nihil mali faciunt, imo renuntiarunt voluptatibus, tamen non impendiunt ethnicos quominus eis utantur, ipsi autem ad altiora aspirant, quapropter saltem tollerandi sunt (c. 38). Christiani solent in unum convenire, orare, virtutibus exercere eleemosynas colligere in usum egenorum, convivia multo meliora quam ethnicorum (c. 39). Factiosi sunt qui christianos calumniantur qui multa mala orbi fecerunt. Haec mala [illegible] christianorum minora evaserunt (c. 40). Calamitatum publicarum causae sunt idolorum cultores (c. 41). Christiani in omnibus civilibus negotiis opera sua cum caeteris miscent, a quibusdam malis lucris se abstinent sed in licitis compensant (c. 42). Nonnisi malorum artifices conquiri possunt de christianorum defectu (c. 43). Ex caede tam multorum

et tam bonorum civium quales sunt christiani respublica magna damna patitur (c. 44). Christianorum innocentia non ex timore procedit sed ex fide (c. 45). Christiani non est societas philosophica, nam philosophia multo est inferior christianismo (c. 46). Quae vera sunt apud philosophos ex antiquioribus christianorum scriptis sunt mutuata (c. 47). Ethnici incredibilia philosophorum credunt credibilia vero christianorum dogmata credere nolunt, quod patet exemplo resurrectionis corporum et metampsychosis (c. 48). Iniustum est idem laudari apud philosophos persequi vero apud christianos. Etsi falsa essent christianorum dogmata aestimari tamen debent propter utilitatem ad mores; etsi inutilia essent, sufficeret risui ea exponere non persecutioni. Persecutioni vulgus exultat, sed christiani malunt damnari, quam a Deo deficere (c. 49). Non desperatione coacti christiani mortem subeunt sed tamquam milites occumbunt in glorioso certamine, sed gloriam [illegible] erunt, ac eorum constantia est vera [illegible]. Imo sanguis martyrum est semen christianorum (c. 50).

De testimonio animae. ([illegible] 14 [illegible]

logetici" Tertullianus provocat ad usum gentilium, qui calamitate afflicti non deos sed Deum apellant, non Capitolium sed coelum aspiciunt, et exclamant: „O testimonium animae naturaliter christianae!" (Apologeticus 17. Migne P.L. I 377 A). Hanc ideam uberius evolvit apologeta africanus in brevi opusculo, quod inscribitur „De testimonio animae, liber adversus gentes." Totum hoc argumentum brevius ita proponi potest. In introductione Tertullianus ait infirmitatem demonstrationum procedere ex mala voluntate eorum ~~studet~~, quos persuadere studet, magnum autem esse testimonium animae (c 1). Unitatem Dei testantur variae locutiones, ut haec: „Quod Deus dederit", „Si Deus voluerit". Imo et iudicialis potestas manifestatur in populari modo loquendi: „Deus videt omnia", Deus inter nos iudicabit. (c. 2). Dogma christianorum de daemonibus apparet ex eo quod probrosa vitia in hominibus etiam ab ethnici daemonibus tribuuntur; homines enim his vitiis dediti daemones aut satanae vocantur (c. 3). Dogma de immortalitate animae manifestatur in commiseratione erga mortuos, in impre-

cationibus malorum defunctis inimicis. Idem testatur testatur timor mortis et desiderium gloriae posthumae. Imo locutio popularis de mortuis: „Abiit et reverti debet" manifestat resurrectionis fidem (c. 4) Testimonium animae est testimonium naturae, ac proinde testimonium Dei qui eam creavit. Testimonium animae prior est litteris. Antequam litteratura gentilium orta est testimonium hoc iam fuit. Litterae Sacrae sunt litteris gentilium antiquiores Perinde est si Deus animam directe formavit ut veritati testaretur an per litteras suas sacras (c.5) Gentilis religio non est conformis animae, cuius testimonium idem est non solum apud graecos et latinos sed apud omnes gentes. Anima igitur testis erit in die iudicii (c 6).

Cum liber „De testimonio animae" sit appendix ad „Apologeticum" ideo statim post hunc scriptus esse debuit. Capite 5 „De testimonio" remittitur lector ad „Apologeticum" verbis „ut loco suo edocuimus" (Migne. P.L. I 617 A). Itaque Tertullianus „Apologeticum" suum et librum „De testimonio animae considerat quasi fere unum opus.

De praescriptione haereticorum

Capite 47 in libro „Apologeticus" Tertullianus

scripsit: „ Expedite autem praescribimus adulteris nostris illam esse regulam veritatis, quae veniat a Christo, transmissa per comites ipsius, quibus aliquanto posteriores diversi isti commentatores probabuntur", quod facilius intelligitur si hoc modo exprimitur: Expedite reprobamus eos qui doctrinam nostram adulterant provocando ad regulam veritatis christianae, quae nonnisi ea authentica esse vult, quae per comites Christi transmissa veniunt ad nos. Caetera autem, quae huic non concordant eo ipso probantur serioris esse originis.

Huic regulae veritatis evolvendae Tertullianus consecrat totum opus de „ Praescriptione Haereticorum". Ex 22 cap. operis patet Tertullianum adhuc catholicum fuisse, nam agnoscit S. Petri primatum, scribit enim: „ Latuit aliquid Petrum aedificandae Ecclesiae Petram dictum, claves regni coelorum consecutum, et solvendi et alligandi in coelis et in terris potestatem?" In toto opere nullum vestigium montanisticum apparet.

Adest aliquid fundamentum credendi „ De praescriptione" scriptum esse post libros Adversus Marcionem, nam Adv. Marcion. 11. 1c. Tertullianus scribit: „ Sed alius libellus hunc gradum sustinebit adversus haereticos etiam sine retractatu doctrinarum revincendos, quod hoc sint de praescriptio-

ne novitatis". Ex his verbis patet Tertulliani opera adversus haereticos duplicis esse generis ea nempe quae recensent singulos haereticorum errores et „ alius libellus" manifeste est „ De praescriptione haereticorum." Sed loquens de eo auctor utitur tempore futuro: sustinebit". Ergo „ De praescriptione scriptum est post primum librum „ Adversus Marcionem".

Nihilominus in ratiocinio allato habetur error, nam sustinebit, non est idem ac scribetur. Postquam liber scriptus est, opus habet aliquo tempore, ut effectum suum sortiatur. Hoc tempus ante inventam artem typographicam maius fuit, quam hodie. Hoc sensu intellecta verba Tertulliani indicant librum „ De praescriptione recens scriptum fuisse eo tempore, quo primus liber Adversus Marcionem scribebatur.

Hoc sensu intelligenda esse illa verba manifestat conclusio operis „ De praescriptione"; ubi legimus: „ Sed nunc quidem generaliter actum est a nobis adversus haereses omnes, certis et iustis et necessariis praescriptionibus repellendas a collatione Scripturarum. De reliquo si Dei gratia annuerit, etiam specialiter respondebimus." (De praescriptione c. 45

Migne p.L. II. 60). Hic manifeste indicatur opus „De praescriptione" esse iam absolutum et in mente auctoris esse seriem librorum contra singulas haereses, scilicet secundum genus scripturarum Tertulliani adversus haereticos nondum esse incertum. Ad hoc genus pertinet etiam primus liber „Adversus Marcionem", ergo opus „De praescriptionibus" est antiquius quam refutatio Marcionis.

Cum „Apologeticus" sit scriptus 197 anno, et primus liber „Adversus Marcionem 15 anno Septimii Severi, id est, 207, „De praescriptione" autem sit medius inter utrumque, ergo hic ultimus liber prodiit inter 197 et 207. Porro ex memoratis verbis 1.l.c.1 c. „Adv. Marcionem" conicere licet „De praescriptione" scriptum fuisse propius ad annum 207 quam ad 197.

Liber „de praescriptione", quamquam non est scriptus contra eos, qui divinitatem religionis christianae negant, tamen interest nostra, quia evolvit doctrinam de traditione, quae pertinet ad systema theologiae fundamentalis.

Terminus praescriptio notus est ex iure canonico, in quod assumptus est ex sermone iuridico romanorum. Hunc terminum Tertullianus

applicavit ad usum theologicum. Ex eo quod doctrina catholica eadem est a suo origine usque ad ultimum tempus, sententiae autem haereticorum sunt noviter conceptae, Tertullianus concludit catholicam doctrinam gaudere praescriptione veritatis, scilicet possidere eam a multis inde annis, ac ex hoc etiam capite habere ius legitimum.

Apud Migne liber vocatur „De praescriptionibus". Tamen codex Agobardinus et alii fontes fide digni utuntur numero singulari in titulo operis qui et est authenticus. In editione Migne'ana „De praescriptione" constat 53 capitibus, sed a secunda parte 45 capitis usque ad finem octo capita integra sunt spuria. In recentioribus editionibus huius operis non numerantur nisi capita 44, nam ea quae apud Migne in 45 leguntur, sunt conclusio operis tam clara, ut evidenter excludat authentiam subsequentium.

Initio Tertullianus loquitur de essentia haereseos, de eius speculationibus ac de nexu cum philosophia ethnica, de valore eius in vita Ecclesiae (1-14 c.c.). Porro quatuor capitibus loquitur de relatione haereticorum ad Scripturam Sacram. Capite 19

quaerit, quibus competat fides ipsa, cuius sint Scripturae, a quo et per quos et quando et quibus sit di tradita disciplina qua fiunt christiani? Et respondet Dominus Jesus Christus apostolos misit ad praedicandum.........
Quid autem praedicaverint..... non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi apostoli condiderunt.... Constat proinde omnem doctrinam quae cum illis ecclesiis apostolicis, matricibus et originalibus fidei conspiret veritati deputandam..... reliquam vero omnem doctrinam de mendacio praeiudicandam. (De praescriptione c. 21. Migne. p.L. II. 33)
Non licet dicere apostolos non omnia novisse aut non omnia tradidissae, aut male intellectos fuisse a discipulis. Quod apud multos unum invenitur non est erratum, sed traditum (ib. c. 28); Migne l. c. p 40). Non dominavit certe error usque ad adventum haereticorum, nam ipse Dominus docuit principalitatem veritatis et posteritatem mendacitatis, quod evincitur ex illius quoque parabolae patrocinio, quae bonum semen frumendi a Domino seminatum in primore constituit avenarum autem sterilis faeni adulterium ab inimico diabolo [1]

[1] Mat. -38

postea superducit (Op.c. c. 31; Migne l. c. p. 44)....
Si quaedam sint haeres etiam ab aetate apostolica, nullum habent apostolum sui auctorem, cuius successor sit episcopus haereticus (c. 32.). Quae doctrinae ab apostolis rejecta fuerant (c. 33). Sicut cum illis erroris auctoribus eadem praedicant haeretici, cum eis simul damnentur (c. 34). Nulla harum praescriptionum invocari potest contra catholicam doctrinam. (c. 35). Percurri possunt multae ecclesiae, in quibus cathedrae sunt apostolorum, et praecipuae Romana, ubi Petrus dominicae passioni adaequatur, unde nobis quoque auctoritas praesto est (c. 36). Veritas non competit nisi eis qui traditam ab apostolis doctrinam sequuntur, haeretici ne provocare quidem ad Scripturam debent cum non sint christiani (c. 37). Praesertim cum ipsi Scripturam corrumpunt (c. 38). In eo comparandi illis qui Virgiliocentonas et Homerocentonas composuisse leguntur (c 39). Fit autem hoc diaboli instructu, qui sacra studet sacrilege imitari (c. 40). Apud haereticos incertum quis fidelis, quis cathechumenus, mulieres exorcismos legunt fortasse et tingunt sacerdotii ordines fluctuant (c. 41). Ethnicos convertere—

nōn student, sed catholicos pervertere, obedientiam suis superioribus nōn praestant, licet contraria sequantur nōn dividuntur (c. 42). Conversantur cum falsi doctoribus (c 43). Si praescriptiones nōn metuunt iudicio terreantur (c.44.).

Multa praeclara encomia de hoc opere Tertulliani dicit doctissimus Bardenheuer (Gesch. d. altk. Litt. II 362). Liber „De praescriptione" est culmen laborum Tertulliani, nam insignis est nōn solum copia veritatum, sed etiam arte proferendi eos. Brevis index argumenti nōn potest iustam generare ideam de magnitudine ingenii et materiae, quae sunt in libro (Eine knappe Inhaltsskizze kann diese Fülle von Geist und Gehalt auch nicht einmal ahnen lassen l. c.). Sine violentia et properatione, tranquillus, securus, suae fortitudinis plane conscius Tertullianus descendit usque ad profundissimo abdita ratiocinii adversariorum suorum ut eos refutet. Nullibi Tertullianus tam clare agit advocatum Ecclesiae quam in hoc opere, quod, quamvis

prodeat ex suis ingenii opibus, tamen perfecte manifestat et spiritum et doctrinam totius Ecclesiae saeculi IIdi. Ipse loquitur, sed sibi applaudet universus orbis christianus, cuius persuasio suis verbis exprimitur. In hoc libro vere et fideliter, clare et fortiter, pulchre et potenter apparet catholica et ecclesiastica doctrina de auctoritate et traditione, opposita libere investigationis doctrinae, quam regulae et scopi carentem, profitebantur haeretici antenicaenae periodi.

Quaedam ideae Tertulliani inveniuntur iam in IIIo libro Irenaei adversus Gnosticos. In opere, quod posterius est scriptum „Adversus Valentinos" Tertullianus usus est opere Irenaei. Eum usum esse hoc opere etiam ad scribendum „De praescriptione" probabile quidem est, sed non certum.

Quidam pictor Hermagenes, christianus carthaginensis docuit materiam mundi esse aeternam. Adversus eum scripsit librum supra memoratus Theophilus Antiochenus (v. Eusebium Caes. h. E IV, 24) Scripsit etiam et Tertullianus „Adversus Hermogenum" librum qui conservatus est.

In exordio libri dicitur: „Solemus haereticis compendii gratia de posteritate praescribere" (Migne I 197.) His verbis annuitur librum „De praescriptione" iam editum esse, quod quidem respondet menti.

Tertulli a[illegible] aliis in locis expressae. Accuratius autem tempus quo prodiit hoc opus determinare omnino non possumus propter defectum indiciorum.

Cum liber Theophili Antiocheni adversus Hermogenem periit, non possumus solvere quaestionem, unusne eo sit Tertullianus.

Ad historiam apologeticae pertinet 18 prima capita in quibus Tertullianus ex notione Dei deducit philosophica argumenta ad stabiliendum materiam non esse aeternam.

Horum capitum sequens est argumentum:

Doctrina Hermogenis est omnino recens, ita autem corrupta. A philosophis ethnicis Hermogenes sumpsit errorem, materiae scilicet aeternitatem (c. 1). Hermogenes dicit Deum non potuisse creare mundum ex se, neque ex nihilo (c. 2). Porro non potuisse Deum esse Dominum, nisi adesset cui dominaretur, nec potuisse Deum non esse Dominum. Ergo ut posset Deus ab aeterno esse Dominus oportuit ab aeterno esse materiam cui dominaret. Hanc coniecturam destruit Tertullianus, nam nomen Domini est accedentis rei mentio. Porro si materia non a Deo creata, ergo Deus non erat materiae Dominus. Si materia fuit aeterna, ergo aeternitas non est exclusiva Dei vera qualitas. Sed in nulla qualitate Deitas consistit nisi in aeternitate. Ergo materia si est aeterna est deus. Ita Hermogenes duos deos infert. Deum autem unum esse oportet (c. 3 et 4)[1]

Divinitas non in uno Deo et materia non [illegible]

1) [illegible] 3 (1991) [illegible]

aequalitatem si eadem tribuuntur utrique qualitates. Ad ipsa aeternitate materia aeque iure ac Deus est creatrix universi. Veritas autem sic unum Deum exigit defendendum ut solius sit quidquid ipsius est. Habet quidem creatura aliquid commune cum Deo, sed non aequiparatur Creatori, quia quod commune cum Eo habet, ab Eo habet (c. 5.) Deus dicit non esse alium, qualis est ipse (Deut. 32, 39. 40), porro Is. cc. 41, 4; 44, 6; 48, 12 se dicit esse primum et novissimum, ac Is. 44, 24 affirmat a se solo factos esse coelos. Sed qui affirmat materiam esse aeternam, affirmare debet Deum his omnibus in locis mentiisse (c. 6.) Nulla est ratio dicendi materiam esse Deo inferiorem, si ipsa admittitur aeternam existentiam a se non ab Eo habere. Divinitas gradum non habet, utpote unica, quae si et in materia erit, aderit utrobique; quia minor se nunquam poterit esse (c. 7). Qui aeternam materiam dicit, praeponit eam Deo, nam materia Deo non egens, sed egenti Deo se praestitit (c. 8). Si Deus usus est materia sibi coaequali, debuit ea uti iure precario, nam materia dicitur esse mala, non vero dominii. Potuit etiam eam vi occupare. Sed melius censuisset Deus nihil omnino faciendum, quam recurrendum ad vim vel ius precarii (c. 9). Materiam esse malam, haeretici dicunt, ut originem malorum explicent. Si vero non diceretur ea esse mala, tunc indecorum existimasset Deus de alieno licet bono facere. Admissio originis mali in Deo aut in aliquo principio aeterno

quod a Deo non pendet, Dei responsabilitatem non tollit, nam aut non potuit aut noluit Deus malum tollere ex materia qua usus est. In utroque casu non est Deus, nam relinquendo malum, agit male, si per voluntatem, turpiter si per necessitatem (c. 10.) Si materia dicitur aeterna, debet dici omnino bona, quia aeterno malum subesse non potest. Si ens aeternum posset esse mali capax, tunc malum procedens ab aeterno esset necessarium, ac proinde poenae a Deo illatae malo essent iniustae (c. 11.) Sicut natura Dei non potest mutari in malum, ita natura materiae aeternae non potest mutari in bonum, ac proinde non potest fieri conversio peccatorum, quapropter mendacia sunt Luc 3, 7, 8 et Eph. 2, 3. Materia a Deo creata fuit bona (Gen. 1, 3. 34) sed demutationem passa est. Si vero fuisset aeterna, demutationi subiici non potuisset (c. 12). Mala materia non potuit demutari in bonum inde unde igitur sunt bona quae existunt? Eadem vero materia simul bona et mala admitti non potest, quia contradictoria non coniunguntur. (c. 13.) Dignius est Deum malorum auctorem liberum credere, quam servum. Sed si Deus bona fecit non ex materia, ergo ex nihilo fecit, ergo potest Deus aliqua facere ex nihilo (c. 14.) Porro cur non omnia ex nihilo si aliquid ex nihilo? (c. 15) Nihilominus et per materiam Deus auctor mali ostenditur, si ideo materia praesumpta est, ne Deus mali auctor videatur. c. 16) Unici Dei status hoc exigit ut nihil sibi aequiparetur. c. 17) In creatione mundi Deus non est usus materiae

adiutorio et consilio. Sola sapientia ei aderat ut patet ex Scripturis Sacris. cf. Proverb. 8, 27-30. Immo etiam haec Sophia Dei nata fuit et condita, nam nihil praeter Deum innatum est et non conditum. Ponendo materiam aeternam, Hermogenes praeponit eam Filio Dei. (c. 18). Sequentibus capitibus 19-34 capitibus Tertullianus refutat argumenta, quae Hermogenes ex Scriptura Sacra adduxerat ad suam thesim probandam. Tandem ultimis 35-45 irridet phantasticas illas qualitates, quas Hermogenes tribuit suae materiae aeternae.

De anima est opus Tertulliani, si molem adspiciemus, maximum inter omnia sua scripta, exceptis quinque libris adversus Marcionem. Indoles internae huius operis sunt eximiae. Bardenhever[1] praecipue has recenset: independentiam mentis (Selbständigkeit des Gedankens), copiam eruditionis (Fülle der Gelehrsamkeit) et sobrietatem investigationis (Sachlichkeit der Erörterung). Idem criticus (loco citato) dicit hunc Tertulliani librum esse antiquissimum systema psychologiae christianae, cuius scopus fuit defendendi christianam doctrinam de anima contra errores philosophorum illius temporis aut contra haereses praesertim gnosticas quae incredulam illam philosophiam sub tegumine christiano ventilabant. Esser autem in libro „Die Seelenlehre Tertullians" p. 32 putat non debere negligi fructus positivos investigationum Tertulliani, quamquam solutiones problematum

1) Gesch. der altk. Lit. II 377.

non semper sunt rectae et quaedam in opere inveniuntur minus bona. Apologeta Africanus clare asserit unitatem naturae humanae ac unitatem animae eiusque vitae. Hi sunt duo cardines sui systematis psichologici, quos ipse acute probare novit. Si potuisset Tertullianus liberari ab influxu realismi stoicorum, fructus suorum laborum adhuc meliores fuissent saltem quibusdam in locis. Veritas eum adpellebat ad agnoscendum ens spirituale, cui multoties iam valde propinquus fuit, sed illud relinquebat discedens ab eo, nam metuebat incidere in idealismum gnosticorum. Non obstante partialitate et insufficiente profunditate suorum investigationum, quorum causa fuit necessitas pugnandi cum adversis, merita Tertulliani de psichologia sunt magna (Citatur ex O. Bardenhever - Gesch. d. acht. Lit. II 378.)

Tertullianus non omnia ex se creavit, quae in hoc opere conscripsit; nam usus est operibus scriptorum medicorum praesertim autem opere medici Sorani Ephesini, qui imperante Traiano quatuor libros de anima exaravit.

Liber „De anima" c. 55. memorat martyrium s. Perpetuae, quae passa est 202 anno aut 203; porro cap. 21 citat suum secundum librum contra Marcionem, quapropter non est scriptus ante 207. Imo eruditi communiter assignare solent annum 210 aut 211. [illegible] optimae correspondent et manifesta vestigia montanismi, nam c. 9. auctor

profitetur suam fidem in novam propheciam. Iterum repetitur capitibus 45 et 58.

Cum psichologia nonnisi secundario modo pertinet ad systema theologiae fundamentalis, argumentum huius operis nonnisi valde summatim tradimus. Copia litteraria huius operis dividitur in tres partes, quarum I a c. 4 ad 22 agit de natura animae et de eius viribus. Non negando immaterialitatem animae Tertullianus „animae corpus (esse asserit) propriae qualitatis et sui generis." (c. 9). Ideo animam corpus esse dixit, ut fortiter assereret eam esse ens reale et substantiale. Propriae qualitates huius corporis in eo consistunt, iuxta Tertullianum, quod non obstante diffusione unum est. Secunda parte, scilicet agit capp. 23-41 de origine singulorum animarum, refutat praeexistentiam earum et metampsychosin, ac profitetur crassum generatianismum seu traducianismum, non agnoscendo creationem immediatam singularum animarum. Iuxta eum in conceptione parentes tradunt proli totam suam naturam spiritualem aeque ac corporalem. Licet semen corporale distinguatur a spirituali tamen utrumque arctissime coniunctum est (c. 27). Hoc modo Tertullianus studebat explicare dogma peccati originalis. Tandem 3-ia pars a 42 ad 58 capp. loquitur de diversis statibus animae viventis in corpore et solutae a corpore. Tertullianus putat omnes animas usque ad resurrectionem corporum esse in inferis nisi martyrio merentur immediate volare ad Deum. Poenitentia incipit iam in inferis.

Tandem ultimum opus Tertulliani apologeticum est liber ad Scapulam, qui fuit proconsul Africae 211-213 annis, ac atrocius persequebatur christianos quam caeteri praesides imperii romani, nam et bestiis eos obiciebat dilaniandos et igne comburebat.

Liber Ad Scapulam potius epistola vocari debet, nam constat quinque brevibus capitibus et directe ad unum hominem vertitur. Cap. 3 memoratur plena solis eclypsis, quae in Africa septentrionali fuit 14 augusti 212. Inde sequitur epistolam scriptam esse probabiliter mense septembre 212 anni.

Argumentum. Christiani non timent persecutiones. Hic libellus datur eo fine, ut potius persecutoribus prosit, quam persecutis, nam christiani tenentur etiam inimicos diligere (c. 1) Christiani unum Deum colunt quod eis iniuste prohibetur, nam religio nemini per vim est imponenda. Licet deos gentilium non agnoscunt, tamen sacrilegia in eos non committunt nisi ipsi gentiles. Christiani colunt imperatorem eumque solo Deo minorem agnoscunt, pro imperatore sacrificium precum offerunt Deo. Licet numero multi tamen seditiones non excitant etsi persequantur (c. 2.) Propter persecutiones christianorum calamitates publicae multiplicatae sunt; multi praesides qui in christianos saeviebant a Providentia

puniti sunt, caeteri punientur in die iudicii.

Et tu quidem, Scapula, memento de caetero (c. 3) Non te terremus sed monemus, ne cum Deo pugnes. Habes multa bona specimina eorum qui uno tecum munere fungebantur, quod etiam etiam eis profuit, ut Marco Aurelio imber mirabiliter impetratus orationibus christianorum in expeditione germanica. Virtutes christianorum manifestae crimina tam diu a nemine probata. (c. 4) Crudelitas vestra gloria est nostra. Tam multi sumus ut trucidare omnes te vires deficient. Parce ergo tibi, si non nobis, parce Carthagini, si non tibi parce provinciae, quae visa intentione tua obnoxia facta est concussionibus et militum et inimicorum suorum cuisque caedes non minuunt numerum christianorum sed augent (c. 5).

Haec epistola nullam praefert apologiam christianismi doctrinalem, sed magni est valoris ad historiam persecutionum reconstruendam. Exibet etiam materiam ad construenda quaedam argumenta theologiae fundamentalis. Ex ea enim cognoscimus magnum numerum christianorum ineunte s. III eorumque tranquillam constantiam in tormentis. Utrumque multum prodest ad probandam diffusionem religionis nostrae fuisse miraculosam, miraculosa autem diffusio indicium est divinae originis

Merita Tertulliani apologetica alia sunt practica, alia vero doctrinalia. De practicis, scilicet de influxu scriptorum eius in diminutionem persecutionum et in augmentum fortitudinis christianorum loqui debet historia ecclesiae. Nostra autem interest cognoscere et recensere nonnisi doctrinalia eius merita, quod scilicet, contulerit ad demonstrandam veritatem religionis christianae, ad colligendam et elaborandam materiam doctrinalem, in qua continetur systema theologiae fundamentalis.

Moles scriptorum suorum longe superat molem scriptorum copiosissimi praecessoris sui, nempe Iustini M. Nullus apologeta antiquior comparari potest Tertulliano diversitate obiectorum quae tractat, ac copia materiae doctrinalis qua utitur ad [illegible] ea obiecta quae tractanda suscipit. Eximia sua cultura iuridica contulit et specialem apologiarum Tertulliani indolem et magnum effectum exhibebatur in imperio romano quod erat praecipua legum veneratione insigne. Porro Tertullianus non parum est meritus de evolvendis singularibus theologiae fundamentalis capitibus: doctrina de Deo Eiusque existentia et proprietatum

demonstratio, de traditione, de Ecclesia, de anima. A Ehrhard (Die altchristl. Literatur, p. 4[illegible]) dolet deesse systematicam expositionem opinionum Tertulliani de quaestionibus theologicis. Post Ehrhardium iam apparuerunt quaedam opera ad complendum defectum ab eo indicatum sed non omnia commendari possunt. Commendatur autem d'Alès, La théologie de Tertullien. Paris 1905, doleo tamen me hoc opus non habere. J. Tixeront dicit Tertulliano competere titulum fundatoris theologiae in Occidente christiano. (Histoire des dogmes. Paris Lecoffre 1905, I, 329) Tertullianus condidit sermonem theologicum latinum; ab ipsis initiis ille docuit theologiam (fundamentalem) occidentalem uti [illegible] claris conceptibus et adaequatis terminis. Maior pars obiectorum principalium de quibus tractat theologia hodierna, iam fuit [illegible] a Tertulliano [illegible]: relatio inter fidem et philosophiam, natura Dei, tres Eius personae, [illegible] inter Deum et hominem, lapsus generis humani, redemptio, virginitas Mariae, Ecclesia, sacramenta, sors hominis post mortem. Hic proprius cognoscemus ea sola capita doctrinae Tertulliani quae ad theologiam fundamentalem pertinent. Relationem inter fidem et rationem

Tertullianus tractat elucidando relationem christianorum ad philosophos. Tamen hac in re suae sententiae non semper sibi constant, aliis enim in locis dicit philosophorum sententias, de uno Deo, de fundamentis morum, de daemonibus, de angelis consentire cum doctrina christiana. Huius concordantiae rationem in eo quaerit, quod anima humana naturaliter est prona ad christianismum. Sed aliis in locis Tertullianus dolet haereses ortas esse sub influxu philosophorum ethnicorum in christianos, tunc damnat simul et philosophos et eos christianos qui magis addicti sunt sapientiae humanae, quam Christo: „Quid adeo simile philosophus et christianus? Graeciae discipulus et coeli? famae negociator et salutis (vitae) verborum et factorum operator, rerum aedificator et destructor, interpolator erroris et integrator veritatis, furator eius et custos" (Apologeticus 46; Migne P.L. I 514.)

Inter duas hac sententias Tertulliani de eodem obiecto, scilicet de valore philosophorum ad cognoscendam veritatem non est veri nominis contradictio, sed potius est non perducta ad ultimum finem expressio partialis utilitatis philosophorum ad cognoscendam docendamque veritatem ac partialis eorum nocuitas. „Seneca saepe noster", scribit Tertullianus in opere „De anima"

(c. 20 Migne P.L. II 682) Dicendo „saepe" Tertullianus indicat praeceptorem Neronis ex parte veritatem cognovisse ex parte vero non. Plus minusve idem sentiebat Tertullianus et de singulis aliis philosophis, licet tale iudicium de tota philosophia ethnica non protulerit.

Veritas quaerenda est non apud philosophos sed apud ecclesias apostolicas matrices. Christus doctrinam suam a Patre accepit eamque suis comitibus tradidit, comites successoribus suis et sic serie non interrupta veritas transmittitur ad posteros. Haec transmissio est irrevocabilis praescriptio contra omnes haereticos. „Si homo qui Italiae adiacet veritatem invenire vult, Romam habet, unde nobis quoque auctoritas praesto est. O quam felix Ecclesia, ei totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt." (De praescriptione 36. Migne P.L. II 49)

Compendium doctrinae ecclesiasticae ac regula fidei et lex est symbolum (De praescr. 13, 14). Neque disceptare de symbolo neque mutare id licet neque Montani prophetia symbolum laesit. Sed ea quae in symbolo non sunt quae coniecturis constant iustae subeunt investigationi. Principale obiectum fidei est Deus. De Deo autem Tertullianus quaedam singularia docet. Scribit enim: „Quis enim

negabit Deum corpus esse, cum Deus spiritus est" (Adversus Praxeam c. 7. Migne P. L. II. 162) Inde non parva est occasio putandi Tertullianum corporalitatem Dei professum fuisse. Tamen accuratior cognitio apologetae Africani diiudicat eum hic minus recte usum esse verbo „corpus" loco verbi „substantia". Nam verbum „corpus" ab eo intelligi non consueto modo indicant duae circumstantiae:

a) Deum dicit aperte spiritum et b) spiritum dicit esse corpus „sui generis in sua effigie". Stoici quidem dicebant differentiam inter spiritum et corpus non esse qualitatis sed quantitatis, scilicet corpus esse densius quam spiritum. Dissertationem de doctrina Tertulliani de Deo scripsit protestans J. Stier ad obtinendum gradum doctoris in universitate Göttingensi. (Der spezielle Gottesbegriff Tertullians. Göttingen 1899 pag. 66.) In hoc opusculo affirmatur ideam Tertulliani de Deo esse elaboratam sine ullo influxu philosophiae stoicae et generatim ethnicae, qui demonstrari possit: fontem ideae Tertulliani de Deo esse Scripturam sacram, apologetas vero anteriores concurrisse ad eam elaborandam; sed ideam Tertulliani de Deo distingui ab eadem idea apologetarum eo quod est magis realistica et addit categorias bonitatis ac iustitiae. Praeterea Stier, teste Ehrhard'o adhuc animadvertit

ad id quod Tertullianus valde fortiter docet absolutam Dei libertatem. Sententia Stier quadam correctione opus habet, nam vera realitas Dei iuste a Tertulliano sublineatur et iuste Tertullianus pugnavit contra subiectivistas sui temporis fortiter docendo Deum esse ens reale et obiectivum. Porro apologetae II s. non omiserunt bonitatem Dei valde clare praedicare, praesertim Theophilus, cuius opus Stier fortasse reicit in recentiora tempora.

De Theodicea Tertulliani scripsit etiam E. F. Schulze (Elemente einer Theodicee bei Tertullianus) in Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie v. 43 annus 1900 p. 62-104 sed maxime occupatur in elucidanda quaestione relationis inter Deum et malum. Mala iustorum non sunt nisi ad exercendum eos. Etiam puniendo homines Deus prodit suum amorem erga eos, aut saltem iustitiam: in utroque casu aliquid bonum. Hanc ob rem Schulze Tertullianum vocat optimistam, nos vero nihil nisi sanam doctrinam in tali sententia Tertulliani. Explicando originem mali et peccati Tertullianus valde clare proponit doctrinam de libertate humana (Adversus Marc. II, 5-7.) Ecclesiam Tertullianus docet esse corpus Christi, qua in re sequitur s. Paulum. Licet credat totam Ecclesiam universalem unam esse societatem, tamen frequentius loquitur de ecclesiis

particularibus, quae aut fundatae sunt ab apostolis, aut adiunctae illis ecclesiis matricibus. Omnium ecclesiarum est una fides. Tertullianus magni facit praecipue ecclesiam Romae et s. Petrum (De Praescriptione c. 36.) Postquam factus est montanista Romanum Pontificem appellavit: „Pontifex Maximus" et „Episcopus Episcoporum", sed hoc probabiliter facit ironice. In opere de Baptismo Tertullianus mentionem facit episcopi quem summum sacerdotem apellat, sacerdotum et diaconorum. In scripto autem haeretico „de Exhortatione castitatis" ait omnes etiam laicos esse sacerdotes (c. 7.), quamvis in opere „De praescriptione haereticorum" multum vituperavit haereticos propter defectum distinctionis inter clericos et laicos: „Itaque (apud haereticos) alius hodie episcopus eras alius; hodie diaconus qui eras lector; hodie praesbiter qui eras laicus: nam et laicus sacerdotalia munera iniungunt." (c. 4 Migne P.L. II p. 57). Itaque videtur Tertullianus claram et constantem ideam de sacerdotio non habuisse. Doctrinam Tertulliani de Traditione exposuimus tractando de suo libro „De praescriptione". Hic superfluum est ea repetere. Doctrinam de anima humana item exposuimus tractando de suo opere „De anima".

prof. F. Buczys.

Hic autem addendum esse censemus, hanc Tertuliani doctrinam maxime investigatam fuisse ab Esser, qui scribit „Die Seelenlehre Tertullians" Paderborn 1893 p. VIII+234. Quidam dicebant Tertulianum hac in re nihil praestitisse nisi inconstantem in dialecticam. Supra allati fructus laborum Esser'i ab Ehrhard multum laudantur (die Altchriste. Litt. p. 457-453).

(Quidam critici censebant Tertulianum tam fuisse ethnico spiritu imbutum, ut ne fere nihil christiani in se habuisse. Hanc opinionem esse multo exageratam iam antea diximus. Ulterior autem rei tractatio etiam singula facta suppeditavit, ex quibus sat clare videri potest Tertulianum omnino christianum fuisse. Praesertim autem in eo, quod docuit fontem veritatis religiosae esse Deum, revelationem suam esse factum, fidem autem nostram esse officium. Has ob causas Tertuliano abiudicari potest christianismum ab eis solis, qui christianismum censent

esse aliquid vagum.

Prae magno amore claritatis et praecisionis iustitiae Tertullianus, licet multum sit meritus de tota theologia occidentali, sed aliquando supergressus est iustos limites. Iuridice concipiendo religionem non satis attendit ad profunditatem amoris, qui est in fundamento christianismi, qui non raro excedit limites iuridicos, ut ascendat ad altitudinem vitae mysticae.

Tertulliani influxus in posteriores theologos tantus fuit, ut communicaret iuridicam claritatem conceptuum totae theologiae occidentali; sed non erat tantus, ut mysticas vires Ecclesiae occideret. Itaque bonae qualitates Tertulliani profuerunt Ecclesiae, malae vero non nocuerunt.

Valde dolendum sane est hominem, qui tanta bona ac talia Ecclesiae fecit, dein ab ea discessisse ac meritum esse omnes illas exprobrationes, quas ipse antea contra haereticos fulminasset, immo etiam quasdam suas anteriores veras sententias cum falsis posterioribus commutasse.

Speramus Deum misericordem ei fuisse; tamen nobis ipsi numquam confidamus. Etsi merita nostra de Ecclesia maiora essent quam Tertulliani, tamen fortitudo nostra non sufficeret ad nos in bono usque ad finem conservandos. Semper gratiae Dei vitamur.

EDITIONES TERTULIANI. Antiquissima omnium scriptorum Tertulliani editio typographica prodiit Basileae 1521 curante B. Rhenano; porro ea ediderunt J. Gangneius et M. Mesnartius Parisiis 1545; postea S. Gelenius Basileae 1550; J. Pamelius Antverpiae 1579; N. Rigaltius Parisiis 1634; J. S. Semler, Halae 1769-1776; Fr. Oberthür, Opera omnia sanctorum Patrum latinorum. Wirceburgi 1780; E. F. Leopold Lipsiae 1839-1841; Gersdorf Bibliotheca Patrum Ecclesiae latinorum selecta IV-VII. Migne, Patrologiae Latinae cursus completus I et II Parisiis 1844; Fr. Oehler Lipsiae 1851-1854; A. Reifferscheid et G. Wissowa Corpus scriptorum Ecclesiae latinae vol XX. Vindobonae 1890.

Ex numeratis editionibus Basileensis ex anno 1521 honoratur tamquam editio princeps. Editiones Gangnei (1545 an.) et Gelenii (1550) et Pamelii (1579) habent valorem manuscriptorum, quia usae sunt codicibus medio aevo conservatis, a novo aevo perditis. Tandem editio Vindobonensis (1890) facta est ad normas criticae hodiernae.

Recentissimae editiones: Aem. Kroymann Tertulliani opera recensuit. Parisiis 1906 (vol III) (Vide E. Kroymann, Kritische Vorarbeiten für den 3 und 4 Band der neue Tertullian Ausgabe. Wien.-Gerold 1900)

COMMENTARIA.

C. J. Hefele, Beiträge zur Kirchengeschichte, Archeologie und Liturgik. Tübingen 1864, vol I p. 87-121 agit de Tertulliano tamquam apologeta. H. Jung Tertullian als Apologet (Jahrbücher für deutsche Theologie 1864 IX vol. p. 649-687) J. Pelet, Essai sur l'Apologeticus de Tertullien. Strasbourg. - J. E. B. Mayer, Tertullians Apology (The Journal of Philology

1893 vol. XXI 259-295. Gaucher. L'Apologetique de Tertulien. Auteuil 1898; Esser, Die Seelenlehre Tertullians. Paderborn 1893. J. Schmid. Ein Beitrag zur Chronologie der Schriften Tertullians und der Prokonsuln von Afrika. (Rhein. Museum Philologie Neu Folge XLVI 1891 p. 77-98). E. Nöldechen, Tertullians gegen die Juden auf Einheit Echtheit, Entstehung geprüft. Leipzig 1894 (Texte und Untersuchungen XII, 2). J. M. Einsiedler, De Tertulliani adversus Judaeos libro. Augustae Vindelicorum 1897. P. Corssen, Die Altercatio Simonis Judaei et Theophili Christiani auf ihre Quellen geprüft. Berlin 1890.

DE EDITIONIBUS SINGULORUM OPERUM APOLOGETICORUM TERTULLIANI.

APPENDIX.

Antiquissima editio duorum librorum Ad Nationes prodiit Aureliapoli 1625 cu-

runte J. Gothofredo. — Apologeticus autem prodiit Venetiis per Bernardinum Benalium 1483. Hunc etiam edidit Leidae 1718 S. Haverkamp. — Fr. Oehler edidit Lipsiae 1849 Ad Nationes una cum Apologetico. — H. Hurter. SS Patrum opuscula selecta XIX 1872. — J. Vizzini, Romae 1901. — Florilegium Patristicum IV. Tertulliani liber De praescriptione haereticorum. Textes et documents. Paris Piccard 1907. — A. Souther. A tenth century fragment of Tertullians Apology (The Journal of Theological Studies London Macmillan 1907. paginae 297-300)

CLEMENS ALEXANDRINUS:

Titulus Flavius Clemens probabiliter Athenis natus est circa medium s. II. Eius parentes probabiliter ethnici fuerunt. (Cfr. Pedagogus I, 1, 1; II, 8, 62).

De tempore suae conversionis ad christianismum nullae adsunt notitiae. Post conversionem suam peregrinatus est in Italia meridionali in Palaestina et Syria, tandem pervenit in Aegyptum ibique se adiunxit Pantaeno, qui primus celeberrimam scholam christianam Alexandriae fundaverat.

Circa 180 Clemens Alexandriam pervenit. Cognita magnitudine Pantaeni noluit derelinquere eum et Alexandriam. Anno probabiliter 190 Clemens factus est sacerdos et adiutor Pantaeni in docendo. Paulo ante finem s. II Pantaenus mortuus est, ac Clemens fuit eius successor in moderanda schola alexandrina. Tamen persecutione orta circa annum 202 aut 203 coactus est fugere ac peregrinabatur in diversis Asiae regionibus.

Maxime videtur morasse in Cappadocia, ubi eius discipulus Alexander fuit episcopus. Alexandro in carcerem coniecto Clemens videtur multum meruisse

de administranda et iuvanda sua ecclesia circa ann. 211. Annus mortis Clementis non est certus. Constabat eum defunctum iam fuisse anno 216 aut fortasse 215. In quibusdam ecclesiis ipse reputabatur esse sanctus et suus dies festus assignabatur 4 decembris, quod fortasse indicat eum mortuum esse hoc die.

DE TRILOGIA CLEMENTIS ALEXANDRINI.

Primis christianae religionis saeculis plurimi erant christiani, qui in religione gentilium nascebantur. Isti opus habebant avelli ab ethnicismo, ut discipuli Christi fierent. Sed et ii, qui parentes habuerunt christianos non minus illis debebant vim sibi inferre, ut elongarentur mente et corde ab ethnica ratione cogitandi et agendi, nam fortissimum societatis ethnicae influxum subibant. Porro postquam quis longe factus est ab ethnicismo, necesse habuit, ut formaretur ad christianam vitam, rationem agendi

virtutes exercendi. Tandem bene formatus christianus adscendere potuit ad sapientiam fidei christianae capescendam. Itaque tria fuerunt stadia evolutionis spiritualis primaevorum christianorum: a) elongatio ab ethnicismo, b) formatio ad virtutes christianas et tandem c) ascensio ad sapientiam fidei. Clemens Alexandrinus tria opera scripsit, ut hanc tripartitam viam faciliorem redderet, ducatum in ea praestando. Primus liber apellatur „Cohortatio ad Gentes" (Λόγος προτρεπτικὸς πρὸς Ἕλληνας), quia monet ethnicos, ut antiquis erroribus valedicant, rationesque valedicendi adducit. Secundum opus tribus absolvitur libris et vocatur „Paedagogus" (Παιδαγωγός) cuius propositum est naturam sanandi peccatis corruptam. Tandem voluminosum opus non perductum ad finem, cuius adsunt septem integri libri et partes octavi titulum habet „Stromata" (Στρωματεῖς)*)

*) Patrz dopisek na następnej stronie.

quia recepit plurimas ac varias quaestiones, quae scitu sunt utiles ac referunt sententias Ecclesiae, aut saltem eruditorum christianorum, vel ipsius auctoris de dogmatibus Christi, de questionibus que a philosophis movebantur, de aliis rebus.

Tali pacto tria opera clementis in unum vergunt, uni fini serviant et unum constituunt. Quando clemens „Cohortationem" scribebat, nondum habuit propositum clare efformatum hanc trilogiam condendi, quia nullibi mentionem eius facit. Sed initio „Paedagogi" (l. I c. 1) clare proponit, se velle tria opera scribere, quae ad unum finem tendant. Ipse etiam clare proponit et specialem scopum ac nomen cuiusque libri.

*) Kobierzec-dywan. In codice Arethae, qui nobis conservabit Cohortationem ac Paedagogum non habetur tertia pars trilogiae clementinae. Haec conservata est in codice Florentino ex s. XI. Initio codicis posita sunt verba: λείπει ἡ ἀρχή (deest principium). Ad reconstruendum titulum operis multum serbit Eusebius in Praeparatione Evangelica, cuius adiutorio fulti titulum reconstruere sic possumus: Τῶν Στρωματέων λόγων ὁ πρῶτος. Sed magis fortasse utendum est indiciis, quae apud ipsum clementem inveniuntur in epilogis I, II, III, V librorum Stromatum. Quibus indiciis si utimur, sic titulum reconstituere possumus: Τῶν κατὰ τὴν ἀληθῆ φιλοσοφίαν γνωστικῶν ὑπομνημάτων ὁ πρῶτος Στρωματεύς (Pierwszy kobierzec naukowych Komentarzy do prawdziwej filozofii).

Tamen Clemens unum commune nomen tribus his operibus non imposuit.

Stromata videntur ultimum opus Clementis fuisse, nam in fine septimi libri promittitur nova series Stromatum. In hac serie debuerunt praesertim tractari ea, quae ab ipso Clemente vocantur ἀρχαί, scil. principia et doctrina de Deo seu ϑεολογία (vide Strom. IV 1, 2. 3; III 3, 13; IV, 4, 16; V, 14, 140). Tamen haec non sunt scripta.

De octavo libro Stromatum disputatur inter eruditos. Nam hodie habentur tres particulae, quas Zahn censet esse excerpta ex octavo, iam perdito, libro Clementis. Von Arnim et alii putant tres illas particulas esse materiale ab ipso Clemente collectum, sed non ita digestum, ut sit opus.

Itaque opus clementis apologeticum inverit non perductum ad finem.

Ruben v. Arnim et E. de Faye censuerunt Stromata non esse tertiam partem trilogiae de qua cogitabat Clemens scribendo prologum Paedagogi, sed aliquod

alienum introductum ab ipso auctore praeter primariam intentionem inter II et III partem Trilogiae. Opinio haec iuste ab eruditis reprobatur, quia Stromata nimis magna sunt, ut possint esse proemium ulterioris operis. Praeterea Stromata respondent ei fini, quem Clemens proposuerat parti tertiae sui operis.

Authentia trium operum ex quibus trilogia apologetica Clementis Alexandrini componitur nullo subiacet dubio, quia haec opera nota sunt plurimis scriptoribus tertii saeculi et subsequentium. Anni tamen difficiliter assignari possunt, quibus singula opera sunt tribuenda.

Proemium Paedagogi indicat „Cohortationem" iam esse scriptam, „Stromata" autem in proposito haberi, quapropter non est dubium, quia primo scripta sit „Cohortatio", deinde „Paedagogus", tandem „Stromata". Cum Clemens mortuus sit 215 aut 216 anno,

solent eruditi (Bardenhewer) affirmare Stromata esse scripta aliquot annis ante mortem, probabiliter inter annos 208 et 210 aut 211. Ratio autem removendi ultimum librum Stromatum ad hunc annum ea est, quod in hoc libro indicia chronologica perducuntur ad mortem imperatoris Commodi, ex quo conicere licet Commodi successorem Septimium Severum ad vivum fuisse. Sed Severus mortuus est 211 an., ergo Stromata ante exitum huius anni deprehenduntur fuisse iam absoluta. Saltem decem anni adiucandi sunt „Paedagogo" et „Cohortationi" ante Stromata. Zahn[1] „Cohortationem" censet esse scriptam 189 anno. Bardenhewer[2] praefert potius dicere id fuisse 199, Demetroskos[3] 195-200.

1) Forschungen zur Geschichte des N.T. Kanons III Bd. 1884 p. 176.

2) Geschichte der altkirchl. Litteratur II 1903 p. 39.

3) Κλήμεντος Ἀλεξανδρ. ὁ Προτρεπτικὸς πρὸς Ἕλληνας λόγος. Boucharet 1900.

Lector trilogiae clementinae non potest non admirari enormem auctoris eruditionem, quae adducit antiqua et contemporanea, christiana et iudaica et gentilia opera. Tamen haec admiratio recentissimis hisce temporibus multum decrevit, nam eruditus philologus Berolinensis Diels in suo opere „Doxographi Graeci" (Berolini 1879) paginis 12 et sequentibus probavit quaedam opera Clementini ignota fuisse et nihilominus ab eo citari. Alii eruditi exemplum Diels'ii secuti idem probaverunt de aliis citationibus Clementis. Itaque hodie certum est, Clementem usum esse compilationibus et enchiridiis, in quibus sententiae auctorum collectae fuerant. Maxime vero usus est Clemens Demetrio et Pseudo-Hekataeo.

1886 an. Wendland in opere Quaestiones Musonianae asserit notabiles partes secundi et tertii librorum Paedagogi esse verbotenus depromtas ex opere philosophi stoici Musonii, qui fuit magister Epictetis, et quidem ita, ut


Clemens transcriberet etiam iudicia Musonii de eis libris, de quibus in opere clementis mentio non erat facienda. Hoc accidisse praesertim Paedagogi II, 10, 94 et III, 8, 41. Haec affirmatio multum nocuit gloriae Clementis. Tamen in ulteriore suo libro, nempe Beiträge zur Geschichte der griechischen Philosophie und Religion, Berlin 1895, Wendland suam assertionem correxit, nam patuit Clementem non esse usum opere Musonii, sed notitiis alicuius discipuli eius. Loci autem, ex quibus Wendland concluderat Clementem caeciter transcripsisse verba Musonii, reapse sunt Clementis ac referuntur ad opera de quibus ipse voluit mentionem facere.

ARGUMENTUM TRILOGIAE.

COHORTATIO AD GRAECOS valde similis est anterioribus apologiis christianis saeculi secundi, nam dicit reiciendum esse politheismum et amplectendum christianismum.

Ab orgiis et impiis idolorum mysteriis homines avocans ad veram iubilationem Dei Verbi nomine provocat et ad laudes Dei Patris ob revelatam veritatem celebrandas hortatur (c.1). Absurditatem simul et impietatem mysteriorum ethnicorum et fabularum de deorum suorum ortu et interitu ostendit (c.2). Sacrificiorum diis mactatorum crudelitatem

Ad pag. 22. v. 9.



Ἀλεξάμενος σέβετε θεόν

Praelectiones ex historia apologeticae
prof. F. Bucys.

et veritatem perstringit (c.3). Simulacra quam absurda et turpia sint, quibus deos suos colunt (c.4). Philosophorum sententias de Deo recenset (c.5). Philosophus aliquando ipso aspirante verum hoc in argumento attigisse (c.6), poetas etiam veritatis testimonium ferre (c.7), veram de Deo doctrinam a prophetis esse petendam, graviter illos peccare, qui benignam Dei vocationem spernunt aut negligunt (c.9). Respondens obiectioni gentilium, qua nefas esse, aiebant, morem patrium deserere, eo impensius hortatur illos ad veritatem amplectendam qua ob erroribus istis liberentur (c.10). Quanta sint Dei beneficia in homines per Christi adventum collata. Tandem hortatur ut missis erroribus et cupiditatibus pristinis, se Christo, unico veritatis magistro, instituendos praebeant (c.12).

Paedagogus tribus constat libris, quorum primus loquitur de ipso Paedagogo. Verbum esse optimum magistrum. In hoc primo libro habentur 13 capita. Libri secundus et tertius singuli duodecim capita habent et diversas tradunt consilia bene agendi.

in singulos vitae circumstantiis. Sequitur elenchus capitum verbotenus iuxta Migne.

I Quid profiteatur paedagogus (c 1). Quod propter peccata nostra moderetur paedag (c 2) Quod sit benignus et hominum amans paedag. (c 3). Quod Verbum ex aequo virorum et mulierum paedag. sit (c. 4) Quod omnes qui circa veritatem versantur, sint apud Deum pueri (c. 5) Adversus eos qui existimant puerorum et infantium appelationem significare primarum disciplinarum doctrinam (c 6) Quis sit paedag. De eius paedagogia (c. 7) Adversus eos qui existimant non esse bonum id quod iustum est (c 8) Quod eiusdem sit potestatis et benefacere et iuste punire, in quo etiam dicitur, quis sit modus paedagogiae Verbi (c. 9) Quod idem Deus per idem Verbum et a peccatis arceat minans et humanae naturae salutem det adhortans (c. 10) Quod per legem et prophetas Verbum paedagogi functus fuerit officio Quod paedag. convenienter paternae affectioni severitate et benignitate usus sit. Quod quemadmodum id quod recte et ex virtute

geritur, sit ex recta ratione, ita rursum peccatum praeter rationem.

II Quomodo circa alimenta versari oporteat (c 1) Quomodo in potu se gerere oporteat (c. 2) Quod in sumptuosam vasorum supellectilem non sit studium conferendum (c 3) Quomodo in conviviis se recreare oporteat (c 4) De risu (c 5) De turpilogio (c 6) Quaenam conservare oporteat eos qui honeste simul vivunt An unguentis et coronis utendum sit (c. 8) Quomodo se in somno gerere oporteat (c. 9) Quaenam de procreatione liberorum tractanda sint (c 10) De calceamentis (c 11) Quod non opporteat gemmas et aurum ornatum stupere et admirari (c. 12)

III De vera pulchritudine (c. 1) Quod non sit cultu utendum (c. 2) Adversus viros qui formam colunt (c 3) Cum quibus habenda sit consuetudo (c 4) Quomodo in balneis se gerere oporteat (c. 5) Quod solus christianus sit dives (c. 6) Quod pulchrum viaticum christiano sit frugalitas (c. 7) Quod similitudines et exempla sint recte doctrinam pars maxima (c 8). Quaenam de causa sit balneum accedendum (c 9) Quod exercitia quoque sint eligenda iis qui vitam agunt

rationi consentaneam (c. 10). Compendiosa optimae vitae pertractatio (c. 11) Brevis optimae vitae similiter pertractatio et quod loca Scripturae sanctae vitam christianam describant.

Stromata. Ex eo (ipso) quod ipse auctor suum opus stromatibus assimilat, sat clare indicatur argumentum operis esse et ordine carere. Quapropter valde difficile est texere brevem huius argumenti indicationem. Cum autem opus septem integris et octavo manco libris constat, nimis longum est singula librorum capita reassumere.

Notare oportet propositum Clementis fuisse, ut hoc tertio libro, doctrina christiana exponetur per capita et defenderetur, cui propositio auctor non stetit. Ex contra ipse unaquaque data occasione redit ad materiam paedagogi, scilicet, ad quaestiones praeparatorias. Hic traduntur inscriptiones eorum capitum in quibus quaedam apologeticae utilia adesse possunt.

Lib I cap. 2 occurrit quarumdam

obiectioni vituperantium quod tam multa e philosophia desumpta libris suis inserit. (c 3) contra sophistas et inutiles scientiae iaculatores (c 4) ostendit humanas artes non minus quam rerum divinarum scientiam a Deo esse profectas (c 5) philosophiam theologiae auxiliari; (c. 6) institutione plerumque natura bonos fieri multumque ad studiosum conferre (c 7) Philosophiam ad divinam virtutem viam aperire eamque non particularis alicuius sectae sed eclecticam (c 8) artem sophisticam aliosque quae in verbis tantum versentur non perinde utiles esse habendas. (c. 9) scientias humaniores ad scripturas recte intelligendas esse omnino necessarias (c. 11) Quaenam sit sapientia mundana et philosophia quam devitare nos vult Apostolus (c. 12.) non omnes sunt veritatis idonei auditores (c. 13) variarum philosophiae sectarum unaquaque aliquam veritatis particularem sibi arripuit. (c 15) graecorum philosophia magna ex parte a barbaris hausta (c. 16) aliarum etiam artium inventores barbari fuerunt (c 17) de dicto Salomonis: „Omnes qui me praecesserunt fures erant et latrones (c. 18) De verbis Apostoli

„perdam sapientiam sapientium" (c 19) philosophi aliquam partem veritatis perceperunt (c. 20) Quanam ratione philosophia conferat ad divinae veritatis comprehensionem (c 21) Instituta iudeorum antiquiora quam graecorum (c. 25) Quomodo Plato in legibus suis condendis Moysen imitatus est (c 29).

Liber II (c. 2) per solam fidem ad cognitionem Dei pervenitur (c 4) fides omnis scientiae fundamentum (c. 5) graeci a ss scriptoribus multa hauserunt (c 6) exponuntur fidei praestantia et utilitas (c. 7-9) agunt de timore (c. 10) quid sibi vindicat philosophus christianus (c 11) cognitio per fidem tradita omnium certissima est. (c. 12) fides est duplex c. 17. de variis cognitionis generibus c. 16 ethica graecorum ex lege Moysi hausta est. Capita 19 et 20 agunt de vero gnostico, capitibus vero 21 et 22 exponuntur variae philosophorum sententiae de summo Bono

Liber III totus est in defendendo instituto matrimonii christiani.

Liber IV praecipue moralia tractat, sed capitibus 4, 7-13, 16, 17 agit de martyrio, capitibus vero 21-26 scribit de perfectione quae vera est gnosis (sapientia), tandem in reliquis hic non judicatis capitibus loquitur de

de variis veritatibus.

Liber V prosequitur expositionem virtutum (1-10), capite vero 11 auctoritate philosophorum probat ad veram Dei cognitionem optime perveniri, si mentem a rebus mundanis quam maxime abstrahamus c. 12 Deus nec mente nec verbis comprehendi potest c. 13. juxta philosophos Dei cognitio est donum divinitus datum et ab eis praecipue peti oportere qui divino affectu dignati sunt c. 14 graeci ex haebreorum libris decreta sua mutuati sunt.

Liber VI post introductorium c. 1, capite 2 redit ad obiectum ultimi capitis lib. V et dicit graecos a haebr... plurima accepisse Idem probat (c. 3) ex eo quod miracula in S.S. tradita in suas historias et fabulas mythologicas transtulerunt c. 4 graecos ex aegiptiis et indaeorum gymnosophistis multa philosophiae placita hausisse, quos ob sapientiam claros fuisse ostendit c. 5) graecos aliquatenus Dei veri notitiam habuisse c. 6 Evangelium ethnicis in inferno positis non minus quam iudaeis et ethnicis viventibus fuisse annuntiatum c 7 quid sit vera sapientia et unde dicatur Cap. 8 philosophiam esse cognitionem a Deo datam, licet ad respectu perfectionem.

Evangelii lucem ab Apostolo vilipendatur c. 9 verus gnosticus cavet perturbatis animi affectibus c. 10 gnosticum verum etiam scientiarum humanarum cognitionem sibi comparaturum tamquam fidei adiutricem atque ad res divinas percipiendas animam praeparantium. C. 11 mysticas rerum divinarum significationes contineri ostendit in numerorum arithmeticorum proportionibus et rationem geometricarum et et modorum musicorum differentiis. C. 12 hominem quamdam habere aptitudinem ad perfectionem, gnosticum autem solum eam revera consequi. C. 13 et 14 de gloria coelesti eiusque gradibus. C. 15 de variis cognitionis ad perfectionem ducentis gradibus et qua de causa multa obscura et mystica in s. Scriptura tradantur. C. 16 exemplum huius mysticii intellectus. C. 17 philosophiam non tradidisse perfectam Dei cognitionem, esse tamen in animarum medelam a Deo datam. C. 18 gnosticum verum philosophiam quasi per otium attingere, ad ulteriora progredientem, christianam scilicet doctrinam, omnis

Liber VII. c. 1 verum gnosticum maxime sincerum esse Dei cultorem, immeritoque ob incredulis tamquam atheum calumnias pati: c. 2 de filio Dei c. 3. gnosticus verus id agit ut Deo Eiusque Filio sit quam simillimus c. 4 ethnici effinxerunt deos sibi simillimos unde origo omnis superstitionis c. 5 anima sancta et templum Dei. c. 6 preces sacrificiis sunt potiores c. 7 de oratione veri gnostici c. 8 verus gnosticus ita veritatem colit, ut non habeat opus iuramento c. 9 qui munus docendi alios in se suscepit, virtutibus multo magis pollere debet c. 10 quibus gradibus ad veram perfectionem tendit gnosticus c. 11 ulterius describitur vita veri gnostici ipsumque auctor dicit fortem esse in tollerandis malis ac etiam morte subeunda c. 12 verus gnosticus beneficus est et continens et mundana omnia despicit c. 13 verus gnosticus ignoscit delictis in se commissis c. 14 veri gnostici descriptio clauditur illustratione adhibita e 1 Cor 6, 1. - c. 14 respondet obiectioni illorum qui Ecclesiae se adiungere recusant propter haeresium varietates c. 16 et 17. duas rationes proponit quibus vera fides ab haeresi distingui potest Scripturam nempe et Traditionem c. 18 ex mystico sensu

legis de mundis et immundis animalibus iudaeos et haereticos ab Ecclesia distingui posse ostendit.

Liber VIII Totus est in tractandis quaestionibus dialecticis, quae quidem utiles sunt christiano defensori doctrinae revelatae, tamen inter apologetica vix poni possunt.

Valor trilogiae Clementis Alexandrini in historia apologeticae christianae. Pulchritudinem sermonis Clemens Alexandrinus parum curat sicut et praecipua pars apologetarum graecorum saeculi secundi; ordinem vero logicum et systematicum omnino neglegit, quod sane vitium est. De sua consuetudine congerendi plurimos auctorum sententias ex enchiridiis et compilationibus vix dici potest, utrum vitium an non. Optima quidem est res plurimorum adducere testimonia auctorum ex operibus eorum genuinis diligenter perlectis immediate desumpta, sed non nimis vituperanda esse videtur ratio agendi eorum, qui volunt mediate afferre testimonia quam ea omittere. Si voluisset Clemens aliena eruditione propriam adstruere laudem, hoc fuisset vitium suae voluntatis non vero defectus operis.

Primum meritum Clementinae trilogiae in hoc consistit, quod fuit primus conatus redigendi in systema doctrinale omnes has veritates, quae a Christo revelatae ab Ecclesia praedicabantur et a fidelibus credebantur. Hanc ideam Clemens non omnino noviter invenit, quia apud philosophos graecos satis cognitus fuit usus variarum scholarum placita in systemata redigendi. Clementis meritum est, quod bonam philosophorum consuetudinem mutuatus est ad perficiendam formam doctrinae christianae. Quapropter Clemens potest considerari tamquam primus theologus christianus, nam theologiae munus in hoc consistit, ut veritates in fontibus revelationis inclusae systematicae ordinentur et proponantur. Systema theologicum a Clemente propositum valde imperfectum fuit ac multo differt ab illo systemate theologico quod hodie unicuique theologiae tironi notum est, sed maius est meritum rudia initia alicuius rei ponere, quam ultimam manum perfecto operi addere. Ideo Clementis meritum est magnum, quod ipse fuit huius rudis initii auctor.

Eo tempore, quo Clemens vivebat, duplex fuit directio mentium inter christianos, alii enim evolvendo sapientiam Platonis et Stoicorum philosophiae graecae examinabant doctrinam Christi, ita hanc interpretando ut illi conciliaretur. Alii autem cum ex animo addicti fuissent doctrinae Salvatoris ac viderent non solum contradictoria philosophorum placita et perniciosum conciliationis studium ducere ad negandam veritatem divinitus revelatam, magno ardore adlaborabant ad evitandam omnem philosophiam, reprobando omnia eius placita. Cum itaque gnostici extollendo sapientiam parvipendebant revelationem, cum e contra orthodoxiae defensores extollendo fidem reprobabant sapientiam, tunc Clemens Alexandrinus directioni sese adiunxit, sed utramque ita ad gloriam Dei vertere studuit, ut acciperet bonum et verum ex utroque reprobando errores.

Hic est alia aliqua res tam periculosa, quam conciliatio scientiae humanae cum revelata veritate divinitus revelata. Ad conciliandum enim necesse est habere criterium quod utrique parti

conciliandae opponitur ad dignoscendum verum a falso. Hoc criterium sumi potest aut ex philosophia humana, aut ex revelatione. Si ex humana philosophia sumitur, semper exitium parat religioni. Clemens Alexandrinus usus est veritate revelata tamquam criterio, nam in Stromatibus continuo eadem redit sententia, fidem esse fundamentum, quod a sapientia nec amoveri nec excedi fas est. Clemens proposito „Verum enim vero de Deo non dubitare, sed credere, ut fundamentum cognitionis. Est autem utrumque Christus, fundamentum, inquam, et aedificium, per quem est et principium et finis". Πλὴν ἀλλὰ τὸ μὴ διστάσαι περὶ Θεοῦ πιστεῦσαι δε, ὡς θεμέλιος γνώσεως. Ἄμφω δὲ ὁ Χριστός, ὅ τε θεμέλιος ἥ τε ἐποικοδομή, δι' οὗ καὶ ἡ ἀρχὴ καὶ τὰ τέλη. Strom. VII, 10. Migne S.G. IX 477-479. Sed claris verbis hoc expressum est Stromat. II, 4, ubi fides dicitur scientiae criterium: κυριώτερον οὖν τῆς ἐπιστήμης ἡ πίστις, καὶ ἔστιν αὐτῆς κριτήριον. Migne S.G. VIII, 948 D.

Posito hoc criterio Clemens adhuc multum laudat fidem. Paedagogi L. I c. 6 eam dicit esse perfectionem cognitionis,

viam ad vitam. illuminationem, baptisma esse balneum fidei. In II libro Stromatum toto capite 6 tractat de praestantia et utilitate fidei, capite autem 11 dicit cognitionem per fidem esse ὄπιριον certissimam. Librum V incipit capite de fide, ubi dicit: „Propterea hortatur quoque apostolus, ut fides nostra non sit in sapientia hominum, qui profitentur persuadere, sed in Dei virtute quae sola est absque demonstrationibus per solam fidem potest dare salutem." (Διὰ τοῦτο καὶ Ἀπόστολος παρακαλεῖ ἵνα ἡμῶν μὴ ᾖ ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων τῶν πείθειν ἐπαγγελλομένων, ἀλλ' ἐν δυνάμει Θεοῦ, τῇ μόνῃ καὶ ἄνευ τῶν ἀποδείξεων διὰ ψιλῆς τῆς πίστεως σώζειν δυναμένη) Strom. V 1. Migne P. G. IX p. 20, 21.

Sed laudando fidem Clemens non deprimit sapientiam. Imo quaedam nimis forte dicta esse videntur ut haec Stromatum

VI, 14, „Plus est autem cognoscere quam credere" Πλεῖον δέ ἐστι τοῦ πιστεῦσαι τὸ γνῶναι. Migne P. G. IX 321, 322. Sed statim subiungitur explicatio, scientiam esse additionem ad salutem. Fidem itaque perficit sapientia „Per hanc enim fides perficitur, utpote cum per eam solummodo fidelis efficiatur perfectus." (Διὰ ταύτης γὰρ τελειοῦται ἡ πίστις ὡς τελείου τοῦ πιστοῦ ταύτῃ μόνως γιγνομένου. Migne P. G. IX, 477, 478) Gnosticus non est nisi is qui omnibus virtutibus est praeditus, „opera enim sequuntur cognitionem non secus ac umbra corpus." Ἕπεται γὰρ τὰ ἔργα τῇ γνώσει ὡς τῷ σώματι ἡ σκιά. (Strom. VII, 13 Migne P. G. IX, 515, 516) Inde iam sequitur gnosticum esse verum christianum, ex gnostico enim philosophi discere debent qualis sit is qui vere est christianus (οἷός τίς ἐστιν ὁ τῷ ὄντι χριστιανός. Stromat. VII, 1 Migne P. G. IX, 401) Distinctio inter fidelem et gnosticum est ea, quod ille quaedam

eximias virtutes agit, hic vero omnes. 256
„Sciendum est autem, quod si unum vel alterum ex his fidelis recte gesserit, non tamen gerat omnia, neque cum summa illa scientia cum qua gnosticus. Ἰστέον δε, ὅτι, ἐὰν ἓν τούτων ὁ πιστὸς ἢ καὶ (οὐδὲ μὴν) δεύτερον κατορθώσῃ, ἀλλ' οὔτι γε πᾶσιν, ἀλλ' οὐδὲ μὴν μετ' ἐπιστήμης τῆς ἄκρας, καθάπερ ὁ γνωστικος (Stromat VII, 13, Migne P. G. IX, 515, 516).

Multa relatio inter fidem et sapientiam his exprimi potest, quod fides necessaria sit ad sapientiam sicut ad vivendum respiratio οὕτως αναγκαίαν τῷ γνωστικῷ ὑπάρχουσαι, ὡς τῷ κατα τὸν κόσμον τόνδε βιοῦντι πρὸς τὸ ζῆν τὸ ἀναπεῖν. Ὡς δ' ἄνευ τῶν τεσσάρων στοιχείων οὐκ ἔστι ζῆν, οὐδ' ἄνευ πίστεως ἐπακολουθῆσαι. Αὕτη τοίνυν κρηπὶς ἀληθείας (nec minus homini gnostico necessaria, quam ei, qui in hoc mundo vivit, ad vivendum respiratio. Ut autem absque quattuor elementis non possimus vivere, ita nec absque fide possimus assequi cognitionem. Haec est ergo basis veritatis.

~~vrat.~~ ~~Ex~~ historia apologeticae praelectiones Висгуз.

Stromata II, 6 Migne P. G. VIII 965–968). Et ergo fides scientia praestantior. Κυριώτερον οὖν τῆς ἐπιστήμης ἡ πίστις (Strom. II, 4. Migne P. G. VIII 947, 948).

Fides est dispositio ad sapientiam „Quemadmodum ei, qui habet manus naturale quiddam est comprehendere; et ei, qui oculos sanos, lucem videre: ita ei, qui fidem acceperit, proprium est esse participem cognitionis" Ὡς δε τῷ χεῖρας ἔχοντι, το λαβεῖν κατὰ φύσιν και τῷ ὀφθαλμοὺς ὑγιαίνοντας κεκτημένῳ φῶς ἰδεῖν οὕτω τῷ πίστιν ειληφοντι το γνώσεως μεταλαβεῖν οἰκεῖον πέφυκεν. Strom. VI, 17 Migne VIII, 383, 384. Fides est sapientia sibi invicem sunt necessariae „Jam vero neque est cognitio sine fide, neque fides sine cognitione." (Ἤδη δε οὔτε ἡ γνῶσις ἄνευ πιστεως, οὔθ' ἡ πίστις ἄνευ γνωσεως. Strom. V, 1 Migne P. G. IX, 9, 10).

Juste igitur concludit Bardenhever magnam esse gloriam apologetae alexandrini quod relationem inter fidem et rationem talibus expresserit propositionibus quae factae sint axiomata scientiae nostrae ecclesiasticae usque hodie dum manserit. (Es ist kein geringer Ruhm des Alexandriners, dass er die Beziehungen zwischen Glauben und Wissen in Sätzen fixiert hat, welche geradezu stehende Axiome für die kirchliche Wissenschaft geworden

sind. Geschichte der altkirchlichen Litteratur. Bd. II. Freiburg. Herder 1903 pag. 58).

Justinus Quadratus, Attenagoras et alii apologetae ipsi post acceptam fidem christianam pallio philosophico utebantur, Clemens vero Alexandrinus hoc pallio spirituali modo induit doctrinam christianam cum perfectione eius praesertim in Stromatibus alio nomine non appellavit nisi nomine sapientiae, seu gnoseos

Doctrina Clementis de Deo invenitur in his praesertim locis: Cohortatio c. 10, Paedagogus I, 8; II, 10; Stromata II, 2; V, I, 10; VI, 17; VII, 12. Ea ex duobus fontibus est hausta, christiana, nempe, revelatione et philosophia graeca praesertim platonica. Iuxta fidem christianam Clemens docet Deum esse Ens maxime reale, sanctum et bonum ac providentiam hominum agere. Platonicam autem philosophiam secutus Clemens docet Deum esse Ens tam transcedentale, ut fere abstractio fiat, Deum, scilicet esse supra mundum, supra causam, supra cogitationem, supra id quod est unum, supra monadem. His omnibus videtur Clemens satis prope accessisse ad cognoscendum Deum esse Ens Absolutum, tamen ideam Absoluti non expressit, licet viam praeparasse videtur.

Propter magnam auctoritatem Dei revelantis, Clemens agnoscit etiam magnam auctoritatem

revelationi, quae traditur a generatione christiana ad generationem. Ipse Strom. IV, 1 dicit se propositum habere scribendi de prophetia tradita sunt (τὰ περὶ προφητείας παραδεδομένα διαλαβεῖν. Migne P.S. VIII, 1216) Eusebius testatur simile propositum Clementis fuisse de libro de Paschate (H.E. VI, 13, 9). Totum opus Stromatum scriptum est ut testetur sequentibus generationibus. „Pulchrum autem et honestum esse existimo, iis etiam qui postea futuri sunt, bonos fideles relinquere. Ac filii quidem corporum, animae autem liberi sunt scripta, iam patres eos dicimus, qui nos cathechesi instituerunt. (Καλὸν δ' οἶμαι, καὶ παῖδας ἀγαθοὺς τοῖς ἔπειτα καταλείπειν οἱ μέν γε παῖδες σωμάτων, ψυχῆς δὲ ἔγγονοι οἱ λόγοι ... πατέρας τοὺς κατηχήσαντάς φαμεν. Strom. I, 1 (25) Migne P.S. VIII, 688.) Stromatum libro VII capite 17 Clemens probat veram fidem ab haeresi distingui posse examinando quaenam fuerit prior traditio Ecclesiae. „Fuit enim una omnium apostolorum sicut doctrina ita etiam traditio" (Μία γὰρ ἡ πάντων γέγονε τῶν ἀποστόλων ὥσπερ διδασκαλία οὕτω δὲ καὶ ἡ παράδοσις 56. Migne P.S. IX, 552.)

Non obstante hac vera orthodoxa doctrina de traditione theoreticae prolata, in quibusdam quaestionibus Clemens practice discessit ab eis sententiis

quae reapse ab antiquis generationibus christianis ad saeculo secundo exeunti et tertio ineunti traditae fuerunt. Imo nimia aestimatione eorum, qui extra christianismum vivebat, ductus patribus adnumeravit etiam, Sybillam inter prophetas posuit, ac locutus est de prophetis aegyptiis gentilibus, Orpheum autem theologum vocavit. Inde concludere licet doctrinam quidem Clementis de traditione rectam fuisse, sed ingenium auctoris parum aptum ad eam sequendam. Clemens enim natura sua multum ferebatur ad speculationes. Itaque concludere oportet suas sententias de traditione non esse natas in mente eius sed ex doctrina ecclesiastica acceptas. Si Clemens claram ideam distinctionis inter ordines naturalem et supernaturalem habuisset, sed hac distinctione caruit quapropter recte credendo in universali doctrina de traditione, in singulis sententiis errores admisit.

Propter proclivitatem sui ingenii ad abstracto Clemens parum locutus est de rebus concreta, qualis est Ecclesia, nihilominus loquendo de traditione auctoritatem huius deducit ex divinitate Ecclesiae. Vide praesertim Stromatum l. VII c 17. „Et essentia ergo et opinione et principio et excellentia solam esse dicimus antiquam et catholicam Ecclesiam, unius fidei quae est ex propriis testamentis,

vel potius ex testamento quod est unum diversis temporibus, in quibus Dei voluntate per unum Dominum congregat eos qui sunt ordinati, quos praedestinavit Deus, cum eos iustos futuros cognovisset ante mundi constitutionem. Caeterum Ecclesiae quoque eminentia, sicut principium constitutionis, est ex unitate omnia alia superans, et nihil habens sibi simile vel aequale. Atque de iis quidem dicetur postea." (Κατά τε οὖν ὑπόστασιν κατά τε ἐπίνοιαν κατά τε ἀρχὴν, κατά τε ἐξοχὴν μόνην εἶναί φαμεν τὴν ἀρχαίαν (54) καὶ καθολικὴν Ἐκκλησίαν, εἰς ἑνότητα πίστεως μιᾶς τῆς κατὰ τὰς οἰκείας διαθήκας, μᾶλλον δὲ κατὰ τὴν διαθήκην τὴν μίαν διαφόροις τοῖς χρόνοις ἑνὸς (55) τοῦ Θεοῦ τῷ βουλήματι δι' ἑνὸς τοῦ κυρίου συνάγουσαν τοὺς ἤδη κατατεταγμένους, οὓς προώρισεν ὁ Θεὸς, δικαίους ἐσομένους πρὸ καταβολῆς κόσμου ἐγνωκώς. Ἀλλὰ καὶ ἡ ἐξοχὴ τῆς Ἐκκλησίας καθάπερ ἡ ἀρχὴ τῆς συστάσεως, κατὰ τὴν μονάδα ἐστὶ, πάντα τὰ ἄλλα ὑπερβάλλουσα, καὶ μηδὲν ἔχουσα ὅμοιον ἢ ἴσον ἑαυτῇ. Τουτὶ μὲν οὖν καὶ εἰσύστερον (56)

Migne. P.G. IX, 552.

Quod hic loco dixerat in Ecclesia congregatos esse eos quos Deus praevidet futuros propter iustitiam eorum, idem repetit saepius in aliis

locis dicendo Ecclesiam esse societatem salvandorum. Vide Paedagogum I, 6, III, 12, Stromata IV, 20. Porro Ecclesia regitur Logo sicut civitas lege (Strom. IV, 20, 27; Migne P.S. VIII, 1381.) „Si autem sacrum duo haec significet, nempe et Deum ipsum, et id quod est constructum in eius honorem, cur non proprie eam quae in Dei honorem per agnitionem sancta facta est Ecclesiam Dei sacrum dixerimus, quod est magni pretii; et non illiberali arte constructum, sed neque manu praestigiatoris ordinatum sed voluntate Dei templum effectum? Non enim nunc locum, sed electorum congregationem apello Ecclesiam." (Εἰ δὲ τὸν ἱερὸν (76) διχῶς εκλαμβάνεται, ὁ τὲ Θεὸς αὐτὸς και τὸ εἰς τιμὴν αὐτοῦ κατασκένασμα, πῶς ~~οὐ~~ οὐ κυριως τὴν εἰς τιμην τοῦ Θεοῦ κατ' ἐπίγνωσιν ἅγιαν γενομένην Ἐκκλησίαν ιερὸν ἄν εἴποιμεν Θεοῦ τὸ πολλοῦ ἄξιαν, καὶ οὐ βαναύσῳ κατεσκευασμένον τέχνῃ, ἀλλ' ουδὲ ἀγυρτου χειρι δεδαιδαλμενου (77), Βουλήσει δὲ τοῦ Θεοῦ εἰς νεὼν πεποιημένην; οὐ γὰρ νῦν τὸν τόπον, ἀλλὰ τὸ ἄθροισμα τῶν εκλεκτῶν (78) Ἐκκλησίαν καλῶ. Strom. VII, 5. Migne P.S. IX, 437, 438). Ecclesia est etiam mater simul et Virgo Μια δε μόνη γὰρ μήτηρ παρθενος. Ἐκκλησία ἐμοὶ φίλον αὐτὴν καλεῖν (15). Paedagogus I, 6. Migne P.S. VIII, 300.).

Tandem de religione romano-catholica non parum meritus est Clemens eo quod s. Petrum appellavit primum discipulum Christi, „Itaque cum haec audisset beatus Petrus, electus ille et eximius primus ille discipulorum, pro quo uno et seipso Dominus tributum pendit, sermonem confestim rapuit vimque eius comprehendit: Ταῦτα ἀκούσας ὁ μακάριος Πέτρος, ὁ ἐκλεκτὸς, ὁ ἐξαίρετος, ὁ πρῶτος τῶν μαθητῶν, ὑπερ οὗ μόνου και ἑαυτοῦ τὸ φόρον ο Σωτὴρ ἐκτελεῖ, ταχεως ἥρπασε και συνέλαβε τον λογον. Qui dives salvetur. 21. Migne P.S. IX, 625).

De anima humana Clemens recte censuit eam non esse aeternam, sed a Deo creatam sicut et corpus (Strom. V, 14). Eam similiter ac corpus non esse essentialiter bonam neque essentialiter malam (Strom. II, 15; IV, 26) malum itaque procedere ex voluntate. In doctrina de anima Clemens erravit admittendo duas animas in unoquoque homine carnalem nempe et sensitivam (σαρκικὸν πνεῦμα) ac rationalem, quae est actorum nostrorum moderatrix (λογιστικὸν και ἡγεμονικὸν πνεῦμα). Libertatem docuit sitam esse in hoc anima rationali. Discipulus Clementis Origenes propugnabat animas praeextitisse corporibus a quo errore Clemens

liber fuisse oportet ex Strom. III, 13 et IV, 26.

Caeteras partes doctrinae Clementii, quae ad theologiam fundamentalem non spectant hic omittimus. Concludimus indicio, quod protulit Tixeront, asserendo Clementem esse theologiae patrem „(Il) crea véritablement la théologie" (Histoire des dogmes I La théologie antéicenne 3e. Parisiis Lecoffre 1906 p. 264).

Codices manuscripti: Protrepticus et Paedagogus ad nos pervenerunt in codice Arethae archiepiscopi an. 914 confecto. Ab hoc codice desumta sunt caetera exemplaria horum operum. Codex Arethae est laceratus nam desunt quinque quaterniones, in quibus legebantur prima decem capita I libri Paedagogi. Haec capita reconstituuntur ex recentioribus exemplaribus. — Stromata conservata sunt in codice Florentino Laurentianae bibliothecae. Codex confectus est saeculo XI. In hoc codice desunt prima verba primi libri Stromatum. — Optimae investigationes criticae de conservatione trilogiae Clementinae sunt: Stählin, Beiträge zur Kenntniss der Handschriften des Klemens Alexandrinus. Nüremberg 1895. et eiusdem auctoris Untersuchungen über die Scholien zu Klemens Alex. Nüremberg 1897.

Editiones: Prima editio operum Clementii facta est a Victorino Florentiae 1550 an. Porro ea edidit Dan. Heinsius Leidae 1614. Haec editio ideo nominatur quod textui graeco [illegible] adiunctam versionem latinam a Gentiano Herveto factam. Haec editio ter repetita fuit durante s. XVII. Melior est editio facta ab episcopo anglicano J. Potter Oxoniae (Oxford) 1715. Ad hanc editionem faciendam Potter usus est manuscriptis antea ignotis addiditque animadversiones scientia plenas. — Bona est editio Migne. Patrologiae Graecae Cursus Completus. Parisiis 1857 vol. VIII et IX. Oxoniensis editio a W. Dindorf facta 1869 anno fere non differt ab editione episcopi Potter. Recentissima et optima editio O. Stählin, Clemens Alexandrinus, vol I 1905, vol II 1906, III 1909. Lipsiae apud Heinrichs tamquam volumina 15-17 collectionis scriptorum christianorum graecorum. Clemens Alexandrinus vol I Protrepticus et Paedagogus. Lipsiae. Heinrichs 1905 volumen 2 Stromata I-VI ibidem 1906; vol III.

Commentaria inveniri possunt indicata apud Hoffmann, Bibliographisches Lexikon der gesamten Litteratur der Griechen I² 455-458, et apud Bardenhewer, Geschichte der Altkirchlichen Litteratur II, 17, 24, 25, 42-45, 65, 00.. et apud Richard-

son, Bibliographical Synopsis 38-42. — Novissima res litterariae de Clemente: Fr. Zucker, Spuren von Apollodoros περὶ θεῶν bei den Christlichen Schriftstellern der ersten 5 Jahre. München 1904; J. Chapman, Clement d'Alexandrie sur les evangeles et encore le fragment de Muratori Revue Benedictine 21 (1904 p. 240-261). E. Buonaiuti, Clemente Alexandrino e la cultura classica (Rivista storico critica di scienze teologice. Roma 1905 n. 2 p. 393-412. Hic auctor de modernismo est suspectus) Christina de Wedel, Symbola ad Clementis Alex. Stromatum librum VIII interpretandum. Barolini 1905 Wagner. — J. Gabrielson Ueber die Quellen des Klemens Alex. Leipzig Harrassowitz 2 vol. 1906 et 1909. — J. Tixeron, Le Pedagogue de Clement d'Alexandrie. (Université Catholique Lyon 1906 n. 52 p. 161-184) — E. de Faye, Clement d'Alexandrie. 2 edition. Paris 1906. — H. U. Mayboom de Stromateis van Clemens Alexandrinus Teologisch Tijdschrift Leiden 1907, 41 p. 508-546. — Köhler L., Zu Clemens Alex. „Quis dives salvetur" c. 3 (in Schweizerische Theologische Zeitschrift Zürich 1909 vol. 26 p. 134 sq.).

Origenes contra Celsum.

Vita. Origenes natus est Alexandriae anno 185 aut 186. Pater Leonidas et mater fuerunt christiani.

In persecutione Septimii Severi 202 aut 203 anno Leonidas martyrium subiit et confiscationem bonorum. Juvenis Origenes, praeclaro ingenio et optima educatione praeditus, ut matrem aleret et sex sorores, stipendia merebatur docendo iuniores. Clemente scholam Alexandrinam moderante, Origenes erat suus adiutor, post fugam Clementis Origenes ab episcopo nominatus est scholae alexandrinae rector, eamque optime dirigebat usque ad persecutionem Caracallae, scilicet ad an. 215 aut 216. In hac persecutione et ipse coactus est fugere, ac contulit se Caesaream. Episcopi Palestinenses permittebant Origeni praedicare in ecclesiis, licet ipse laicus fuerit. Anno 218 aut 219 fama Origenis tanta fuerit ut Julia Mamela mater futuri imperatoris Alexandri Severi vocaret eum ad se. Ab ea Origenes rediit Alexandriam ac totum se dedit scribendi operibus. Septem amanuenses sibi succedendo semper adstabant magistro ut sua verba calamo exciperent. Sumptus praestiterat Ambrosius Originis discipulus. Operibus scribendi Origenes Alexandriae incumbebat decem circiter annis. Postquam in ecclesiis Achaiae factae sunt turbae, Origenes acceptis Demetrii alexandrini episcopi litteris, profectus est, ut pacificaret eas. Proficiendo Athenas, venit in itinere Caesaream palestinensem. Hic invenit duos amicos suos Theoctistum

et Alexandrum, qui eum sacerdotem ordinaverunt inscio episcopo alexandrino ac reluctante ipso Origene.

Post reditum ex itinere Demetrius ob hanc ordinationem illegitimam in ius vocavit Origenem; qua occasione palam prodierunt errores sat multi in operibus Origenis prolati. Congregatis presbyteris alexandrinis sub praeside episcopo Demetrio 231 anno Origenes depositus est ab officio sacerdotali et munere docendi ac Alexandria expulsus est. Per litteras encyclicas certiores de hac sententia redditae ecclesiae romana et aliae hanc sententiam ratam habuerunt. Tamen ecclesiae palestinenses, Achaiae, Phoeniciae, Arabiae hanc sententiam non confirmaverunt, quapropter Origenes profectus est Caesaream palestinensem ad suum amicum Theoctistum episcopum.

Caesareae Origenes fundavit scholam alexandrinae similem, quae statim florere coepit. Discipuli, fama Origenis attracti undique confluere coeperunt Caesaream. Huic scholae multum nocuit persecutio Maximini Thracis 235–237/8. Origenes fugit Caesaream in Cappadocia, ibique fertur mansisse in domo cuiusdam virginis Julianae. Haec tamen fuga non est certa. Quidam censent Origenem docuisse Caesareae Palestinense usque ad persecutionem Decii. In hac persecutione comprehensus et tormentis subiectus est, sed libertati redditus, mortuus est Tyri in Phoenicia anno 254 aut 255 annos natus 69.

Tota posteritas admirata est multitudinem operum Origenis. Quidam dicebant ab eo scripta fuisse 6000 librorum. Qui numerus licet nimis sit exageratus, tamen exprimit veritatem quam s. Hieronimus probavit in epistola ad suam discipulam Paulam, Origenem nempe multo plura opera scripsisse quam Terentius Varro latinus et graecus Didimus grammaticus Alexandrinus, qui multitudine operum caeteros superant ethnicos.

Magis quam multitudine eminent scripta Origenis qualitate. Inprimis Origenes auctor est scientiae scripturisticae christianae. Vix enumerari possunt sua merita in hac re. Profundissima cognitio scripturarum sacrarum patet etiam in eis scriptis Origenis, quae non pertinent ad doctrinam de Scriptura Sacra. Porro Origenes optime noverat plurimos scriptores prophanos et ethnicos. De necessitate cognoscendi sententia philosophorum tam erat sibi persuasum, ut, cum esset scholae christianae moderator, scholam Ammonii Sacci, neoplatonicorum auctoris, frequentaret. Scripta haereticorum et religionis christianae adversariorum nomini ecreticorum et religionis christianae adversariorum nomini e...

Ita quum multitudo scriptorum quam eorum qualitas probant Origenem esse maximum inter viros eruditos, quos

Ecclesia christiana habuit primis tribus saeculis. (Cfr. Bardenhewer. Gesch. d. alt. L. II, 72). Quapropter ideo magis laudanda est sua humilitas, quae patet ex omnibus suis operibus. Origenes non solet proferre suas sententias tamquam definitiva iudicia, sed prudenter utitur verbis, quae manifestant eum paratum esse retractare opiniones, si forte falsas inveniantur.

Contra Celsum. Opus Celsi philosophi contra christianos editum an. 178. sub titulo Ἀληθὴς λόγος. Nusquam quinquaginta annis ex parte christianorum non prodiit scriptum, quod convenienter refutaret Celsum. Anno 248 et 249 imperante Philippo Arabe imperium romanum millenarium iubilaeum suae existentiae celebrabat. Quidam eruditi censent librum Celsi adversus Christianos hac occasione iterum valde spargi coepisse. Ratio hoc admittendi est, quia christiani censebantur esse imperii inimici, quapropter omnes qui optabant prosperitatem imperii, desiderabant interitum christianorum, quem ut accelerarent opere Celsi uti potuerunt. Incertum est hanc ob causam, an ob aliam refutando operi Celsi Origenes sese accinxerit.

Tamen certum est, ante persecutionem Decii prodiisse opus sub titulo: Πρὸς τὸν ἐπιγεγραμμένον Κέλσου Ἀληθῆ λόγον Ὠριγένους τόμος α. β' etc. (Contra [opus] Celsi quod inscribitur Demonstratio Veritatis, Origenis volumen I, II etc.) Hoc opus Origenis formam habet scripti

ex duobus operibus de eadem re diverso modo tractantibus compositi.

Primum enim erat Origenis propositum principales Celsi obiectiones excerpendi easque refutandi, tandem refutationem amplius evolvendi. Sed postquam excerpta fecit ex introductione Celsi, mutavit propositum ac statuit singulas Celsi sententias refutare. Parcendo tempori noluit revidere refutationem introductionis, sed eam reliquit in statu, quo antea et sic eam refutationi ulteriori praemisit.

Haec singularum sententiarum refutatio auxit magnitudinem operis, quod excrevit ad octo libros. In I libro a capite 1 ad 27, posita est anterior succincta Celsi refutatio, de qua locuti sumus. Quae sequuntur in quattuor partibus operis Celsi. In I parte Celsus impugnabat christianismum rationibus iudaeorum affirmando Jesum non fuisse Messiam, et vaticinia messianica non esse in eo adimpleta. Origenes libro I a cap 28 ad finem et libro II integro demonstrat vaticinia Veteris Testamenti esse in Christo adimpleta. Porro libri III, IV, V Origenes respondent secundae parti operis Celsi, in qua irridebatur etiam id quod commune est christianis cum iudaeis. Porro inter liber VI et liber VII a I c. ad 61 cap. VIII libri ad finem VIII refutat Origenes ea argumenta quibus Celsus ethnicam religionem imperii

defendere et commendare studebat.

Origenis merita de theologia fundamentali non possunt cognosci nisi coniunctum cum suis meritis de theologia generatim. Ad cognoscendum autem systema opinionum Origenis teste Tixeront (Historie des dogmes I du theologie antenicéenne p. 278 et 279) haec praesertim opera inserviunt: Περὶ ἀρχῶν (de principiis), scriptum 228–231 annis, porro Commentarii in Evangelium Joannis (228–238), Contra Celsum et de Oratione (233–234).

Imprimis distinguit Origenes inter homines et inter veritates. Homines enim alii sunt, qui possunt omnia sua negotia removere et soli veritati investigandae incumbere. Hi possunt et debent quaerere rationes ob quas credunt. Alii vero, quos et tempus et ingenii capacitas deficiunt ad scientificam veritatis investigationem in materia religiosa debent simpliciter adhaerere veritati christianae, quae praedicatur. In hoc nihil est rationi contrarium, quia etiam homines philosophicis investigationibus dediti imprimis fiducia sese adiungunt alicui systemati, ut possint de caeteri iudicare; tandem acquisita capacitate iudicandi de systematibus philosophicis eligunt ex eis unum cui adhaereant. Hac distinctione Origenes movet

quaestionem de motivis credibilitatis, eamque satis iuste dirimit.

Porro distinguit Origenes inter veritates, quarum quaedam manifesta praedicatione omnibus imponuntur ac inquisitionem divinae scientiae videbantur, quaedam autem relictae sunt ut eis occupentur studiosiores qui spiritus dona excellentia merentur et praecipue sermonis sapientiae et scientiae gratiam, per ipsum Spiritum S. perceperunt.

Ad veritates manifestae praedicationis refert Origenes fidem in unum Deum Creatorem ac auctorem utriusque Testamenti, iustum et bonum; item Jesum Christum ab aeterno natum a Patre et suum ministrum creationis, Deum qui factus est homo non omittendo divinitatem ac vere natus cum vero corpore ex Maria Virgine cooperante Spiritu S. vere passus, mortuus et ascendit ad coelos; porro Spiritum S. honore et dignitate aequalem Patri et Filio, inspiratorem utriusque Testamenti; postea animam

immortalem, retributionem post mortem, resurrectionem corporum, libertatem hominum, pugnam animae contra diabolum et suos angelos, existentiamque horum. Huc referuntur creatio mundi in tempore et eius interitus futurus, inspiratio scripturarum sacrarum, existentia sensus spiritualis in eis praeter sensum litteralem, existentia bonorum angelorum quibus Deus utitur ad ministerium homin.

Ad res nondum perfecte dilucidatas Origenes adnumerat quaestiones: Sitne Spiritus Sanctus genitus an non? Sitne et ipse Filius Dei? Veniatne anima ex traduce seminis aut alio modo? Angeli mali fuerintne aliquando boni an non? Quid fuerit ante mundi originem, quid futurum fit post suam finem? Sitne Deus et spiritus incorporei an non? et quo sensu? Quandonam angeli creati sint et qualis sit eorum natura ac status? Astra coelestia sintne animata an non? In hac classe quaestionum quae non praedicantur clare debet sagacitas eruditorum exerceri. –

Ac reapse hoc exercitium locum habuit sequentibus saeculis quamquam non semper in eisdem quaestionibus, quas Origenes proposuerat. Posterioribus enim saeculis patuit Spiritum S. non nasci a Patre sed procedere, non solius Patris esse Filium, sed Patre et Filio procedere, animam non seminis traduce gigni, sed immediata creatione divina, daemones nihil aliud esse nisi angelos, qui boni a Deo creati per peccatum bonitatem amiserunt. Deum et Spiritum esse reapse ἀσώματα (incorporea) eo sensu quod spiritus est magis realis quam corpus. Astra vero non esse animata.

Imo etiam in quaestionibus, quas Origenes non moverat sagacitas eruditorum christianorum multum fecit progressum et magnum. Nam definitum est et gratiam esse ad opera salutaria necessariam, et peccato sacerdotis characterem non amitti, et tres esse ordines divinitus institutos, et episcopum romanum esse caput totius ecclesiae eademque pollere infallibilitate qua gaudet Ecclesia et B. M. Virginem esse immaculato conceptam

ac alia plurima. Itaque distinctio Origenis inter veritates quas manifestae praedicantur ac quaestiones quae sagacitati eruditorum sunt relictae potest considerari tamquam primum embrion quaestionis magnae de evolutione dogmatum.-

In enormi multitudine scriptorum suorum Origenes parum loquitur de Ecclesia. Ipse censet doctrinam Ecclesiae debere fundari in Scriptura et fulciri a sana philosophia. (De principiis I praef.) Origenes est auctor notissimae illius doctrinae de triplici sensu Scripturae Sacrae, quae doctrina licet sit ingeniosa et sublimis, tamen scatet periculis, nam aperiendo portas spirituali interpretationi dat libertatem obiciendi sensum literalem et verum Scripturarum Sacrarum. Ex hoc autem sequitur neglegetus eius doctrinae quae reapse est in Scripturis proposita ac obligat nos ad credendum. Origenes non proposuit nec solvit quaestionem, utra auctoritas Ecclesiae norma interpretandae Scripturae, an Scriptura sit norma qua possimus uti ad discernendum verum a falso in praedicatione Ecclesiae.-

Vel eo ipso quod quasdam veritates statuat esse omni disputatione maiores, quae non subiacent exercitio sagacitatis eruditorum iam implicite Origenes manifestat subiectionem suam auctoritati ecclesiae docentis. Quapropter supra positam quaestionem de relatione inter Scripturam et Magisterium ecclesiasticum implicite ipse dirimit sensu catholico non vero relatione.-

Sententiae Origenis de philosophia ad haec quinque capita redigi possunt. Imprimis, non possunt a christianis admitti nisi ea systemata philosophorum quae existentiam Dei agnoscitur et providentiam eius non negant. Porro, philosophia licet utilis sit ad excolendam veritatem, tamen non potest eam perfecte cognoscere, nam nequit penetrare arcana Dei. Tertio, multi philosophi quaedam valde bona recte docuerunt, sed, quarto, in multis erraverunt, ac ideo praesertim vituperandi sunt, quod idololatriam defendebant; tandem vitium est philosophorum, quod eruditos docendo populum instruere neligunt. Fere omnes istae sententiae theologicae. Quisque auditor theologiae fundamentalis eas invenit in enchiridiis [illegible]

scientiae, quibus hodie utimur in scholis. Origenes docet Deum naturali rationis lumine cognosci posse, cum esse unum sub omni respectu, incomprehensibilem, inaestimabilem, impassibilem, cui nihil deest. (ἀπροσδεής). Doctrina de summa unitate Dei non obstat trinitati personarum, nam eruditissimus alexandrinorum distincte profitetur Deum Patrem et Filium et Spiritum S., licet de aequalitate personarum divinarum minus recte iudicet.

Ad doctrinam de Deo, ut notum, pertinet quaestio de origine mali. Ut originem mali explicet sine sublata summa bonitate et sanctitate Dei, Origenes asserit omnes spiritus creatos fuisse aequales, qui spiritus quamquam omnes aequalem acceperunt Deo praestiterunt fidelitatem. Haec inaequalitas fidelitatis causa (fuint) fuit praesentis conditionis universi (De principiis I, 9, 6; II, 9, 5, 6; III, 5, 4:) Quidam enim spiritus, virtutibus eximii, facti sunt angeli et hierarchiam constituunt celestem, alii vero primis inferiores luminosa corpora acceperunt ac hodie lucendo in firmamento appellantur sol, luna, sidera; porro tertium genus

spirituum naturaliter refrigiratum est propter ea quod procul a Deo discesserunt, ac ideo vocantur ψυχαί (animae) a verbo ψύχω frigidum fieri. Tandem ultimum genus spirituum accepit corpora subtiliora humanis, sed graviora angelicis. Hi spiritus sunt demones. (De principiis I, 8, 1, 2, 4; II, 3 versio s. Hieronymi; II, 7, 1-4; I Praef. 8; III, 5, 4; contra Celsum I, 32, 33; In Ioannem I, 17.) Sicut libertate creaturarum rationalium introducta est inaequalitas et malum in mundum, ita eadem libertate unumquodque eius spirituale potest recuperare et suum pristinum locum, et transire et uno ordine ad aliud. Studendum est igitur ut in hoc mundo virtutibus, ut post mortem possit fieri reconstitutio primitivi ordinis, quem Deus indidit creaturis. —

Totum hoc systema licet sit ingeniosum, tamen est phantasticum et valde erroneum. Tamen sub multitudine errorum iacet in hoc systemate sana veritas; nempe, mali originem esse quaerendam non in voluntate Creatoris, sed in libertate Creaturae.

Imo Deus scit educere bonum de malo (De principiis II 9, 6; Contra Celsum IV, 70, 54; In Numer: hom. XIV, 2).

Sat magni errores dogmatici, qui inveniuntur in Operibus Origenis non probant eum noluisse sequi auctoritatem Ecclesiae. Tixeront (Histoire des dogmes I theologie antenicene p. 298) dicit Origenem in suis sententiis magis esse conformem magisterio ecclesiastico quam Clemens Alexandrinus. Porro revera Origenes docet Ecclesiam esse civitatem Dei (Contra Celsum III, 30). „Nemo seipsum decipiat, extra hanc domum, id est, extra Ecclesiam nemo salvatur. Nam si quis foris exierit mortis suae ipse fuit reus", scribit Origenes (In librum Jesu Nave hom. III, 5; Lom., XI, 34 Migne P. G. XII, 841, 842.) Juxta traditionem apostolicam Ecclesia etiam infantes baptizat, ut eis peccata remittantur, quia etiam infantes nascuntur peccatores (In. Rom. V. 9 Lom. VI 397; Migne P. G. XIV, 1047; In Luc. hom. XIV, Lom. V 135; Migne P. G. XIII 1835; In Levit. VIII, 3, Lom. IX, 318; Migne P. G. XII, 496.

Etiamsi systemata Clementis et Origenis ad brevissimum compendium redigantur ac reducantur ad solas has quaestiones theolog.

fundamentalis, tamen ex comparatione eorum statim patet Clementem fuisse magistrum, Origenem vero discipulum eius, nam multa sunt communia. Uterque enim dividit homines in duas classes, quorum alii credere debent sine demonstratione, alii vero ratione revelationem adornant. Uterque magnas partes tribuit philosophiae, et uterque revelationem docet esse criterium philosophiae. De Deo utriusque sententia est similis. Porro, sicut Clemens in trilogia, ita Origenes in libro „De principiis" studet veritates theologicas in systema redigere.—

Origenes discipulus fuit Clementis, quapropter usus est fructibus ingenii sui magistri et est eo perfectior. Et materiali operum mole, et eruditionis copia et praesertim magnitudine meritorum de elucidanda Scriptura Sacra Origenes longe superat Clementem. Hac occasione notanda est lex, quae in scientiis viget, nempe discipulum oportere, ut sit suo magistro perfectior. Christus quidem dixit, „Non est discipulus supra magistrum" (Mat. 10, 24) Hoc est iustum in schola, non potest discipulus eo tempore esse superior magistro, quo in schola est sub auctoritate magistri.—

Sed quando discipulus magistro docente ipse fuit magister, tunc ipse magis copiosam et plus elaboratam doctrinam tradere debet suis auditoribus. Aliaquin ipse nihil conferat ad progressum scientiae et esset inferior praecessore qui eam progredi faciebat. –

De codicibus manuscriptis. In bibliotheca Vaticana Romae sub № 386. habetur codex graecus, saeculo XIII scriptus, in quo continetur opus Origenis Contra Celsum. Item Parisiis in bibl. Nationali inter suppl. graec. sub n 616 est alius codex eiusdem operis ex anno 1339. Certum est caetera usquemodo conservata manuscripta librorum „Contra Celsum" depromta esse omnia ab alterutro hoc codice. De mutua autem relatione inter Parisinum et Vaticanum valde disputabatur inter eruditos. Alios cum (Koetschau, Die Textüberlieferung der Bücher des Origenes gegen Celsus in den Handschriften dises Werkes und Philocalia. Prolegomena zu einer kritischen Ausgabe. Leipzig 1889) censebant Parisinum codicem esse independentem ab antiq. Vaticano. Sed alii (J. A. Robinson, On the text of Origen against Celsus: the Journal of Philology XVIII v. 1890 an. p. 288–296).–

affirmabant dependentiam Parisini a Vaticano. Koetschau postea assensit argumentis Robinsonii. Tandem dependentiam Parisini a Vaticano denuo (vedi) revidit et probavit K. J. Neuman (Griechische Christliche schriftsteller der 3 ersten Jahrhunderte. Origenes Werke I Bd. Einleitung) paginae LIX – LXII).

Editiones. Editionem principem fecit D. Hoeschel Augustae Vindelicorum (Augsburg) 1605. Porro magni momente erat editio Caroli de la Rue Parisiis 1733 – 1759. Tandem ultima et optima editio facta est a P. Koetschau, Origenes Werke, herausgegeben im (Auftrage) Auftrage der Kirchen-Väter Kommission der König. Preussischen Akademie der Wissenschaften Bd. I et II Leipzig. Hinrichs, 1899 pretium 18 mk.

Commentaria: J. Avesque, Origène envisagé comme apologète. Strasburg 1868. A. Kind, Teleologie und Naturalismus in der altchristlichen Zeit. Der Kampf des Origenes gegen Celsus um die Stellung des Menschen in der Natur. Jena 1875. – H. Schultz, Eine moderne apologetische Frage im Antiken Gewande: Theologische Studien und Kritiken LVII, 1884 anni

p. 527.–544 agit de relatione hominum ad animalia irrationalia iuxta opiniones recentissimos et iuxta opus Origenis contra Celsum. K. J. Neumann, der römische Staat und die Allgemeine Kirche bis auf Diokletian. Leipzig 1890. Paginis 265–273 loquitur de tempore quo scriptum est opus Origenis contra Celsum et de occasione scribendi. – J. Patrick, The Apology of Origen in reply to Celsus. A chapter in the history of Apologetics. Edinburgh and London 1892. – G. Bordes, L'apologetique d'Origène d'après le Contre Celse. Cahors 1900. – O. Bardenhewer, Geschichte der altkirchlichen Litteratur Bd. II. Freiburg i. Br. Herder 1903 pp. 127–132. – F. Prat, Origène, le théologien et l'exégète. Paris Blond 1907. – Annis vero 1908 et 1909 nihil sole prodiit, quod in Theologischer Jahresbericht adnotetur. –

Caecilius Cyprianus qui et Thascius.*) Circa annum 200 in Africa proconsulari, probabiliter, Carthagine natus est Caecilius Cyprianus. Parentes habuit ethnicos satis divites et conspicuos. Liberaliter eruditus factus est rhethoricae

*) Hoc nomine se ipsum vocat ep. 69. –

professor Carthagine, „et magnam sibi gloriam ex artis oratoriae professione quaesierat", ut ait Lactantius (Divinarum Institutionum l. V c. 1; Migne P. L. VI, 557.

Circa an. 246 Cyprianus opera Caeciliani presbyteri carthaginensis conversus est ad fidem catholicam (Pontius, Vita s. Cypriani c. 4), mox opes divisit pauperibus et totum se dedit perfectioni christianae acquirendae. Statim creatus est sacerdos ac inter mensem iulium 248 an. et aprilem 249 unanimi populi acclamatione, quibusdam presbyteris resistentibus, electus est episcopus carthaginensis.

Episcopali munere fungens Cyprianus manifestavit mansuetam fortitudinem eximiae prudentiae iunctam, quibus addita erat mira ingeniositas ad consociandos multos in unum finem, melioremque reddendam societatem christianorum ac regimen ecclesiae. Eodem tempore Cyprianus episcopali auctoritate et apostolico zelo eradicabat vitia, quae inter christianos carthaginenses serpere incipiebant. Huic utilissimae activitati magnum vulnus intulit persecutio Decii 250 anno exorta. –

Carthaginensis plebs in amphitheatro postulavit Cyprianum ad leones. Episcopus fugit ex urbe sed suum gregem non dereliquit, nam non procul absens regebat eum per litteras et nuntios.-

Nihilominus persecutorum saevitia indicibilem cladem intulit ecclesiae carthaginensi: plurimi facti sunt sic dicti, sacrificati, thurificati, libellatici, acta facientes, scilicet sacrificia vel thus idolis offerentes, aut saltem libellos vel acta exhibentes quibus testentur se esse idolorum cultores. Omnes isti lapsi erant et vocabantur.

Postquam cessavit persecutio et Cyprianus post Pascha 251 an. Carthaginem redisset, omnes lapsi statim voluerunt in ecclesiam recipi sine praestita sufficienti poenitentia.- Quod cum episcopus probare renuisset schismatis periculum, ortum est. Sed calamitates magnae irruerunt in imperium romanum, praesertim Carthago et regiones adiacentes peste vastatae sunt annis 252-254. Ad placandos deos ediderunt imperatores Gallus et Volusianus praescriptum, ut omnes sacrificarent diis. Christiani renuerunt et nova persecutio (orta est) exarsit, quae lites de lapsis existi....

Mense octobri 253 pax reddita est christianis, qua Cyprianus usus est renovandam vitam ecclesiasticam, restaurandam disciplinam. Non solum Africa eum libenter audiebat, sed etiam componendis negotiis ecclesiasticis Hispaniae et Galliae Cyprianus magnum attulit adiutorium.

Maximus Ecclesiae zelator Cyprianus credidit nullum adesse medium salutis extra eam, quapropter censuit etiam baptisma ab haereticis collatum iterari debere. Haec tamen sententia falsa est habita ab episcopo romano Stephano. Synodi episcoporum africanorum Carthagine congregatae Cypriano praesidente anno 255 et ineunte 256 ac 1 septembris eiusdem 256 declaraverunt baptisma haereticorum invalidum esse. Quam sententiam papa Stephanus damnavit scribens: „Si quis vero a quacumque haeresi veniat ad vos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illis imponantur in poenitentiam, cum ipsi haeretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizant, sed communicant tantum (Cypr. ep. 74, 1; Migne 8. 9.)

Africani hanc sententiam non ea receperunt obedientia qua par est. Stephanus cessavit communicationem cum eis, sed excommunicationis sententiam non protulit. Concilium 1 sept. 256. fuit celebratum post editam sententiam Romani Pontifici, sed huius litterae, probabiliter, non pervenerant ad Africanos. Periculum schismatis iterum evanuit subveniente persecutione. Mense augusto 257 a. s. Stephanus papa martyrio coronatus est. Mense septem. eiusdem anni s. Cyprianus comprehensus est et relegatus Curubim in Africa proconsulari, die vero 14 septem. 258 anni in Villa Sexti propter christianam fidem capitis truncatus est. Acta eius gloriosi martyrii conservata sunt autentica.

Statim post mortem martyris suus diaconus Pontius scripsit vitam s. Cypriani, quae conservata est usquemodo ac optimus est fons historicus non solum ad Cypriani gesta cognoscenda, sed non parum inservit ad totam historiam illius temporis tenendam. Pontius laudat Cyprian., sed non deprehenditur falsum aliquod dixisse ad eum extollendum.

De scriptis. S. Cyprianus natura scriptorum suorum non pertinet ad apologetas, quia quaecunque scribebat ad fideles Ecclesiae dirigebat. Nihilominus in historia theologiae fundamentalis propter duplicem rationem praeteriri non potest, nam, imprimis, maxime contulit ad declarandam et evolvendam doctrinam de Ecclesia et, secundo, quaedam minora opuscula exaravit de obiectis aliquo modo ad theologiam fundamentalem pertinentibus.

Maximum Cypriani opus est De catolicae Ecclesiae unitate, cuius natura non differt a paterna monitione litterarum pastoralium. Opus prodiit statim post epistolam pastoralem De Lapsis, ut testatur Pontius (Vita Caecilii Cypriani c. 7. Migne P. L.) ergo anno 251 et quidem ante autumnum, nam in epistola 54, quae prodiit mense octobri huius anni men-

tionatur editum.

Argumentum huius libri editio Migne sic exponit: „Imprimis, postquam adversus illorum (Novati et aliorum) insidias communitos, ad constantiam hortatus est, hereseon causam esse docet quod caput Ecclesiae non quaeritur, primatus Petri contemnitur, et cathedra ac Ecclesia una et episcopatus unus deseritur. Deinde tum scripturis tum figuris Veteris et Novi Testamenti unitatem Ecclesiae comprobat. Porro Novatiani ambitionem in invadendo episcopatu romano, velut illud agens, paucis prosecutus, late deducit, neque pro eorum paucitate contra Ecclesium quidquam facere illud Matth. XVIII „Ubicunque fuerit duo vel tres collecti in nomine meo, etc.; neque martyrium illis posse prodesse extra Ecclesiam. Post haec docet non mirari eos oportere quod vigerent haereses, iam olim a Christo praedictas, ... interiectis schismaticorum suppli-

ciis; neque quod confessores quidem romani schismati consentirent, quippe cum ante obitum nemo beatus sit et in ipso apostolorum coetu Iudas proditor exstiterit; vitanda item schismaticorum et haereticorum consortia. Ad pacem denique et unanimitatem per Scriptura, hortatur" (Migne P. L. IV 494 et 495).

Doctrina Cypriani de Ecclesia in hoc opusculo, quod viginti sex brevia capita habet, contenta maximi est momenti ideoque propius cognoscenda.

Unitas Ecclesiae est finis et ratio ob quam scriptus est totus liber. Unitatem hanc Cyprianus deducit et unitate divina: „Dicit Dominus «Ego et Pater unum sumus»[1]. Et iterum de Patre et Filio et Spiritu Sancto scriptum est «Et hi tres unum sunt»[2]. Et quisquam credit hanc unitatem de divina firmitate venientem, sacramentiis caelestibus cohaerentem,

1) Joan. 10, 30
2) 1 Joan. 5, 7.

scindi in Ecclesia posse et voluntatum collidentium divortio seperari? Hanc unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem" (c. 6. Migne P. L. IV, 503, 504.)

Unitatis Ecclesiae medium est adhaesio uno summo pastori: „Et quamvis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuit et dicat: « Sicut misit me pater, et ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum; si cuius remiseritis peccata, remittentur illi; si cuius tenueritis tenebuntur,[1] tamen ut unitatem manifestaret unam cathedram constituit, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et caeteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur et primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et cathedra

[1] Joan. 20, 21-23.

una monstratur" (c. 4. Migne P. L. IV, 499, 500).

„Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus maxime episcopi (ib. c. 5. Migne l. c. 501)"

Unitati Ecclesiae non obest sua diffusio per diversas gentes locosque diversos „Quomodo solis multi radii sed lumen unum; et rami arboris multi; sed robur unum tenaci radice fundatum; et cum fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantes copiae largitate, unitas tamen servatur in origine." (ib. c. 5. Migne l. c. p. 501 et 502)

Ecclesia est refugium salutis „Stare tu et vivere putas posse de Ecclesia recedentem, sedes sibi alias et diversa domicilia condentem, cum dictum sit ad Rahab, in qua praeformabatur Ecclesia: « Patrem tuum et matrem tuam fratres tuos et totam domum tuam, et omnis qui exierit ostium domus tuae foras, reus sibi

erit»[1]. Item sacramentum Paschae nihil aliud in Exodi lege contineat quam ut agnus, qui in figura Christi occiditur, in domo una edatur....... Caro Christi et sanctum Domini eici foras non potest, nec alia ulla credentibus praeter unam Ecclesiam domus est" (ib. c. 8; Migne. l.c. p. 506) - Habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si non potuit evadere quisquam qui extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit evadit. (ib. c. 6; Migne l.c. p. 503)

Boni ab Ecclesia non discedunt „Nemo existimat bonos de Ecclesia posse discedere: triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subvertit; inanes paleae tempestate iactantur, invalide arbores turbinis incursione evertuntur" (ib. c. 9; Migne p. 507.)

A capite 10 ad 27 inclusive, scilicet ad finem sequuntur cohortationes practicae de observanda Ecclesiae unitate.

Non obstante parvitate voluminis

liber „De unitate Ecclesiae est maximi valoris. Licet sola novem priora capita sint dogmatica, tamen operis pondus consistit maxime in sua dogmatica parte. Cyprianus est procul dubio pater ecclesiologiae catholicae.

Sed de eius opinionibus ecclesiologicis multum disputatur inter eruditos. Hugo Koch, professor licei Braunsbergensis publici iuris fecit opusculum „Cyprian und der römische Primat" Leipzig 1910 et a fide catholica atque ordine sacerdotii apostataverit. Ipse dicebat primatum romani pontificis non ognosci a Cypriano, eo conclusionem fecit primatum non esse iuris divini. Tixeront (Histoire des dogmes I la theologie antenicéenne. Paris.

1) Quam temeraria sit hac conclusio unicuique theologiae dogmaticae tironi patet. Nam ante Cyprianum primatum credidit Clemens Alexandrinus, ante Clementem professus est Tertulianus ante suum lapsum, ante Tertulianum s. Ignatius Martyr, ante Ignatium Clemens Romanus. Ante viros apostolicos divina lex primatus promulgabatur clare in evangelio Matthaei, Lucae

Secoffre 1906 p. 386 et 387) congregat textus s. Cypriani primatui adversos, quos vocat „déclarations de saveur épiscopalienne." Tixeront dolens de errore Cypriani explicat hunc errorem duplici causa, ardore, scilicet, polemico, nam omnes hi textus proveniunt ex tempore litis de rebaptisandis haereticis, et, secundo, influxu Tertulliani, cuius opera Cyprianus frequentissime legere solebat.

Ritschl, teologus protestans, credit opiniones Cypriani de Ecclesiae regimine paucorum annorum spatio triplex evolutionis stadium percurrisse: ante persecutionem Decii Cyprianum sic definivisse Ecclesiam, quasi esset populus vinculo fidei adiunctus Christo, in luctamine autem cum lapsis non poenitentibus docere caepisse solam Ecclesiam catholicam esse ecclesiam Chri-

Joannis. Etiam Marci silentium non caret eloquentia in hac re. Si H. Koch credidit primatum non fuisse agnitum a Cypriano, credere debuit Christo, qui Ecclesiae claves Petro contulit.

sti extra quam nulla salus, huiusque Ecclesiae unitatis centrum esse romanam Petri catedram. Tandem orta opinionum differentia inter se et episcopum romanum, persuasionem sibi efformasse Ecclesiae unitatem consistere in episcoporum concordia (Ritschl, Cyprian von Karthago und die Verfassung der Kirche p. 90-95).

Quamvis speciosa appareat Ritschelii hypothesis, Bardenhaver de ea dicit „Dem Kenner Cyprians wird es schwer fallen, diese Dediktionen überhaupt nur ernst zu nehmen" (Gesch. der altk. Lit. II, 460) et argumentum adducit impossibile esse ut in brevi decennio opiniones tanti viri, quantus erat Cyprianus in re tanti momenti quanti erat Cypriano unitas Ecclesiae ter mutari potuisse. Porro adducit Bardenhorer locos multos ex epistolis s. Cypriani, ubi manifeste propugnatur monarchica constitutio ecclesiarum. Ritschel procul dubio erravit cum dixit Cypriani mentem fuisse

initio definiendi Ecclesiam sensu protestantico - plebem vinculo fidei coniunctam cum Christo. Hanc opinionem Cyprianus nunquam habuit.

Questio postest esse quantum influxum exercuerit lis de rebaptisandis haereticis ad obtenebrandam in mente sancti episcopi Carthaginensis claritatem persuasionis de suma auctoritate romani episcopi in caeteros episcopos. Hanc questionem hic solvere non praesumo. Hoc tamen praterire nolo, quod Cyprianus ep. 67 suadet Stephano episcopo Romano, ut Martianum episcopum arelatensem deponat. Epistola vero 68 laudat clerum et plebem Hispaniarum eo, quod in locum Basilidis et Martialis, quos romanus pontifex Cornelius deposuerat, Sabinum et Felicem legitima electione substituerunt.

Inter minora Cypriani opuscula haec sunt que aliquatenus ad apologiam referi possunt: a) Ad Donatum b) Ad

Demetrianum, c) Ad Fortunatum de exhortatione martyrii, d) epistola 76, e) Ad Quirinum. Testimoniorum libri adversus iudeos, f) Quod idola dii non sint, se De idolarum vanitate.

Haec opuscula in tres possunt dividi classes, quam prima agit contra etnicos aut christianam eis religionem commendat. Ad hanc classem pertinent: Ad Donatum, Ad Demetrianum et de idolorum vanitate. Secunda classis agit de martyrio. Huncpertinent: liber ad Fortunatum et epistola septuagesima sexta. Tandem ad tertiam pertinet unum opus, quod tribus constat libris, nempe ad Quirinum.

Liber Ad Donatum in editione Migne (P. L. IV pp. 191-223) positus est inter epistolos s. Cypriani tanquam prima earum. Aliquando hic liber vocatur etiam „Ad Donatum de Gratia Dei" Promiserat Cyprianus Donato, recens ad christianam religionem converso, se scripturum de rebus divinis. Admonitus

a Donato promissum solvit et post pulcherrimam introductionem (c. 1 et 2) dicit se quondam „in tenebris atque in nocte caeca" ethnicismi iacuisse „nutabundus ac dubius vestigiis oberrantibus" fluctuasse „vitae suae" nescius veritatis ac lucis alienus (c. 3). „Sed postquam undae genitalis auxilio superiori aevi labe detersa in expiatum pectus serenum ac purum desuper se lumen infudit, postquam, caelitus spiritu hausto, in novum me hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare quod prius dificile videbatur, geri posse quod impossibile putabatur, ut esset agnoscere terrenum quod prius carnaliter natum delictis obnoxium vixeret, Dei esse coepisse quod iam Spiritus Sanctus animaret" (c 4) Porro describit Cyprianus communia in paganismo peccata: „itinera latronibus clausa..... concuto horrore castrorum bella ubique divisa" (c. 6) gla-

diatorius ludus (c. 7), spectaculi non minus poenitenda contagia (c. 8), audacior cum vitiis facinus et impudentia congruens impudicis" (c. 9) „Incisae sunt licet leges duodecim tabulis, et publice aere praefixo iura praescripta sint, inter leges ipsas delinquitur, inter iura peccatur (c 10). Porro probat pompam saecularem nullius esse valoris (c 11) et et divitias (c. 12) et potentiam ac dominatum (c 13) „Una igitur placida et fida tranquillitas, una solida et firma et perpetua securitas, si quis ob his inquietantis saeculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundatus, ad caelum oculos tollat a terris, et ad Domini munus admissus, ac Deo suo mente iam proximus, quidquid apud caeteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, intra suam iacere conscientiam glorietur" (c 14). „Tu tantum, quem iam spiritalibus castris caelestis militia signavit, tene incorruptam, tene sobriam

religioni virtutibus disciplinam" (c. 15). Concluditur liber pulcherrima descriptione diei ad vesperam vergentis, et convivii sobrii, quod psalmorum concentus iucundat et prolectat aures religiosa mulcedo (c. 16).

Liber ad Demetrianum etiam est apologeticus, sed indole multum differt a libro ad Donatum. En argumentum libri „Ad Demetrianum" verbotenus iuxta editionem Migne (P. L. IV. 1241) „Demetriano, Africae proconsuli contendenti Christiani imputari debere bella, famem et pestem quibus tum orbis divexabatur, quod ab ipsis dii non colerentur. Pulchre respondet (ubi deduxit mundi senio omnia deteriora fieri) ipsos potius ethnicos tantarum cladium causam esse, quod Deum non colerent et christianos praeterea iniustis persecutionibus agitarent. Deinde ubi illi exprobravit tormentorum inusitata genera quibus christianos prae aliis reis torquebant, non ad con-

fessionem, sed ad negationem, deorum impotentiam arguit: tum quod ipsi se defendere nequeant, atque adeo Demetrianus, qui illos vindicabat, ab ipsis potius coli quam ipse eos colere deberet; tum quod a christianis de obsessis corporibus eiecti, quid sint ipsi confiteantur. Neque vero ruinas regum iacturas opum et similia mala que persecutiones christianorum divinitus in vindictam comitabantur, ideo vindictos non censeri, quod illis etiam communes essent, quandoquidem gaudium iis potius sint omnia illa, quam poena. Proinde dum tempus est, ad mentem redeat hortatur, vel saltem metu iudicii et semper ardentis gehennae ignis. Imitatur autem ipse partim Tertuliani Apologeticum et librum ad Scopulam, partim Minucii Felicii Octavium."

Ad eandem classem operum contra gentes pertinet liber „Quod idola dii non sint," seu „De idolorum vanitate."

Argumentum hic traditur etiam iuxta editionem Migne (l.c) „Tria potissima huius libri capita titulus ipse complectitur. Primum hinc comprobat quod reges fuerint et homines potius quam dii, quorum in honorem instituta sunt templa, expressa simulacra, immolatae hostiae et festi dies celebrati; atque adeo neque externis neque romanis quidnam potuisse prodesse illorum cultum, neque illi sed sorti potius imputandam Romani imperii potentiam, utpote que et vicissitudine quadam contigerit, et suam ipsius originem erubescat; neque vero auspiciis auguriisve quidquam tribuendum ex vanis illorum eventu constare; quia potius daemonum esse has praestigias, vel ipsis poetis Socrate, Platone, Trismegisto et Hortane testibus, qui et unum Deum et daemonas agnoverint. Alterum caput quod unus sit Deus, tum per monarchiae prae caeteris dignitatem maiorem, tum per ipsas vulgi ethnici voces, O Deus, et similes paucis manifestum facit. Postremum de Christo ex prophetis iudeorum et evangelica historia latius prosequitur.

Liber Ad Fortunatum in nonnullis manuscriptis habet additum titulum De exhortatione martyrii. Rogante quodam Fortunato, qui vinctus erat propter professionem fidei christianae, Cyprianus colligit sententias Scripturarum Sacrarum, quae sibi aptae videbantur ad confortandum confessorem. Imprimis proponuntur 13 theses de vanitate idolorum et de immoralitate eorum cultus, proponitur officium profitendi rectam fidem ac magnitudo remunerationis. Postea vero ad singulas theses firmandas colliguntur effata Scripturarum Sacrarum. Itaque totum opus est potius collectio materiae ad librum scribendum. Adest sufficiens ratio hunc librum conscriptum fuisse medio anno 257 saeviente persecutione Valeriani. Creditur Fortunatus fuisse episcopus, unus ex his, qui participes fuerunt synodi 1 septembris 259 anni.

Pontius in „Vita Caecilii Cypriani" mentionando librum „Ad Fortunatum" talibus utitur verbis ut conici liceat a Cypriano scriptam

aliquam cohortationem ad multos „confessores notatarum secunda inscriptione signatos et ad exemplum martyrii superstites reservatos tubae coelestis" animasse. Cum liber „De laude martyrii erronee Cypriano adscriptus sit, quaerendus est alius liber inter sua opera, qui correspondeat verbis sui biographi. Doctissimum Bardenhewer hunc librum invenit inter epistolas s. Cypriani nempe 76 (Bardenhewer, Geschichte der Altkirchlichen Litteratur, Freiburg in Br. Herder 1903, II volum. 422 pagina). Haec epistola data est „Nemesiano, Felici, Lucio, altero Felici, Litteo, Poliano, Victori, Jaderi Dativo coepiscopis, item compresbyteris et diaconibus et caeteris fratribus in metallo constitutis martyribus Dei Patris Omnipotentis." In editione Migne haec epistola posita est sub numero 77 (vol. IV p. 414-419)

Haec duo opera nonnisi eo sensu pertinent ad theologiam fundamentalem, quod aut vanitatem idololatriae proponunt tanquam motivum sustentandi passiones pro vera religione, ac proinde commendant veritatem Christianismi opponendo eum falso ethnicismo; aut eo sensu, quod praebent indicia de atrocitate

et multitudine martyriorum. Ex his construuntur duo argumenta in theologia fundamentali, nempe: 1° sanguis martyrum est confirmatio testimonii Ecclesiae de Christo eiusque doctrina; 2° constantia martyrum non habet causam in natura humana, ergo produci debuit a supernaturali adiutorio Dei. Hoc modo Deus testatus est Christianam doctrinam esse religionem divinam.

Restat ultimum opus Cypriani apologeticum, nempe Ad Quirinum; cui titulo addi solet continuatio: Testimoniorum libri adversus iudaeos. Opus constat tribus libris, quarum tertia nonnisi externis nexibus iuncta est duobus prioribus. In tertio solae cohortationes inveniuntur, dum in primo libro probatur gratia Dei discessisse a iudaeis ad gentes, quae eam meruentur fide in Christum. In secundo libro probatur Christum esse eundem Messiam, qui in antiquo testamento promissus fuit. Sicut in libro ad Fortunatum ita et in hoc adsunt theses et eis adiunctae citationes ex Scripturis. In primo libro habentur 24 talia capitula, in secundo vero 30. In procemio ipse Cyprianus fatetur „non tam tractasse, quam tractantibus

materiam praebuisse" (Migne P. L. IV, 677)

De Cypriano tanquam apologeta generatim. — Merita libri „De catholicae Ecclesiae unitate" tanta sunt, ut coram eis fere dispareant merita operum minorum, quae modo recensuimus. Unitatem Ecclesiae sanctus martyr et episcopus non solum verbis prosecutus est sed etiam maxime actionibus, nam adhaesionem fidelium ad episcopos consolidavit, episcopos autem Africae circa episcopum carthaginensem coadunavit, coadunatos vero episcopo romano adiunxit. Lis de rebaptisandis instar, hoc splendidum opus aliquatenus obtenebravit, sed gloriosum martyrium iterum plenitudinem splendoris fecit.

In minoribus apologetis opusculis Cyprianus vix quidquam novi protulit, elegantia sermonis latini veteras, ab apologetis multoties trebatas veritates, vestivit ac lectoribus mabiles reddidit. Hoc etiam non est spernendum, quod novis lectoribus nova vice noviter redactas antiquas res inculcavit ac tali modo satis valde multum contulit ad multos homines Ecclesiae adiungendos. Opera Cypriani saeculo III et subsequentibus frequentius legebantur quam caeterorum

scriptorum christianorum. De nullo alio scriptore latino tot laudes extant apud antiquos, quot Cypriano impendebantur. Quosdam in unum collectos vide apud Bardenhewer. Geschichte der altkirchlichen Litteratur. Freiburg in Br. Herder 1903 vol. II p. 394-398. Codices manuscripti operum Cypriani nonnisi codicibus Bibliorum latinorum sunt pauciores.

De codicibus manuscriptis operum s. Cypriani exstant valde multi et eximii libri, quos omnes enumerare non possum. Imprimis tamen commendandum prooemium in editionem s. Cypriani ab Hartel factam Vindobonae, ac eiusdem recentior liber „Bibliotheca Patrum latinorum Hispanensis I Vindobonae 1887.

Editionem operum Cypriani antiquissimam fecit J. Andreas Romae 1471. Porro post multas alias editiones novam fecerunt Balu et P. Maranus Parisiis 1726. Hanc editionem minus accurate reimpressam habemus in Patrologia latina Migne vol. IV Parisiis 1844. — Recentissima et optima editio est Hartel in collectione: „Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum" III pars, tria volumina. Ad usum scholarum H. Hurter edidit libros

Ad Demetrianum et De catholicae Ecclesiae unitate (SS. Patrum opuscula selecta vol. I).

Commentaria. Res litteraria antiquior et recens diligentissime collecta est apud Bardenhewer in opere Geschichte der altkirchlichen Litteratur 1903 Bd II p. 394-464. Hic trado nonnisi litteraturam quinque ultimorum (1906-1910) annorum. J. A. Faulkner Cyprian the churcheman. Cincinnati and New-York 1906 – C. H. Turner, The Pseudo-Cypriania (Journal of theological Studies. London 1906 p. 597-600). – Slane, Zur Echtheit von Cyprians dritten Buch der Testimonia (Zeitschrift für die Neutestamentliche Wissenschaft. Giessen 1907, 8 p. 274-289. – L. L. , Die Satzschlüsse der interpolationen in dem Tractat De unitate Ecclesiae (Berliner philologische Wochenschrift 1909 № 29 p. 1015 ff.) H. von Soden, Das lateinische Novum Testamentum in Afrika zur Zeit Cyprian. (Texte und Untersuchungen, herausgegeben von A. Harnack und Gebhard, neue Folge, 34 Bd. 3 Heft.) Leipzig 1909. – H. Koch, Cyprian und der römische Primat (Texte und Untersuchungen Bd. V H. I Leipzig 1910. – Der hl. Cyprian und der römische Primat (Katholik 1910. Neue Folge Bd. V, 3. 376-388). – Dr. Johann Ernst

Cyprian und das Papstum. (Katholik 1911, neue Folge Bd. VII p. 277-280; 321-336; 431-440; Bd. VIII pp. 55-56; 121-126; 217-228; 263-270).

Arnobius.

In suo opere Chronicon s. Hieronymus sub anno 2343 ab Abraham, scilicet sub anno 327 p. Chr. n. narrat Siccae Veneriae in Africa proconsulari prope finium Numidiae vixisse laudatum rhetoricae praeceptorem et acerrimum christiani nominis inimicum Arnobium, qui tamen in somniis talem habuit visionem, ob quam conversus est ad Christianismum. Sed cum voluit recipi in ecclesiam christianam, episcopus non credidit suam conversionem esse sinceram. Ad tollendam episcopi suspicionem Arnobius composuit opus contra religionem paganam, quod Contra gentes inscripsit. In epistola 70 ad Magnum c. 5 s. Hieronymus testatur opus constare septem libris.

In bibliotheca gallorum nationali conservatur codex manuscriptus, saeculo nono confectus, numero 1661 designatus et Parisinus appellatus in quo habentur Arnobii „Adversus nationes"

libri VIII. Octavus, ut supra diximus, esse nihil aliud nisi Octavius Minucii Felicis erronee adiunctus operi Arnobii, quapropter convenit numerus librorum perfecte.

Titulum quidem est, quod verba spectat, parum differens, quoad sensum vero omnino identicus. Diversitas haec faciliter explicatur eo, quod eis in locis ubi s. Hieronymus ponit in titulo verbum „adversus gentes" codices s. IX (ex. gratia Agobardinus in titulo primae apologiae Tertuliani) ponunt „adversus nationes."

Stylus operis testatur suum auctorem rhetorem fuisse, scribendi peritum et nimis proclivem ad ornandum suam sermonem declamatione pathetica, quae nauseam parit cum longa fit.

Ideae autem et persuasiones indicant auctorem vix cognovisse religionem quam defendendam suscipit, nam Scripturam Sacram in toto mole septem librorum bis citat. Semel provocat ad verba Christi, quae in nullo evangelio inveniuntur. De existentia autem deorum gentilium dubitat et censet eos, si sunt, esse quosdam spiritus coelestes vero Deo inferiores ac Dei Patris numerosos filios. Scribit enim:

„Patrem veneramur illorum, per quem, si sunt, esse et habere substantiam sui numinis maiestatisque coeperunt, a quo ipsam deitatem, ut ita dicam, sortiti esse sentiuntur" (I, 28)

Porro de anima dicit Arnobius eam neque a parentibus generari nec creari a Deo Summo, sed a quodam ente coelesti, quod, si nobiscum comparetur, est maximum et sublime, tamen comparatum cum Deo est plurimis dignitatis et potentiae gradibus inferius. Hac, sane, doctrina Arnobius magis pertinet ad ethnicos quam ad Christianos.

Porro Arnobius credidit animam esse mortalem sed posse fieri immortalem. Ad hanc immortalitatem obtinendam non est nisi unum medium, nempe gratia Christi, quae gratia non datur nisi eis, qui pro viribus tendunt ad cognitionem Summi Dei.

Loquendo de animae immortalitate auctor valde procul digreditur a suo proposito et huic digressioni consecrat 49 capita (14-62) secundi libri. Ex hac circumstantia patet eum multum cogitasse de modo assequendi immortalitatem animae. Sed rhetor eximius et audierat Christianos esse omnino certos suae immortalitatis, et, videns eorum virtutem in tormentis, persuasionem

accepit certutidinem eorum procedere ex potentissimo fonte. Timor igitur mortis animae animae causa fuit visionis in somniis, visio autem causa conversionis.

Cum liber sit scriptus ad solum finem depellendi suspicionem, ideo a Christianis parum legebatur, nam consideratus est potius argumentum sinceritatis auctoris, quam defensio religionis. Fere nemo scriptorum s. IV[-] mentionem facit Arnobii. S. Hieronymus loquitur de eo, sed non commendat. Decretum Gelasii de recipiendis et non recipiendis libris mentionat „opuscula Arnobii apocrypha".

Itaque ex his omnibus patet opus Arnobii esse quidem apologiam Christianismi, sed ad eum defendendum parum contulisse. In historia theologiae fundamentalis hoc opus intrat tum propter suum argumentum apologeticum, tum propter hoc potius, quod sit historicum monumentum conversionis extraordinariae. Multo magis quam theologi opere Arnobii utuntur philologi. Nam loquendo de diis ethnicorum prodit eruditionem et scientiam magnam. Graecorum deos describit iuxta ... Clementis Alexandrini, sed ad describendum religionem romanorum usus est probabiliter eis fontibus qui perierunt. Usus est autem abundanter, ideo magnum habet valorem ad cognoscendum

religionem Romae.-

Codex manuscriptus. Opus Arnobii conservatum est in solo codice supra memorato, qui Parisiis asservatur sub nº 1661 et confectus est s. IX.

Editionem principem fecit Faustus Sabbaeus Romae 1543 anni. Inter alias editiones antiquas eminet ea quam fecit Cl. Salmasius (A. Thysius) Leidae 1651. Porro Migne reimpressit opus Arnobii in Patrologiae Cursus Completus V vol. Parisiis 1844 ultima autem et optima editio est in collectione, quae vocatur: Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum vol. IV Vindobonae 1875, eam critice praeparavit A. Reifferscheid.

Commentaria de Arnobio indicantur apud Bardenhewer in Geschichte der altkirchlichen Litteratur usque ad annum 1903. Postea vero usque ad finem 1909 nihil tale de Arnobio prodiit, quod in Theologischer Jahresbericht notaretur.

Lactantius.

Eruditissimus Brandt censet integrum nomen huius antiqui auctoris Christiani fuisse Lucius Caelius Firmianus Lactantius, sed haec reconstructio nominis caret certitudine. Item

et reliqua quae sciuntur de vita Lactantii multis dubiis subiecta sunt.

Certum est eum fuisse discipulum Arnobii, ex familia ethnica oriundum et auctorem libri Symposium. Cum Diocletianus Nicomediam voluisset omni splendore, ac praesertim gloria litterarum, ornare, vocavit auctorem Symposii, eumque professorem rhetoricae latinae fecit. Lactantius suum iter ex Africa Numidiam hexametro scripsit. Numidiae autem, quae urbs graeca erat, paucissimos habit rhetoricae latinae discipulos, quapropter Lactantius scribendi operibus se dedit.

Ignotum est in Africam an Numidiae Lactantius conversus sit ad Christianismum. Anno vero 303, Februarii 24 die prodiit edictum Diocletiani, quo edicto omnes Christiani privabantur honorificis beneficiis quibuscumque, quapropter et Lactantius, officio privatus, factus est adeo pauper, ut plerumque etiam necessariis indiguerit (Hier. Chron. an. Abr. 2333). Sed postquam Constantinus libertatem Christianis reddidit, Lactantius in extrema senectute vocatus est Trevirium, ut praeceptor Crispi fieret. Crispus autem fuit filius Constantini. Trevirii mansisse dicitur Lactantius etiam postquam Crispus anno

317 creatus est caesar. Brandt censet Lactantium mortuum esse Trevirii 340 anno, sed utrumque parum probabile videtur. Vix potuit in vivis manere usque ad medium saeculum quartum Lactantius qui anno 316 iam fuit in „extrema senectute", ut ait S. Hieronymus (De viris ill. c. 80). Nec probabile est eum Treviriis vita functum esse, quia in hac extrema senectute, annis circiter 313-315, scripsit librum „De mortibus persecutorum", qui liber exaratus est Nicomediae aut non procul ab ea.–

Primum opus Lactantii apologeticum est liber <u>De opificio Dei</u>, qui constat viginti capitibus. Primum caput est introductorium, cc. II-XV loquuntur de corpore hominis, capita vero XVI-XIX possunt considerari tamquam pars secunda, quia in his sermo est de mente et anima hominis. Ultimum caput agit „De scipso et veritate" ac est ad conclusionem libri.

In procemio scribit Lactantius: „Tentabo tamen, quoniam corporis et animi facta mentio est, utriusque rationem, quantum pusillitas intelligentiae meae pervidet, explicare. Quod officium ~~qua~~ hac de causa maxime suscipiendum puto, quod M. Tullius, vir ingenii singularis, in quarto de Republica libro, cum id facere tentasset

nihil prorsus effecit." (l.c., Migne P.L. VII, 12-13). Itaque Lactantii propositum erat argumentum ex pulchritudine et utilitate creaturae demonstrare existentiam et providentiam Dei.

Praeter Ciceronem Lactantius citat quosdam alios scriptores ethnicos. Criticus Brandt etiam asserit Lactantium in libro „De opificio Dei" nihil proprium attulisse, sed solis alienis usum esse. Tamen opinio Brandt nondum est probata, quia ignotus est ille liber, ex quo Lactantium plurima hausisse censet Brandt.

De opificio Dei est expositio argumenti theologici, quae amplitudine superat omnia, quae hac de re habebantur apud antiquiores scriptores ethnicos et christianos.

Hunc librum Lactantius scripsit ad discipulum suum Demetrianum, quod patet ex initio operis, probabiliter anno 304, nam liber scriptus est durante persecutione, ad quam allusio multoties fit in primo capite.

Divinarum Institutionum libri VII.

In fine libri „De opificio Dei" Lactantius scribebat: „Tunc ergo te ad verae philosophiae doctrinam, et planius et verius cohortabor. Statui enim, quam multa potero, litteris tradere, quae

ad vitae beatae spectent statum; et quidem contra philosophos, quoniam sunt ad perturbandam veritatem perniciosi et graves. Incredibilis enim vis eloquentiae et argumenti disserendique subtilitas, quemvis facile deceperit: quos partim nostris armis, partim vero ex ipsorum inter se concertatione sumptis revincemus; ut appareat, eos induxisse potius errorem, quam sustulisse (c. 20; Migne P.L. VII, 76-77)

Sub nomine philosophorum, qui ad perturbandam veritatem perniciosi erant et graves Lactantius intelligere videtur philosophum illum anonymum, qui initio persecutionis a Diocletiano suscitatae libellum famosum vulgavit contra christianos. Duos similes libellos sparsit quidem eques, qui magno munere fungebatur et fuit probabiliter Hierocles. Hic enim procurator et praeses Bithyniae fuit ac incitator Diocletiani ad persequendum.

„Si ergo de quibus dixi, scribit Lactantius, (Div. Instit. l. V c. 4; Migne P.L. VI 562), ... , praesente me, ac dolente, sacrilegas suas litteras explicarent, et illorum superba impietate stimulatus, et veritatis ipsius conscientia, et (ut ego arbitror) Deo, suscepi hoc munus, ut omnibus ingenii mei viribus accusatores iustitiae refutarem: non ut

contra hos scriberem, qui paucis verbis obteri poterant; sed, ut omnes, qui ubique idem operis efficiunt aut effecerunt, uno semel impetu profligarem."

Itaque nolens certare contra singulos famosorum librorum scriptores, qui in persecutione Diocletiani et multi fuerunt et gravi adversario indigui, Lactantius propositum concepit scribendi opus, in quo et veritas christianae religionis demonstraretur et argumentum doctrinae eius exponeretur. Lactantius trilogiam Clementis Alexandrini non noverat, sed eisdem in circumstantiis positus eiusdem necessitati compos factus est. Sicut igitur Clemens Alexandrinus primus inter graecos, ita Lactantius primus inter latinos, centum circiter annis post, tentavit christianam doctrinam reducere ad systema.

Systematibus philosophicis Clemens usus est speciminibus ad systema christianum faciendum. Lactantius, sicut et caeteri romanorum minus addictus erat speculationibus abstractis, magis vero studebat res, quae vitae usu veniunt. Apud romanos usu ferebantur dispositiones legum et iurisprudentiae regulae in systema redacta, quae vocari solebant Institutiones iuris civilis.-

 His itaque speciminibus usus est Lactantius, quod ipse testatur verbis: Et si quidam prudentes, et arbitri aequitatis, Institutiones civilis iuris compositas ediderunt, quibus civium dissidentium lites contentionesque sopirent: quanto melius nos et rectius Divinas Institutiones litteris persequemur, in quibus non de stillicidiis, aut aquis arcendis, aut de manu conserenda, sed de spe, de vita, de salute, de immortalitate, de Deo loquemur; ut superstitiones mortiferas, erroresque turpissimos sopiamus?" (Div. Instit. I, 1. ibique P. L. VI p. 116).

Argumentum Divinarum Institutionum iuxta Bardenherer breviter expositum est sequens. Primus liber inscribitur „De falsa religione", secundus vero: „De origine erroris". In utroque confutatur polytheismus et probatur Deum esse unum, nam „Deus, qui est aeterna mens, ex omni utique parte perfectae consummataeque virtutis est. Quod si verum est, unus sit necesse est (I, 3; Migne P.L. VI 122.123). - Porro Lactantius reiicit opinionem sui magistri de natura deorum inferiorum. Summus

Deo subordinatorum, tribuens hanc opinionem suis adversariis et scribens: „Quod quia intelligunt isti assertores deorum, ita eos praeesse singulis rebus ac partibus dicunt, ut tamen unus sit rector eximius. Iam ergo caeteri dii non erunt, sed satellites et ministri, quos ille unus maximus et potens omnium his officiis praefecerit; et ipsi eius imperio ac nutibus servient. Si universi pares non sunt, non igitur dii omnes sunt. Nec enim potest hoc idem esse quod servit et quod dominatur." (ibid. Migne l.c. 126. 127).

Originem erroris Lactantius in eo sitam esse censet, quod mali daemones persuaderunt hominibus colere defunctos reges et benefactores.

Tertius liber inscribitur: „De falsa sapientia." In eo Lactantius dicit philosophiam esse secundum erroris fontem, nam ipsa impar fuit sedare desiderium cognitionis et beatitudinis, quod insitum sit singulis hominibus, nam in gravissimis quaestionibus maxima viget opinionum confusio et sententiarum. Cor non potest

quiescere nisi in doctrina divinitus revelata.

Quartus liber inscribitur: „De vera sapientia et religione." In eo probat veram sapientiam consistere in colendo vero Deo, quae sapientia allata est hominibus a Christo. Appropinquante saeculi termino Filius Dei descendit in terram, ut Deo templum exstrueret, hominibus autem institutionem iustitiae daret. Eum Filium Dei esse testantur prophetae, Hermon Trismegistus et Sybilla.

Quintus liber est: „De iustitia, quam Christus inculcat hominibus. Haec iustitia iam fuit in terra, sed idololatria invalescente evolavit in coelum. Caput iustitiae et origo est pietas in cognitione Dei fundata, omnis eius vis et ratio in aequitate consistit, quae iterum fundatur in aequita aequalitate omnium hominum tamquam filiorum Dei.

Sextus liber est: „De vero cultu" qui consistit in observanda iustitia. „Primum iustitiae officium est coniungi cum Deo, secundum cum homine, sed illud primum religio dicitur, hoc secundum misericordia vel humanitas

nominatur." (VI, 10. Migne P.S. VI, 666).

Septimus liber: „De vita beata" proponit remunerationem iustitiae ac describit felicitatem hominum in terra futuro illo tempore, quo regnaturus est Christus mille annis. Iusti fient angeli, peccatores aeterno cruciatui damnabuntur et sic finietur cursus huius mundi.

Licet haec brevissima argumenti expositio multum absit, ut veram det ideam operis Lactantii eiusque mentis evolutionem, tamen sufficienter testatur duas esse operis partes, alteram quae veritatem religionis commemendet I-III, quae vero eius doctrinam exponat-alteram - IV-VII.

In secunda parte, ubi exponitur systema christianum admodum pauca inveniuntur dogmatica. Lactantius in Christianismo videtur percipere sola moralia.

Et haec qualitas est sibi communis cum Clemente Alexandrino. Eam sane Lactantius non a Clemente accepit, quia eum non cognovit. Sed uterque scriptor eo tempore vivebat, quo totus mundus corruptus erat. Soli Christiani magnitudine virtutis suae attrahebant ad se animos bene agendi cupidos. Praecipue vigore morali

tota Ecclesia Christiana eminebat, quapropter omnino consentaneum rerum naturae id fuit quod morali perfectione suam religionem maxime commendarent. Errorem tamen monstruosum committeret, si quis diceret illis temporibus doctrinam Christianam fuisse dogmatibus vacuam. Nam divinitas Iesu sane dogma fuit speculativum, et, nihilominus, tanti inter Christianos habebebatur, ut innumera martyria fierent. Et haec porro martyria fuerunt origo maximi illius vigoris moralis, quem tantoper admiramur in patribus nostris priorum trium saeculorum.

De valore huius operis sententia communis haec viget: linguam latinam esse pulcherrimam, stylum eximium, sed deesse sententiarum profunditatem, iudicii auctoritatem et eruditionis copiam. Lactantius saepissime provocat ad scriptores romanorum classicos: Ciceronem, Virgilium, non raro citat Sybillam, ac hermeticos libros, Scripturam vero Sacram citat nonnisi in libro IV, ubi oraculis prophetarum probat Christum esse legatum divinum. Brandt in sua editione operum

Lactantii (I prolegomena p. XCIX) probavit maximam partem earum citationum non directe esse sumptam ex Scriptura Sacra, sed descriptam ex opere S. Cypriani: „Ad Quirinum testimoniorum libri adversus iudaeos." Porro sua doctrina de malo quemdam dualismum spirat. Quidam interpolator recentior multa addidit operibus Lactantii, quae dualismum crassum proferunt. Sed etiam his interpolationibus amotis, manent apud Lactantium non parva vestigia erroris.

Tamen non desunt apud Lactantium et qualitates eximiae, nam ex suis paginis spirat potentissimus vigor pietatis, qui animam lectoris elevat ad divina. Humilitas auctoris est exemplaris, ut videri potest ex illis etiam citationibus quas hic adduxi. Tandem neque istud praeteriri potest, quod Lactantius primus latinorum conatus est doctrinam Christianam in unam perfectum systema reducere „Er ist im Abendlande der erste gewesen, welcher es versuchte, die christliche Weltanschauung zu einem abgerundeten Ganzen zusammenzufassen," ait Bardenhewer (Gesch. d. altk. Litterat. II 479).

De tempore. Nullum est dubium, quin Institutionum divinarum opus prodierit post librum „De opificio Dei;" nam, ut saepe citatum est, in ultimo capite huius libri illud opus promittitur. Praeterea in Inst. Div. l. II c. 11, ubi venit sermo de corpore humano, auctor remittet lectorem ad librum, quem „nuper proprium de ea re ad Demetrianum auditorem meum scripsi." (Migne P. L. VI, 314). Porro ex sat multis locutionibus patet liber hic scribi saeviente persecutione in Christianos. Brandt (Ueber die Entstehungs verhältnisse der Prosa schriften des Lactantius 12-14) probat hos locos intelligi non posse de persecutione Licinii, sed debere refferri ad persecutionem Diocletiani et Galerii. Libr. V c. 17. Lactantius scribit: „Spectatae sunt enim semper spectanturque adhuc per orbem poenae cultorum Dei, in quibus excruciandis nova et inusitata tormenta excogitata sunt." (Migne P. L. VI 694). Sed anno 311 Galerius promulgavit tolerandi edictum, quapropter haec verba scripta sunt saltem aliquo tempore antea. Itaque prudenter admittitur voluminosum opus Lactantii coeptum esse anno circiter 305

et finitum anno circiter 310.

Ex V libro patet hunc esse extra Bithyniam scriptum („Ego cum in Bithynia oratorias litteras accitus docerem" c. 2, Migne P. L. VI, 552. „Vidi ego in Bithynia praesidem gaudio mirabiliter elatum" c. 11 Migne l. c. p. 586). Fortasse igitur hic liber scriptus fuit Treviris. Fatendum tamen est in opere non haberi certa indicia ex quibus cum certitudine cognosci posit locus, ubi opus prodierit.

Praeter duo mentionata opera Lactantius scripsit Epitome Divinarum Institutionum, quod brevis redactio mox mentionatorum septem librorum est. In hoc Epitome inveniuntur quaedam additiones et mutationes. Brandt censet Epitome esse ad instar secundae correctae ad compendium redactae editionis magni illius operis. In hoc compendio stylus Lactantii est minus elegans, quam in magno. Quidam critici hanc ob causam de authentia opusculi dubitarunt, sed perperam.

In libro II Divin. Institutionum promiserat Lactantius se accuratius scripturum de affectibus Dei et promisso stetit. Statim post absolutum opus Institutionum

Divinarum edidit opusculum „De ira Dei", quod parvi est valoris apologetici, nam errore probare studet Deum irasci.

Tandem Lactantius scripsit De mortibus persecutorum. In hoc opere ad Donatum Confessorem dato, post breve prooemium auctor quinque capitibus (2-6) memorat atrocia genera mortis antiquorum imperatorum, qui Christianos persequebantur, nempe: Neronis, Domitiani, Decii, Valerii, Aureliani. Postea statim transit ad tempus quo ipse auctor vivebat fusius narrando de persecutoribus et mortibus Diocletiani, Galerii, Severi Maximini. Series narratorum pertingit ad victoriam Licinii de Maximino reportatam, ad annum scilicet 313. Porro capite 1 auctor laudat a Deo excitatos „principes," qui tyrannorum nefaria et cruenta imperia resciderunt, humano generi providerunt; ut iam quasi discusso transacti temporis nubilo, mentes omnium pax iucunda et serena laetificet" (Migne P. L. VII, 191). Nomine principum intelligendos hic esse Constantinum et Licinium patet ex capite 48, ubi ponitur edictum utriusque caesaris

de pace Ecclesiae reddenda, Nicomediae 313 anno promulgatum (Migne, ibid. pp. 267-270). Cum auctor non minus laudet Licinium quam Constantinum, inde sequitur persecutorium contra Christianos edictum Licinii, anno 315 promulgatum nondum apparuisse. Itaque liber scriptus est inter annos 313 et 315, probabiliter 314 et quidem Nicomediae, nam mentionati in libro magni eventus illius temporis tali modo repraesentantur, quali apparebant Nicomediae incolis, aut vicinorum regionum.

Finis operis est demonstrare persecutores christianorum fuisse a Deo punitos atrocissima morte. Nonnisi ea facta adducuntur, quae apta erant ad hanc sententiam probandam. Tamen nullibi auctor falsa locutus est. Non obstante sui operis tendentia, Lactantius historiam non violavit. Quae ab ipso narrata leguntur et cognosci possunt ex aliis fontibus historicis, inveniuntur, veritati conformia. Inde sequitur librum De mortibus persecutorum etiam in eis, quae in eo solo narrantur, esse fontem historicum fide dignum. Cui rei non obstat

quod auctor aliquando vehementibus irae affectibus feratur contra Dei et Ecclesiae inimicos. Nam humanum est irasci contra eos qui iniuste persequuntur.

De auctore huius libri multum disputatum fuit. Conservatus est in solo codice parisiensi manuscripto ex s. XI proveniente et inscribitur: „Lucii Caecilii liber ad Donatum Confessorem de mortibus persecutorum." Nomen itaque Lactantii non mentionatur. Porro liber scriptus est Nicomediae anno circiter 314, sed ex aliis fontibus conicere licet Lactantium tunc temporis Treviris fuisse. Sed nemo alius scriptorum christianorum s. IV ineunte fuit qui appellaretur Lucius Caecilius, nisi Lactantius, cuius praenomen fuit Lucius Caecilius. Nihil mirum est s. XI Caecilium minus notum errore amanuensis mutatum fuisse in Caecilium magis notum. Porro S. Hieronymus librum „De persecutione" tribuit Lactantio. At inter opera Lactantii nullum aliud opus notitiae Hieronymi respondere potest nisi „De mortibus persecutorum. Huc accedit non solum linguae latinae pulchritudo lactantiana, sed etiam hoc, quod auctor libri („De morti-

bus persecutorum" eosdem citare solet scriptores, quos citare solebat Lactantius, nempe Virgilium librosque Sybillinos. Idea fundamentalis operis „De mort. persecut." invenitur in suo magno opere „Divinarum Institutionum" libro V c. 23. Nihil mirum est, si Lactantius, qui solet ubique mitis esse et erga adversarios benevolus, in libro „de Mortibus persecutorum" fit vehemens et durus. Obiecti natura potuit eum ad id excitare. Tandem commoratio Lactantii in Gallia (Treviris) anno 314 non est historice demonstrata. Ergo ipse liber „De mort. persec." potest esse indicium suae commorationis in Bithynia.

Sententia Lactantii quae posita est in fundamentum operis eius „De mortibus persecutorum" non est omnino falsa neque omnino vera. Reapse enim misere perierunt multi qui christianos persequebantur antiquis et recentissimis temporibus. Sed est differentia inter multos et omnes. Nam minus recte dici potest multos christianorum persecutores non peiorem habuisse mortem, quam et victimae eorum.

Utrumque explicatur si profundius mente in eventus historicos penetramus. Quidam

persecutores misere perierunt ideo quod et ipse omnes odio habebant et ab omnibus odio habebantur. In imperio romano tanta fuit crudelitatis dominatio, ut non solum christianos persequeretur, sed cruentis spectaculis plebem in amphitheatris pasceret et ipsos imperatores non raro trucidaret. Deus autem non manifestavit iram suam erga Traianum aut Marcum Aurelium, nam fortasse hi imperatores nihil contra conscientiam fecerunt persequendo veri Dei cultores. Falsum conscientiae dictamen secutus Ecclesiam Dei vexabat et Paulus. Deus non punivit eum, sed gratia circumfudit et fecit eum vas electionis ad portandum nomen Salvatoris iudaeis et gentibus.

Valor Lactantii in apologetica.

Homines non solum rationibus et argumentis dirigi solent, sed etiam affectibus. Pulcher sermo aliquando magis persuasionem generat quam stricta argumentatio. Sed pulchritudine sermonis latini Lactantius eminet super omnes scriptores christianos. Etiam s. XV et XVI renascentibus litteris latinis, Lactantius prae ceteris in magno habebatur honore, ac edi-

tiones typographicae suorum operum prodierunt prius quam editiones Sanctorum Patrum caeterorumque scriptorum christianorum antiquorum.

Porro Lactantius, sicut et Clemens Alexandrinus maxime commendabat perfectissimum systema morale christianorum. Sed in colluvie corruptionis, quae senescente imperio vigebat, argumentum ex vigore morali plus erat optum quam caetera movendi animos boni sitientes et adducendi eos ad christianae Ecclesiae unitatem. Lactantius tamen in Divinis Institutionibus praesertim consistit in eis virtutibus commendandis, quas a stoicis commendabantur, ita, ut suum systema morale supra systema stoicorum nonnisi eo emineat, quod dicat ultimum et summum fontem, ex quo lex moralis cognoscatur esse Deum. Item fundamenta, originem et finem regenerationis moralis describit iuxta doctrinam christianam. Haec magna similitudo sui systematis moralis cum stoicorum doctrina estquidem notabile vitium Lactantii. Sed etiam hoc vitium magis apertam viam patefaciebat, qua probi, parum ad superna-

turalia dogmata accipienda praeparati, ethnici in Ecclesiam ingrederentur. Hoc modo Lactantius fortasse contulit ad augendum numerum christianorum, sed etiam occasio fuit diminuendi valoris eorum.

Ad evolvendum doctrinale systema theologiae fundamentalis Lactantius parum contulit, quia non erat peritus doctrinalium quaestionum profunde investigandarum. Tamen magnam laudem meretur et merebitur propterea, quod fusius quam antiqui evolvet argumentum theologicum. Sed et hic dolendum est, eum commisisse errores in doctrina de affectibus Dei, qui errores maxime leguntur in opusculo „De ira Dei." Tandem meritus est Lactantius de historia, quod multa recenter narrata facta historica conservavit. Quod meritum mediate affert nonnulla utilia etiam in theologiam fundamentalem.

De codicibus manuscriptis. Opera Lactantii: Divinae Institutiones, De ira Dei, De opificio Dei, Epitome conserva sunt in codice Bononiensi, qui confectus est s. VI vel VII. Item in codice Sangallensi rescripto, qui primitus habuit

Divinas Institutiones in se exaratos item s. VI aut VII. Circiter 20 codices prodeunt ex saeculis 8-12 et circiter 220 ex saeculis 14 et 15. De manuscriptis operum Lactantii lege Brandt, editio operum Lactantii, prolegomena ad I vol. 1890 anno.

Editiones. Princeps editio Lactantii, Divinarum Institutionum, De ira Dei, De opificio Dei prodiit in monasterio Sublacensi (Subiaco) anno 1465. Haec editio est primus typis in Italia impressus liber qui indicium anni portat. Notanda editio J. B. le Brun et N. Langlet du Fresnoy Parisiis 1748 quae una 1 vaties portea reimprematur, inter caetera etiam apud Migne P. L. VI et VII Parisiis 1844. - Optima et recentissima editio est facta in Corpore scriptorum ecclesiasticorum latinorum sub titulo: Lucii Caecilii Firmiani Lactantii opera omnia. Accedunt carmina eius quae feruntur et L. Caecilii qui inscriptus est De mortibus persecutorum liber. Recensuerunt S. Brandt et G. Laubmann. Pars I. Vindobonae 1890. Partis II fasciculus I et II. Vindobonae 1893 - 1897.

Commentaria. Ch. Leullier, Etudes sur Lactance, apologiste de la religion chretienne, Caen 1846. - Kotzé, Specimen historico-theologicum de Lactantio. Traiecti ad Rhenum

1861. P. Berthold, Prolegomena zu Lactantius. Metten. 1861. - Freppel, Comodien, Arnobe, Lactance et autres fragments inédits. Paris. 1893. - R. Pichon, Note sur un vers des oracles sybillins, ibidem 1904, n. 28 p. 60. R. Pichon Lactance, Paris 1901. - R. Pichon, Note sur un passage du „De mortibus persecutorum" (Revue de philologie 1904, n. 28 p. 60.) P. Monceaux, Etudes sur Lactance (Revue Philosophique 1905 n. 29 p. 104-139) - Maurice J., La veracite historique de Lactance (Comptes rendus des seance de l'Academie des inscriptions et de belles lettres 1908 p 146-159).

Hippolytus.

Vita Hippolyti non potest scribi sine magnis difficultatibus. In ea enarranda maxime meritus est J. J. Döllinger, qui obscura illustravit, contradictoria composuit (vide suum opus „Hippolytus und Kallistus 1853). Döllinger probavit opus quod inscribitur „Philosophumena" esse Hippolyto auctore scriptum inter annos 200 et 230. In hoc opere Romani Pontifices Zephyrinus et Callistus maximis obiectionibus gravantur, quae tamen omnino non sunt iustae .. Callistus enim erat unus ex maximis episcopis romanis. Hippolytus eum vituperavit, quia ipse addictus erat haeresi subordinatianisticae ac profitebatur rigorismum sectarium in causis disciplinae ecclesiasticae. Post mortem Zephyrini anno 217 aut 218 Hippolytus non agnovit electionem Callisti et ipse factus est schismaticus episcopus romanus. Haec res falsitatem accusationum eius contra Callistum prolatarum explicat sufficienter, nec adest ratio accusandi Hippolitum criminis calumniae formalis, quia passione ductus bona fide in malum actiones Callisti vertebat.

Callisto mortuo schisma Hippolyti duravit sub successoribus suis Urbano (222-230) et Pontiano (230-235). Anno 235 Maximinus Thrax decretum edixit, quo Pontianus pontifex et Hippolytus antipapa in „insulam nocivam" scilicet Sardiniam relegati sunt. Decreto relegationis accepto et verus episcopus et suus adversarius episcopali dignitate abdicarunt. Imo Hippolytus ad unitatem Ecclesiae rediit. Brevi post uterque martyr mortuus est ac corpora utriusque Romam reportata sunt 13 die Augusti 236 aut 237 anni. Utrique enim honores martyrii reddebantur. Ea quae a Prudentio narrantur, Hippolytum nempe fuisse equis distentum, erronee Hippolyto christiano adscripta sunt.

Opera apologetica.

Maximum opus Hippoliti sunt „Philosophumena", quae contra haereticos diriguntur. In fine operis lector remittitur ad librum antea scriptum Περὶ τῆς τοῦ παντὸς οὐσίας (De substantia rerum)..

Existentiam huius operis testatur etiam statua marmorea Hippolyti antiquissima in suo coemeterio inventa anno 1551. In hac statua plurima scripta Hippolyti enumerantur, inter quae est etiam supra nominatum opus sub titulo: Πρὸς Ἕλληνας καὶ πρὸς Πλάτωνα ἢ καὶ περὶ τοῦ παντὸς (Contra graecos et contra Platonem sicut et de universo.) Ideo opus nominatur a S. Hieronimo (ep. 70 ad Magnum c. 4.) et a Photio. Hic etiam argumentum tradit. Juxta Photium opus — περὶ τῆς τοῦ παντὸς οὐσίας dividebatur in duos libros. Auctor demonstrabat Platonem sibi ipsi contradixisse, refutabat Alcinoi platonici errores de anima, de materia, de resurrectione, suas sententias de eisdem rebus proponebat et probabat populum iudaicum antiquiorem fuisse graeco. In opere s. Joannis Damasceni „Sacra Paralella" invenitur conservatum sat longum excerptum ex dicto opere Hippolyti, in quo excerpto describitur infernum. Itaque excerptum hoc nullum habet valorem in apologetica. Reliqua pars operi periit.

Sub nomine Hippolyti fertur parvulus liber Ἀποδεικτικὴ πρὸς Ἰουδαίους (Demonstratio contra iudaeos), sed nemo antiquorum novit tale opus a Hippolyto scriptum fuisse, neque in statua invenitur enumeratum, quapropter authentia huius libri valde est dubia. In hoc libro auctor vehementi stylo arguit iudaeos ipsos esse reos suae calamitatis, quia Messiam negarunt. —

Commodianus.

De <u>vita</u> Commodiani nihil docuerunt antiqui litterarum christianarum testes; ex operibus autem ipsius Commodiani vix aliquid clari et certi de eius gestis coniici potest. Quapropter alii eruditi censent Commodianum fuisse episcopum, alii vero mendicum, qui eleemosynis Ecclesiae sustentabatur; alii affirmant eum vixisse s. III, alii vero s. IV. Probabile est eum fuisse Gasa palestinensi oriundum, parentibus ethnicis natum, imprimis proselytam iudaicum, deinde vero christianum.

Opera. Commodianus scribebat versibus et quidem acrostychis. Ad nos pervenerunt duae suorum versuum collectiones: 1° Commodiani instructiones per litteras versuum primas et 2° Carmen apologeticum.

„Instructiones" duabus constat partibus, quarum prima initio deridentur politeismi errores, postea monentur proselytae iudeorum, tandem vertitur poeta ad novissima tempora et antichristum. Liber secundus vertitur iam ad christianos et totus est in dandis consiliis ad usum diversarum vocationum, monet enim cathechumenos, poenitentes, apostatas, matronas, lectores, diaconos, praesbyteros et mendicos, ut officiis fideliter fungantur.

Secundum opus in codicibus manuscriptis nullum habet titulum, sed a cardinali Pitra, qui primus hoc opus typis edidit 1852 a., inscriptum est „Carmen Apologeticum" ac constat 1060 versibus. A primo ad 88 poeta dicit se esse vocatum ut viam salutis monstraret. Porro versibus 89-276 -

scribit de vero Deo, de lapsu hominum et de redemptionis initiis. Porro versibus 277-578 dicit populum iudaicum ingratum fuisse, quapropter beneficia Redemptoris ad gentes transierunt. Describitur Redemptor, cuius divinitas probatur ex prophetiis messianicis et ex sua resurectione a mortuis. Porro 579-616 enumerantur vitia gentilium, quae impedierunt quominus Christus ab omnibus acciperetur, porro 617-790 iudaei adhuc credunt se esse populum electum, reapse autem a Deo reiecti sunt. Tandem 791-~~790~~ 1060 poeta monet utrosque, iudeos scilicet et gentes, ut sese ad Christum convertat, ac describit novissimos res, nempe adventum Christi iudicis.

Poesis Commodiani non semper est pulchra, quia scribebat acrostychis aliquando studens etiam ita componere versus, ut ultimae earum litterae, essent aut eaedem omnino, aut verba quaedam constituerunt. Hoc modo factum est quod sermo suus a naturali libertate longe sit alienus. Pulchritudo poetica non est magna in suis operibus.

Eminet ultima pars in Carmine Apologetico, quae pulchior est caeteris.

Commodianus id potius intendebat, ut homines ad veram religionem converteretur eiusque veritates profunde in corda acciperent. Itaque in omnibus prosequitur finem practicum.

Gennadius iustum protulit de Commodiano iudicium: „Quia parum nostrarum attigerat litterarum, magis illorum (ethnicorum et iudeorum) destruere potuit, quam nostra firmare." (Gennadius de viris illustribus c. 15) In carminibus Commodiani inveniuntur multi errores dogmatici.

De codicibus. „Institutiones" conservantur in tribus manuscriptis: a) cod. Cheltenhamensi ex s. XI, b) Parisiensi s. XVII et c) Leidensi s. XVII. Leidensis videtur prodiisse ex Parisino, Parisinus autem esse descriptus a J. Simond. S. J. ex codice Andecavensi, qui postea periit. Carmen vero apologeticum conservatum est in solo codice Cheltenhamensi ex s. VIII. —

Editiones. Instructiones edidit N. Rigaltius 1649 an. in oppido Toul. Apud Migne hoc carmen prodiit in V vol. Patrol. Latinae Parisiis 1844 anno. Carmen apologeticum primus edidit cardinalis Pitra in Spicilegium Solesmense vol. I. Parisiis 1852, postea H. Rönch Das Carmen Apologeticum des Kommodian in Zeitschrift für die historische Theologie vol. 42 annus 1872 p. 163-302. — Porro utrumque carmen prodiit sub titulo: Commodiani Carmina. Recensuit et commentario critico instruxit B. Dombart (Vindobonae 1887) (Corpus scriptorum eccl. latinorum vol. XV.).

Commentaria: G. Boissier. Commodien. Paris. 1886. — Freppel, Commodien, Arnobe, Lactance et autres fragments inédits. Paris 1893. — Fr. Hanssen, De arte metrica Commodiani. Argentorati 1881. — Ad. Ebert. Kommodians Carmen apologeticum (Abhandlungen der K. Sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften V Leipzig 1870 p. 387-420. — C. Leimbach Ueber Kommodians Carmen apologeticum adversus Gentes et Judaeos. Schmalkalden 1871.

EPISTOLAE ROMANORUM PONTIFICUM ANTIQUORUM.

Non sine valore apologetico sunt quaedam epistolae Romanorum Pontificum antiquissimae, nam ex ipsis colligi possunt facta et doctrinae, quibus probetur episcopos romanos semper ius habuisse in caeteras ecclesias, etiam maximas et remotissimas.

Prima itaque epistola quae conservatur sunt litterae s. Clementis Romani ad Corinthios, quae designatur numero primae et sola est authentica. Conservata est in lingua originali graeca, in versionibus latina et syriaca. Eusebius (H.E. 3, 38, 1) testatur eam scriptam fuisse ἐκ προσώπου τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας scilicet „ex persona Romanae ecclesiae" iuxta s. Hieronymus (De viris illustribus c. 15) Epistulam hanc fuisse scriptam a Clemente ad Corinthios testatur etiam Dionisius Corynthius anno circiter 170.

Cum epistolam praecesserit magna persecutio christianorum Romae, quae saevit post mortem apostolorum Petri et Pauli, cum ecclesia Corynthia dicatur antiqua (ἀρχαία), cum viri, qui epistolam portarunt, dicantur esse probati a iuventute usque ad senectutem (ἀπὸ νεότητος ἕως γήρους) probati sunt virtutes, tempus, quo epistola scribebatur, non potest esse alienum nisi finis persecutionis Domitianae ac perinde anni 92-101.

Haec epistola a tota antiquitate christiana multum venerabatur ita, ut in codice bibliorum alexandrino adiuncta sit immediate libris divitus inspiratis. Ea usus est s. Polycarpus in epistola scribenda Philippensibus, Hegesyppus eam laudavit in suo perdito opere contra haereticos, nec non Irenaeus, Clemens Alex. Hieronymus, Eusebius Caesareensis.

Utilitas huius epistolae ad theologiam fundamentalem est maxima, quia probat primatum romani pontificis exercitum fuisse exeunte seculo primo. Quidam critici quondam crediderunt epistolam Clementis esse responsum

eius ad epistolam Corynthiorum, qui ipsi verterunt sese ad eum rogando, ut lites eorum interiores componeret. Tamen haec non concordant cum modo loquendi ipsius epistolae. cfr. c1, 1; 47, 6.7. Clemens loquitur tamquam iudex et superior erga suos subditos. In fine epistolae etiam clare dicitur: „etsi quidam non obedient, nos tamen scimus nostro officio satisfecisse" (ἐὰν δέ τινες ἀπειθήσωσιν, ἡμεῖς δὲ ἀθῷοι ἐσόμεθα c. 59, 2)

Porro eadem epistola testatur hierarchiam ecclesiasticam a Christo Dño esse institutam ab apostolis initium sumpsisse (c. 42, 1. 2) Clemens loquitur de presbyteris episcopis et diaconibus. Nomen presbyteri videtur esse universalius quam episcopi, scilicet et episcopos designare et sacerdotes.

Epistola testatur s. apostolos Petrum et Paulum multa sustulisse in propagando evangelio, tandem testimonium Christo dedisse coram potestatibus (μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων) ac multos sibi discipulos adiunxisse et

post subitam passionem „nobis" ἐν ἡμῖν, scilicet Christianis Romae optima exempla factos esse. Contextus non potest intelligi nisi de martyrio Petri et Pauli Romae subito. Quapropter epistola Clementis est etiam testimonium commorationis s. Petri Romae.

<u>Epistola Soteri</u> (166–174) papae ad eosdem Corynthios perdita est, sed Eusebius in Historia Ecclesiastica l. 4, 23, 11 citat epistolam Soteri Dionisii Corynthiorum episcopi, qui testatur epistolam Soteri lectam esse in ecclesia ac legi consuetam ad aedificandum. Cum epistola sit perdita, de utilitate eius ad thelogiam fundamentalem parum loqui possumus. Sed eo ipso quod scripta est, videtur esse quasi continuatio eiusdem iurisdictionis, quam exercuit s. Clemens romanus in corynthios. Ex responso Dionisii patet ecclesiam corynthiorum a Sotero accepisse magnam eleemosynam ad subveniendum confessoribus, qui ad metalla fuerunt damnati. —

Callistus, qui antea fuerat servus, factus est episkopus romanus 217 aut 218 anno et gubernavit ecclesiam usque ad 222 aut 223. Turbulenta fuerunt tempora illa propter errores montanisticos ac schisma Novatiani et Hippolyti. — Callistus ediderat decretum quo promiserat poenitentibus ab Ecclesia remissum iri etiam adulterii peccata. Hoc edictum provocavit iram montanistarum et schismaticorum, qui rigorismum profitebantur. Decretum Pontificis periit, sed manserunt decreti adversariorum scripta, praesertim Tertuliani liber De Pudicitia, ex quo colligi possunt argumenta, quibus Pontifex suam sententiam astruebat, nam ea a Tertuliano impugnatur. Itaque ex 21c. libri Tertuliani De Pudicitia colligi potest Callistum provocasse ad plenitudinem potestatis sibi in B. Petro apostolo datae verbis: „super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam et tibi dabo claves regni coelorum etc." Imo Callistus affirmasse videtur omnes ecclesias possidere ius absolvendi maxima quaeque peccata, quia omnis ecclesia est Petri propinqua, aut „omnis ecclesia ecclesiae Petri propinqua."

Triginta circiter annis post Callistum Ecclesiam gubernavit s. Stephanus. (254-257). Suo tempore apparuit quaestio de rebaptisandis aut non rebaptisandis haereticis. Dionysius Alexandrinus, cuius testimonium conservatur apud Eusebium H.E. VII. 5, 4 et Firmilianus Caesareensis, cuius testimonium mansit in ep. 75 s. Cypriani (c 25), loquitur de epistola, quam s. Stephanus dedit ad episcopos Cappadociae, Galatiae et Asiae Minoris minando eis excommunicationem propter rebaptisationem haereticorum. Lis Stephani et Cypriani de rebaptisandis est notissima. Ea fieri non potuisset, nisi Stephanus credidisset iurisdictionem habere in Africanis. Huius iurisdictionis exercitii vestigia Stephanus reliquit plane universalia, nam cum Basilides episcopus Leonis et Astrogae in Hispania a sua ecclesia depositus fuisset, Stephanus cum restitui iussit. Hoc factum colligitur ex 67 epistola s. Cypriani.

Licet successor Stephani Sixtus II (257-258) nulla reliquisset nobis scripta, tamen dubium non est, qui habuerit

relationes cum episcopis Africae et Asiae Minoris. Severitate Stephani et suavitate Sixti II id factum est, quod error rebaptisantium evanuerit. Sed sicut rigor ita et mansuetudo, ut exerceantur a romano episcopo in africanos et Asiae episcopos supponunt iurisdictionem illius in hos.

Felix fuit Romae episcopus a 267 ad 274. Ex actis concilii Ephesini a. 431. novimus ab hoc Pontifice scriptam fuisse ad Maximum episcopum Alexandrinum epistolam. – Concilium citat sententiam Felicis ex sua epistola de duplici natura in una persona Christi. Auctoritas Felicis tanta fuit in Oriente, ut etiam haeretici ea abuterentur, nam componebant symbola fidei erronea, quae Felici attribuebant. Eo modo conservatum est in lingua syriaca „Symbolum sancti Felicis episcopi romani." –

Miltiades, qui aliquando erronee vocatur Melchiades, gubernavit eccle-

siam 311 - 314. Constantius Imperator rogavit eum in Romae synodum haberet de donatistis. Hae synodus reapse facta est mense octobri 313 anno ac liberavit ab obiectionibus Caecilianum episcopum Carthaginiensem, damnavit vero Donatum episcopum Cassae Nigrae in Numidia. Ergo habuit iurisdictionem. Epistola Constantini conservata est responsum vero Pontifici et synodi periit.

De editionibus. In antiquioribus editionibus Mansi et Migne multae literae et acta Romanorum pontificum inveniuntur spuria. Editiones recentiores: v. Pflugk - Hartung, Acta Pontificum Romanorum inedita. Stuttgart 1884. - Ph. Jaffé, Regesta Romanorum Pontificum. Lipsiae 1885. - Caspari, Ungedruckte... Quellen...

Acta sanctorum martyrum.

In theologia fundamentali inter caetera divinae originis christianae

proferri solet etiam fortitudo martyrum. Christiana religio eo ab aliis religionibus distinguitur, quod initia eius sanguine martyrum sunt conspersa. Ex hoc facto duplex conclusio iuste fieri solet. Imprimis eiusm martyrium est testimonium hominis in tormentis prolatum contra voluntatem tortoris in favorem illorum eventuum, qui sunt christianae religionis fundamentum. Nam omnes martyres ideo occisi sunt quod crediderunt 1° christum fuisse 2° a mortuis resurexisse 3° apostolis potestatem dedisse. Talia testimonia seu etiam si mediata sunt, testimonii immediati maximum valorem supponunt et constituunt argumentum historicum omni exceptione maius.

Porro ipsa voluntas potius tormenta subeundi, quam Christum negandi est aliquid, quod naturae humanae vires superat. Si

itaque inter christianos multi fuerunt, qui magis voluerunt tormenta et mortem subire quam Christum negare et tranquille vivere, huius facti causa quaerenda est non in natura humana, sed in causa superiori, seu auctore naturae, videlicet Deo. Martyrium christianum ostendit Deum adiuvasse christianos in tormentis, sed Deus errori favere no potest, ergo religio christiana non est error.

Utrumque ~~(mart.)~~ adductum ratiocinium quiescit in facto martyrii. Ut hoc factum probetur opus est testimoniis historicis. Narrationes testium oculatorum de martyrio, seu acta s. martyrum, licet nullam contineant discussionem doctrinalem, tamen pertinent ad theologiam fundamentalem, quia sunt testimonia historica de facto, ex quo procedit ratiocinium veritatem religionis christianae probans.

Praeteritis saeculis homines considerabant martyria potius tamquam miracula, quapropter eas narrationes amabant, quae magis extraordinaria de martyribus proferebant. Ut proclivis ad mira lectoribus satisfacerent quidam scriptores continuo addebant martyrum actis novas et miras circumstantias ac si comperissent multa acta sanctorum genuina. Non defuerunt qui narrationes martyrii ex integro fingerent. Itaque corruptae et fictae narrationes de martyribus tam excreverunt, ut acta authentica neglegerentur, non ideo quod authentica, set ideo quod minus miraculosa fuerunt. Neglectus id effecit, ut quaedam magnae et pretiosae actorum collectiones perierunt. Sic periit magna actorum collectio ab Eusebio facta, ad quam ipse historicus saepissimae remittit Historiae Ecclesiasticae lectorem (Hist. Eccl. IV, 15, 47; V, 2;

V, 4, 5; V, 21, 5 etc.). —

Acta ss. martyrum sub respectu historico non omnia eundem habent valorem, sed sub respectu hoc in aliquot dividi possunt classes. — Ad optimam classem pertinent ea, quae scripta sunt a notariis iudicialibus imperii romani. Nam unicuique iudici, qui christianum ad mortem damnabat, adstabat notarius, qui scriberet et quaestiones iudicis et responsa accusati. Valor actorum huius classis est maximus, ut per se patet, sed admodum pauca acta hoc modo scripta ad nostra tempora pervenerunt. Talibus actis saltem proemium et conclusio addita est a christianis, qui ea conservabant. Ad hanc classem pertinent „Acta s. Justini et sociorum."

Ad secundam classem pertinent narrationes martyriorum scriptae a chrianis, qui adstabant iudicio et martyris ea narraverunt quae viderant atque audi—

audierant. Valor historicus auctorum primus classis non est minor quam primae, quia christiani non magis erant proclivi ad veritatem vitandam quam eorum adversarii. Sub respectu tamen apologetico testimonium christianorum minus prodest christianis quam testimonium adversariorum contra ipsos adversarios prolatum et scriptum. Ad hanc secundam classem pertinent imprimis Martyrium s. Polycarpi" ~~secundo~~ deinde „Epistola ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis", quae narrant martyrium christianorum lugdunensium 17 anno Marci Aureli factum," porro „Acta sanctarum Perpetuae et Felicitatis," quae 202 anno die 7 Martii interemptae sunt. Ad hanc classem pertinent maxima pars actorum geminorum.

Ad tertiam classem refero acta, quae non sunt ab immediatis testibus oculatis confecta, sed scripta ab aliquo posteriore qui tamen usus est ~~aut~~ testimoniis testium

oculatorum aut protocolis notariorum publicorum aut utroque hoc fonte simul. Ad hanc classem pertinent adhuc multa acta, quae varia sunt pro varietate et magnitudine mutationum, quas introduxerunt redactores in materialia quibus utebantur. Nihilominus ad hanc classem non numerantur nisi ea acta, quae duplicem habent qualitatem nempe redacta sunt in praesentem formam a scriptore antiquo, ipsi martyrio proximo, et, secundo, mutationes introduxerunt in ordinem narrationum, quibus utebantur, non vero in factorum substantiam. Ad hanc classem pertinere videntur „Acta SS. Carpi, Papyli et Agathonicis" fortasse etiam „Acta s. Pionii," qui passus est probabiliter an. 250. - Divisio, quam hic tradidi, nihil absoluti habet in se, nam Bardenhauer opere multocies citato (Bd II pagina 613) in duas dividit classes ea opera,

quae tres cathegorias segregari. Ad tertiam classem Bardenhewer praeter acta magnum valorem historicum habentia adiungit ea quae „mehr oder weniger vollständig auf freier Erfindung beruhen und kam noch geschichtliche Elemente in sich bergen". [p. 613] plus minusve ex libera inventione prodeunt et nulla fortasse elementa historica in se continent. Huiusmodi Acta, quae in apocryphis legi solent aut in aliis phantastice elucubrationibus, mihi videntur omnino extra divisionem Actorum esse ponenda. Tamen non est vituperandus Bardenhewer, quia cuique erudito licet suum sequi iudicium suamque divisionem proponere.

Eruditissimus Bardenhewer recenset quadraginta acta martyrum ex variis temporibus quibus persecutio christianorum durabat.

De editionibus. Editio vitarum sanctorum suam habet historiam et quidem magnam. Nominandi hic sunt praesertim: „B. Mombritius qui anno 1476 Mediolani edidit duo volumina in quibus collectae sunt sat multae vitae sanctorum manuscriptae ex antiquis codicibus. Editio est valde negligens, nam neque titulum habet, neque paginarum numerationem, sed sub hoc respectu est bona, quod textum codicum manuscriptorum non mutavit.

Al. Lipomanus Venetiis et Romae annis 1551–1560 edidit octo volumina in folio sub titulo: „Historiae de vitis sanctorum," qua editione abundanter usus est L. Surius monachus carthusianus qui Coloniae Agripinae annis 1570–1575 edidit sex volumina sub titulo: „De probatis sanctorum vitis. Hic tamen fidelitatem textuum quibus utebatur neglexit, nam non historiam habuit scopum sed asceticum. —

Historicum valorem cum ascetico fine aedificationis conjungere statuit J. Bolland, Societatis Jesu. Ei sese adiunxerunt multi et eruditi socii; qui edere coeperunt omnia quaecumque inveniebantur documenta

historica de quibuscumque sanctis. Editores sequuntur ordinem Calendarii. Singulis mensibus plura assignantur volumina in folio. Primum volumen ianuarii prodiit 1643 anno, anno vero 1894 iam prodiit secundum volumen, quod vocatur: „Propyleum ad acta sanctorum novembris." Anno 1882 societas bollandistarum edere coepit periodice „Analecta Bollandiana," tum propon praeparanda nova volumina, tum ad complenda ea, quae iam edita sunt. Preterea Bollandistae methodice perlustrare ceperunt omnes bibliothaecas, in quibus inveniuntur manuscripta ad vitas sanctorum pertinentia. Sic perlustrata est Bibliotheca Nationalis Parisiensis, Bibliotheca Vaticana et plurimae minores. Bolandistae ediderunt criticas ad accuratissimas codicum manuscriptorum hagiographicorum, qui in illis bibliothecis inventi sunt.

Tandem mentionem meretur collectio monachi Thom. Ruinart sub

titulo: „Acta primorum martyrum sincera et selecta," quae prodiit Parisiis 1689, postea multoties est reimpresa, ultimo prodiit Ratisbonae 1859 anno. Huic collectioni fieri solet obiectio, quod nimis rigidum exercet criticismum. Sed haec obiectio valde Ruinartum commendat. Reapse, quodam, quae sibi videbantur spuria, at ex gr. „Acta o auctorum quadraginta martyrum" posteritas melius edocta de regulis criticis demonstravit esse authentica et fide digna. Ex altera vero parte accidit ut et Ruinart erraret et ac inter authentica referret, quae postea apparuerunt esse commentitia.

Minores editiones ad usum scholarum factos et editiones singularum vitorum censeo esse proterendas esse silentio. –

<u>Scriptoi ingnotorum auctorum.</u>

Inter opera s. Cypriani quondam recensebatur homilia: „<u>De laude martyrii</u>," quae licet a sancto Augustino adscribetur martyri cartagenien-

si, tamen evidenter non eum habet auctorem, nam saepius provocat ad Virgilium, quam ad Scripturam Sacram, quod contrarium est et Spiritui et consuetudini Cypriani. Porro Cyprianus scribebat et loquebatur pulchra lingua latina et eminebat sententiarum colore, homilia autem „De laude martyrii" in verbis multum fucum facit sententiis vero ieiuna est.

Ex eo, quod homilia memoretur a Lucifero Calariensi, qui mortuus est 370 aut 371 anno, patet eam saeculo IV exeunte iam existisse scriptam. Spiritus Arnobii et Lactantii manifestatur in nimio usu scriptorum profanorum. Conici licet homiliam confectam fuisse ab aliquo discipulo eorum, cuius ingenium non fuit satis magnum, ut ad pulchritudinem eorum styli perveniret.

Homilia sane proferi potuit eo tempore, quo persecutio in christianos durabat. Sed post Lactantium ante Luciferum Calariensem fuit persecutio Licinii 315-328 annis et Iuliani Apo-

statae 361-363. Immo ex his persecutionibus prodiit homilia „De laude martyrii", quae nullum valorem apologeticum habet.-

Item nullum valorem apologeticum habet concio pseudo-cyprianica Adversus Iudeos, quae ignoratur ubi prodierit et a quo scripta. Communiter origo huius concionis quaeritur saeculo III inter discipulos Novati. Auctor concionis monet iudeos ad poenitentiam.

Similiter erronee fuit adscriptus s. Cipriano liber „De montibus Sina et Sion." Sina significat Vetus Testamentum, Sion vero Novum. In hoc libro exponitur differentia inter Vetus Testamentum et Novum. Harnack censet librum prodiisse annis circiter 210-240 in Africa. Multi hanc sententiam probant. In hoc libro, vulgari lingua latina scripto plurima adsunt, quae de ingenio auctoris satis sublimi testantur.

— . ∘ ∘ —

PRIMAE PE-RIODI

PARS SECUNDA.

APOLOGETAE CHRISTIANI POST EDICTUM MEDIOLANENSE.

Apologetae s. IV, V, VI defendebant religionem christianam contra ~~(erro)~~ eosdem inimicos eius ac apologetae saeculorum praecedentium, nempe, contra reliones ethnicas romanorum et graecorum, necnon contra iudeos. Hac ex causa Eusebius Caesareensis et alii adnumerandi sunt primae periodo. Sed isti vixerunt post edictum mediolanense, scilicet eo tempore quo vis politica imperii romani iam non solum eos protegebat. Quapropter hi apologetae tam recte seiunguntur ab antiquioribus et adnumerantur secundae parti eiusdem periodi.

Adversarii christianae doctrinae saeculis IV - ~~X~~VI

Quo minus vexabat christianos potestas civilis, eo magis exarsit contra eos impugnantia per litteras. Maximus christianorum adversarius fuit neoplatonismus, qui ortus est antequam christiana religio libertatem acquisieret.

Neoplatonismi auctor fuit Ammonius Sakkas, qui vixit circiter 175-242 ann. post Christum natum. Ammonius a parentibus christianis in christiana religione educatus, eam repudiavit ac scholam philosophicam Alexandriae fundavit. ~~(Imperav)~~ Impugnaverit ac christianos ignotim manet manebitque, quia ipse Ammonius nihil scripsit. Sed certum est systema philosophicam a se fundatam castra fuisse ex quibus maximi religionis christianae adversarii prodibant.

Quinque fuerunt discipuli Ammonii Sacci principales, qui maxime noti sunt nempe Herrenius, Origines Adamantius, Longinus et Palatinus. Origines Adamantius, de quo supra locuti sumus, fuit celeberrimus scriptor Ecclesiae antiquus et veritatis christianae defensor. Ipse iam scientia maturus scholam Ammonii frequentavit, nihilominus quosdam errores suos, ex. gr. praeexistentiam animarum, videtur ex hac schola hausisse.—

Doctrinam Amonii Sacci imprimis scribere coepit post mortem suam suus discipulus Herrenius. Multo melius tamen id fecit Plotinus Licapoli in Aegypto anno circiter 204 natus. Hic doctrinam neoplatonicam scriptis in systema redigere coepit 50 circiter annum aetatis agens, ac mortuus est anno circiter 269. Opus suum, nondum publici iuris factum, correxit suus discipulus Porphyrius ac edidit in sex enneadas divisum. —

Correctio Porphyrii sententias Plotini non corrupit, sed stylum eius emendavit. In unaquaque enneada continentur novem articuli. In tribus maximus capitibus substantia doctrinae Plotini convenit cum doctrina christiana.

Ipse docuit, inprimis, Deum esse unum, seu potius Supra-Unum (τὸ ὑπὲρ ἕν) omniasque positivas proprietates, ut bonitatem et pulchritudinem habere in supra eminente qualitate et supremo gradu (τὸ ὑπὲρ ἀγαθόν, ὑπὲρ-καλόν) utique esse supra omnem substantiam (ὑπὲρ οὐσίαν) atque supra intellectum. Itaque Plotinus parum abfuit a vero conceptu Dei formando. Porro ipse originem mundi ex creatione Dei deducebat, impugnavit et pantheismum et emanatianismum et dualismum — tamen christiano termino „creationis ex nihilo" non est usus, quia eum aut non cognovit, aut usu religioso nimis sacratum esse putavit.

Tandem docuit Plotinus Deum esse

finem nostrum, ad quem debemus tendere omnibus viribus nostris. Unio cum Deo est hominibus necessaria et obligatoria. Ad Deum nemo pervenire potest nisi exercitio pietatis et virtutum. Ipse Plotinus, cum ad difficile problema de origine mundi solvendum accedebat, ardente oratione auxilium impetrabat Dei.

Praeter has optimas partes philosophia Plotini quaedam valde erronea continebat, inter quae assertio creationis mundi ab aeterno mininimis adnumerari potest. Praeexistentia animarum erat sibi error communis cum Origene. Immo docuit Plotinus sidera esse animata, animas autem horum corporum coelestium vocabat nominibus deorum ethnicorum et sic adstruebat polytheismum cum monotheismo conciliatum. Mystice interpretando mythos populares eos cum philosophia conciliabat

et hoc modo religionem graecorum ac romanorum firmabat in animis hominum liberaliter eruditorum. Etiam cultum statuarum - idolorum argumentis rationis adstruebat. Opus Plotini spirat amorem sincerum et magnum erga religionem ethnicam et pietate eminet. Itaque quo sublimiore spiritu penetratum erat opus Plotini, quo plura in eo inveniebantur christianae veritati similia, quo strictiore nexu haec iungebantur cum suis erroribus politheisticis eo magis fiebant periculosa lectoribus christianis.

Tamen directe christianos Plotinus non impugnabat. Solus nonus articulus secundae enneadae dirigitur contra gnosticos christianos (haereticos) qui mundum et demiurgos dicebant esse malos.

Apertus christianorum adversarius factus est Plotini discipulus Porphyrius Bataneae in Syria anno circiter 232 aut 233 natus.

Hic annum circiter trigesimum agens Romam venit; ingenium habuit ardens et indomitum.

Socrates historicus, ab Eusebio Caesareensi citatus (H.E. 3,23) et s. Augustinus (De Civit. Dei 10,28) dicunt eum fuisse christianum et deinde factum esse apostatam. Tamen Eunapius, Porphyrii biografus silet hac de re. Initio Porphyrius fuit Plotini adversarius, postea vero factus est ardentissimus eius discipulus. Plotinus persuasit Porphyrio, ne committeret in se suicidii crimen. Plotino mortuo, Porphyrius eius scripta edidit eiusque gesta scripsit. In hoc opere biografico Porphyrius Plotinum describit tamquam aliquam personam supernaturalem. Roma Porphyrius profectus est in Sicyliam, ibique annis 267-270 commorans scripsit quindecim libros contra christianos (κατα χριστιανων)

Mortuus est Porphyrius Romae valde profectus aetate anno circiter 304.

Porphyrio persuasum erat omnem religionem debere in philosophia fundari, quapropter ipse impugnabat historicam christianismi veritatem. Christum autem ideo parvipendebat, quod natus fuerat de muliere et mortuus est in cruce atque irridet quod tam sero venisset in mundum. Miracula in evangeliis narrata non negat fuisse facta, sed negat eorum vim probandi divinitatem Christi et eius religionis. Neque resurrectioni Christi hanc vim agnoscit, negat resurrectionem corporum atque irridet hoc dogma christianum.

Porro Porphyrius negabat auctoritatem Scripturae Sacrae et authentiam quorundam librorum eius. Libro duodecimo sui operis Porphyrius dicit librum Danielis esse omnino recens et vaticinium septuaginta hebdomadarum esse scriptum post eventum.

Item obiiciebat Porphyrius Bibliis defectum interioris nexus inter sin-

gulos libros, immo etiam contradictiones, dicebatque primos evangelii praedicatores caruisse unitate.
Porro vituperabat Porphyrius mysticam rationem interpretandi sacras scripturas. Iuxta Porphyrium christiani ideo mysticum sensum in suis scripturis sacris quaerunt, quod literalis earum significatio absurda est. Tandem irridet Porphyrius quaedam effata Christi et apostolorum in evangeliis conservata similiter ac dicta martyrum.
S. Augustinus Porphyrium vocavit „doctissimum philosophorum" (De civ. Dei 19, 22). Propter hanc eruditionis magnitudinem, aut propterea quod ipse christianus fuerat, novit Porphyrius valde bene Scripturam Sacram, doctrinam et instituta christiana. His bonis qualitatibus adiunxit systematicam claritatem scribendi et pulchritudinem styli ac tranquillitatem expositionis.

~~Quapropter~~ Porphyrius maximus et periculosissimus fuit adversarius christianorum ~~toto~~ illo tempore quo pugna durabat inter doctrinam christianam et religiones graecorum et Latinorum.
Anno 1895 scribebat Kleffner: „Sub aliquo respectu videtur Porphyrius suum tempus superasse et tantas obiectiones fecisse, ut quidam nostri rationalistae hodierni id sibi honori verterent, si eas excogitassent" (In mancher Hinsicht scheint er sogar über sein Zeitalter hinausgegriffen und Schwierigkeiten aufgeworfen zu haben die manchem unserer modernen Rationalisten Ehre machen würden. Wetzer und Weltes Kirchenlexikon 2 Ausg. IX Bd. 209)
Septem vero annis post princeps rationalistarum A. Harnack dixit: „Dort, wohin Porphyrius ~~(nicht widerlegt)~~ den Streit zwischen religionsphilosophischen Wissenschaft und Christentum versetzt hat, liegt er noch heute; auch heute noch ist ~~Por~~phyrius nicht zu widerlegt

und er ist überhaupt nicht zu widerlegen, wenn man ihm zunächst Recht gibt demgemäss das Christentum auf seinen Kern zurückführt" (Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten. Leipzig. Hinrichs 1902 p. 353: Porphyrius eum in locum statuit pugnam inter christianismum ac scientiam religionis philosophicam, in quo haec pugna hodiedum subsistit.

Etiam hodie Porphyrius nondum est refutatus, neque refutari potest, si conceditur sibi ius reducendi christianismum ad sua initia.)

Sententia Adolphi Harnack de Porphyrio exagerata est, nam nullo modo sic loqui licet de auctore, cuius opus ad nos non pervenit. Nihilominus non est cur negemus Porphyrium fuisse eximium religionis christianae adversarium ac aliquo sensu rationalismi praecursorem.

Christiani scriptores magnopere attendebant ad opus Porphyrii, nam plurimi sese accinxerunt ut eum refutarent. Refutationes Porphyrii scriptae a Methodio, Eusebio Caesareensi, Apollinare, Philostorgio, perierunt. Mansit sola apologia episcopi Macarii Magni anno 1867 inventa et 1876 a Blondel Parisiis edita.[1])

Itaque optimus fons, ex quo Porphyrius cognosci potest est Apologia Macarii et quaedam fragmenta Porphyrii parva, quae ad nos pervenerunt. Contra Porphyrium scripsit etiam Eusebius Caesareensis, qui eum saepius nominat et refutat in sua Historia Ecclesiae et in Demonstratione Evangelica. Similiter et S. Augustinus multoties nominat obiectiones

---

1) Adversarius christianismi, quem Macarius refutat non vocatur proprio nomine, sed appelletur „Apocriticus" Kleffner censet probabiliter sub nomine „Apocritici" intellegendum esse Porphyrium (Kirchenlexicon IX² 210) Harnack vero omnino non dubitat quia ita sit (Mis. u. Ausbreit l. c.)

Porphyrii in opere de civitate Dei.
Opus Porphyrii ideo periit, quod imperator Theodosius II anno 435 omnia exemplaria comburi iussit.
Quae supererant exemplaria imperante Iustiniano I collecta sunt et combusta.
Imo comburebantur opera in quibus Porphyrius nominabatur et citabatur.
Hoc modo perierunt supra memoratae refutationes eius.
In quindecim libri contra christianos Porphyrius negabat revelationem divinam, sed dicebat omnem religionem construi debere in fundamento philosophico. Tamen aliquo tempore post aut ab apologetis christianis convictus, aut causam stabilitatis christianorum quaerens mutavit sententiam et statuit religionem ethnicam in revelatione supernaturali superstruere. Itaque collegit Porphyrius oracula Appollinis, aliorum deorum et bonorum daemonum, quae collectio eosdem vices gerere debuit in religione ethnica quas scriptura sacra habuit in religione christiana.

Fragmenta huius operis apud varios christianos citata collegit Gust. Wolff et edidit sub titulo: Porphyrii de philosophia ex oraculis haurienda librorum reliquiae. Berlin 1856.
Christiani non solum habebant Scripturam Sacram, ex qua veritates religiosas haurirent, sed et Christum venerabantur, qui salvator omnium fuit et specimen perfectionis moralis.
Porphyrius censuit non defuisse viros inter ethnicos, quos imitari et honorari liceret. Tales, iuxta Porphyrium, fuerunt Pythagoras, Apollonius Thyanensis, Plotinus. Hi non minores eminebant qualitatibus, quam prophetae, quibus gloriabantur Christiani. Porphyrius etiam vitam Pythagorae scripsit multis miraculis refertam et inculcare studebat cultum Pythagorae non minus esse bonum, quam cultum Christi.
Tandem Porphyrius descendit ad conciliandam suam philosophiam cum omni usu religionis polytheisticae

popularis; agnovit nempe oracula, magiam, theurgiam, eisque usus est ad ineundam communionem cum deis et daemonibus. Omnes ritus religiosos romanorum, graecorum, aegyptiorum, chaldaeorum, brahmanorum, aliorum agnovit et probavit, nam in unoquoque ritu, quantumvis superstitioso, invenire studebat aliquam veritatem religiosam symbolice expressam.
Solum christianismum impugnabat, quamvis pluribus veritatibus suis esset imbutus. Epistulae suae ad uxorem tantam spirant pietatem ac studium perfectionis moralis, ut ab imperito lectore alicui patri Ecclesiae attribui possint. Nihil mirum est si Harnack Porphyrium dicit fuisse eiusdem famae virum ac illi contra quos tam acriter pugnavit. (Mission und Ausbreitung des Christentums 228 p. adnot.) Nos professori Berlinensi assentiri non possumus, quia religionem sitam esse censemus in obaedientia Deo loquenti praestanda.

Porphyrius Deo revelanti non obedivit, sed fructus, quos ista obaedientia profert, imitari studuit.
Magna est caecitas humana, quae capax est etiam bona fide maledicendi fontem, ex quo aquam vitae haurit. Sed caecitas Porphyrii utilis fuit hominibus, nam ipse ad perfectionem quaerendam etiam eos incitavit, qui non fuerunt satis fortes, ut christianam amplecterentur religionem. In hoc ubi videre apparere paterna bonitas et sapientia Dei, quae errantium odia ad profectum animarum vertere novit.
Discipulorum Porphyrii notissimus fuit Jamblichus in oppido Chalcis (Χαλκίς) in Coelsyria nobili genere natus. Hic Porphyrio sese adiunxit Romae, postea reversus est in Patriam et scholam fundavit philosophicam ad quam plurimi confluebant discipuli humanitate

et bonitate magistri allecti.
Jamblichus scripsit:
a) De vita pythagorica liber (edidit Kiessling Lipsiae 1815 et 1816 an.)
b) Adhortatio ad philosophiam (ed. Kiessling, Lipsiae 1813 an.)
c) Protrepticus (edidit H. Pistelli Lipsiae 1888 an.)
d.) Περὶ τῆς κοινῆς μαθηματικῆς ἐπιστήμης (de communi mathematica scientia; librum I ed. N. Festa Lipsiae 1891; librum vero III graece edidit Venetiis 1781 Villoison in collectione Anecdot. graecarum vol. II p. 183 et sequen.)
e) Theologumena arithmeticae, edidit F. Ast Lipsiae 1817 an.)
f.) De Nicomachi arithmetica introd. liber (ed. H. Pistelli Lipsiae 1894 anno)
g.) Περὶ ἀγαλμάτων (de ornamentis, scilicet de studiis deorum quibus templa ornabantur. h) Χαλδαϊκὴ τελειοτάτη θεολογία (chaldaica theologia - ed. nescio) tandem k) opus dubium: de mysteriis liber, edidit Gust. Parthey, Berlini 1857.

Post edita alia etiam fere innumera opera, quorum valor philosophicus est infimus, mortuus est Jamblichus regnante Constantino, anno circiter 330. In systemate Plotini polytheismus magnas habuit partes, in systemata Porphyrii neoplatonismus non erat nisi fundamentum polytheismi, tandem in systemate Jamblichi philosophia fere disparuit cedendo locum theosophiae.
Fides polytheistica apud Jamblichum est fundamentum omnis cognitionis veri; homo non iam ad Deum elevari debet exercitiis virtutum, sed Deus descendit ut homini uniatur. Ad hanc unionem efficiendam sunt symbola, orationes, caeremoniae et sacrificia, quae effectum producunt infallibilem ex opere operato (θεουργία)
Scientia potest immediate acquiri ex statuis deorum. Totum systema Jamblichi consistit in operibus magiae, astrologiae, manticae mysticae numerorum significationis ita, ut superstitioni primus concedatur locus, philosophica vero speculatio ad infima deprimatur. Non solum graecorum et romanorum singulos deos Jamblichus docebat esse colendos, singulos adstruens diversis rationibus, sed etiam caeterarum gentium idola adunabat suae religioni.

Imo recessit ab unitate summi illius principii τὸ Ἕν, quod in systemate Plotini unum Deum significabat, sed excogitavit praeter summum illud Ens esse aliquod alius adhuc sublimius Ens. Mentem Porphyri de condendo ethnicis aliquo Salvatore ad instar Christi prosecutus est Iamblichus et scripsit novam Pythagorae vitam, atque asserunt hunc philosophum fuisse Deum incarnatum. Dii, iuxta Iamblichum, faciliter incarnabantur, nam non solum homines eximii et philosophi deificabantur, sed etiam in statuas descendebant dii easque viventes reddebant. Deum christianorum non agnoscebat. Quo magis diminuebatur valor philosophicus neoplatonismi eo magis crescebat consuetudo exaggerandi et auctoritatem et venerationem magistrorum. Haec consuetudo iam magna fuit apud Porphyrium, maior evasit inter discipulos inter discipulos Iamblichi.

Magister caelesyrensis cum suis discipulis rarum constituit ab aliis distinctum in historia neoplatonismi, scholam, scilicet, syriacam. Nomina plurima pertinent ad hanc scholam, nempe: Aedesius, Chrysanthius

Maximus, Priscus, Sulustius et Eustatius cum sua uxore Sosipatra. Hi omnes et alii dediti erant theurgiae potius quam philosophiae, magistrum suum ita venerabantur, ut eum divinum (θεῖος) vel miraculosum (θαυμάσιος) appellarent atque miracula de eo narrarent. Biographus Iamblichi Eunapius narrat quadam die Iamblichum orationis tempore fuisse in altitudinem plusquam decem cubitorum sublatum, vestes autem eius corpus splendore quodam aureo luxisse.

Ex omnibus Porphyrii discipulis solus Theodorus Asinensis adlaborabat ulterius evolvendo systemati philosophico neoplatonicorum.

Tamen maximam, licet tristissimam celebritatem, nactus est ~~im~~mediatus discipulus Iamblichi Iulianus Apostata, ex familia imperatoria oriundus, filius Iulii Constantantii, qui fuit frater adoptivus Constantii Magni, natus anno 331. Sex annos natus evasit ~~necem~~ a filio Constantini Constantio suis consanguineis paratam. A palatio caesareo remotus vivebat in latifundio suae mortuae matris

sub auspiciis servi Mardonii, qui eum erudiebat ad vitam temperantiae deditam et recreabat carminibus Homeri. Ab anno 341 ad 344 frequentavit scholas Constantinopolitanas ibique maximo amore et studio audiebat rhetorem Libanium, qui eloquenter et ardenter pulchritudinem ethnicismi inculcabat. Aulicus Nicocles docuit Julianum mythos Homeri mystice interpretandi iuxta communiter tunc receptum modum neoplatonicorum.

Cum Julianus factus est iuvenis florens, magnae sui ingenii dotes animos hominum ad eum vertebant. Haec tamen res invidiam suscitavit imperatoris Constantii, qui Julianum morare iussit in castello Macello in Cappadocia et arctae custodiae subdidit. Julianus jam antea intime amabat religionem graecam eiusque mytos, immo coepit odio ferri erga fidem christianam, ad eius exercitium adstringebatur. Itaque fingere coepit pietatem, suscepit lectoratus ordinem, scripturam sacram bene didicit. Undevigesimum annum agens, anno scilicet 350 vocatus est ad aulam imperatoris.

Constantini, accepit permissionem iterum frequentandi scholas Constantinopolitanos sub conditione non audiendi Libanium. Sed anno sequente Constantius, cum ipse debuisset proficisci in occidentem, timuit Julianum Constantinopoli relinquere et iussit eum proficisci Nicomediam in Bythynia. Sed Nicomediam tunc habitabat Libanius. Julianus accepit praeceptum non audiendi eum, atque litteram praecepti observavit, quia Libanium non audivit, sed praelectiones eius calamo exceptas a scribis domo discebat.

Discipuli Jamblichi: Aedesius, Chrysantius, Maximus et alii, viventes Pergami et Ephesi in continua erant relatione cum nicomediensibus atque magnum exercebant influxum in Julianum. Tranquillam vitam agens Nicomediae Julianus colloquia faciebat cum philosophis neoplatonicis de natura et origine animae, de natura et activitate deorum, de futuro horum deorum triumpho, ad quem faciendum coeli Julianum elegerunt, ut aiebat ethnicismi fautores.

Maximus Ephesinus docuit Julianum magicam artem et mantcam. Una cum hoc magistro, Jamblichi discipulo peragravit Joniae urbes. In hac peregrinatione hierophantes eleusini initiarunt iuvenem caesareum mysteriis eleusinis, quae ei valde placuerunt.

Tunc spergi coepit rumor, Julianum esse idololatriae amicum. Gallus, frater Juliani, certiorem eum reddidit de hoc rumore et monuit. Nuntius Galli et mediator inter fratres in hoc negotio fuit Aetius sacerdos. Julianus, ut suspicionem amoveret, coepit devotionem fingere fere monachalem. Anno 354 Gallus fuit caesarea dignitate destitutus et capitis plectus. Imperator Constantius etiam Julianum vocavit ad se Mediolanum. Imperatrix Eusebia intercessit pro Juliano et sic eum a periculo interemptionis liberavit.

Immo concessum est iuveni Athenas redire ibique scholas frequentare. Athenis tunc erant maximi et plurimi fautores occulti polytheismi antiqui. Sex mensium spatio Julianus usus est contubernio eorum. Postea iterum vocatus est Mediolanum ad imperatorem, a quo creatus est caesar Galliae,

Hispaniae, Britaniae.

Magnarum provinciarum gubernator factus Julianus prudentissime eas administravit, in bellis, quae gerebat multas splendidas victorias paravit, et nactus est ardentissimam admirationem atque amore ex parte sui exercitus. In vita sua personali exemplar fuit diligentiae et laboriositatis. Gloria Juliani in toto imperio celebrabatur: populus videbat suas eximias dotes, magica vero exercitia caesaris ignorabat, quippe quae in occulto fierent. Enormis gloria Juliani invidiam provocavit imperatoris Constantii, qui optimam et maximam partem exercitus sub iurisdictione Juliani constituti iussit ex Gallia ire in Orientem ibique aliis ducibus obedire.

Hoc praeceptum imperatoris valde displicuit subditis Juliani. Julianus rogavit Constantium, ut relinqueret exercitum in Gallia, sed imperator precibus non cessit. Tunc orta est seditio militaris magnaque par exercitus Julianum proclamavit imperatorem. 361 anno ineunte, hieme finito, Julianus cum suo exercitu profectus est ad orientem bellum

imperatoris illaturus. Tunc iam aperte prodiit tamquam politheismi cultor et fautor ardentissimus. Mox occupavit Athenas ibique templa deorum aperiri iussit, atque omnes invitavit, ut suum exemplum imitarentur. Brevi post nuntium accepit de morte Constantii et ipse factus est solus imperii romani solus gubernator. In sua persona schola philosophica neoplatonicorum vim et potestatem adepta est, quam habere potuerunt imperatores romani saeculo IV.

Hac potestate usus est Julianus, ut religionem ethnicam restauraret atque imprimis renovavit antiquum titulum imperatorium Pontificis maximi. Hoc enim titulo christiani imperatores non utebantur. Reconstitutionem ethnicismi Julianus prosequebatur triplici via: imprimis enim restauravit obliteratas ethnici cultus caeremonias. Ut populum eliceret maximo cum splendore sacrificia celebrabat nonraro una vice centum tauros mactans. Quandoque colligebat plurimas easque rarissimas aves, quas diis antiquis immolabat. Templa, altaria, statuasque deorum ubique multiplicabat. Imo ipse imperator propria

propria manu hostias occidebat ipse etiam in earum visceribus auguria proferebat de voluntate deorum, ipse ligna afferebat ad ignem in altare fovendum.

Porro ipsum ethnicismum renovare studuit. Ut hunc finem attingeret, totum imperium in provincias divisit, quarum singulis singulos praefecit pontifices, pontificibus subditi erant sacrifices seu sacerdotes. Julianus praecepit ut sacerdotes et pontifices scientia eorum officio conveniente essent imbuti ac praeterea etiam exemplari morum integritate omnibus praelucerent. Ut haec omnia attingeret edidit scriptum ad sacerdotium ethnicum instruendum et condidit quandam legislationem ethnicam religiosam. Julianus praecepit, ut ethnici sacerdotes essent hospitales, casti, humiles, ad serviendum hominibus prompti, vetavit ne theatra et cauponas adirent, ne invitationes ad convivia frequenter acciperent, ne agerent negotia lucrativa, ne libros legerint obscenos vel atheos. Atheis Julianus adnumerabat christianos.

Imo et laici subditi erant severiori disciplinae, nam propter peccata debebant

e communitate fidelium idololatrarum exclu-
di, donec salutarem poenitentiam peragerent.
Peregrini non admittebantur, nisi cum episto-
lis formatis, in quibus commendarentur a
suis pontificibus respectivis. Caeremoniis
cultus ethnici Julianus addi iussit concio-
nes et sermones in quibus mythi religionis
~~ethnicae~~ antiquae explicarentur in sen-
su scholae neoplatonicae. His caeremoniis
et concionibus adiunctus est cantus. Alexan-
driae fundavit Julianus scholam, in qua
pueri capaces in cantu religioso exercerentur.
Praeterea condidit Julianus pias associa-
ciones ethnicorum virorum, qui perfectio-
ni morali acquirendae incumberent vi-
tam communem agendo. Talia instituta
monasteriis christianis similia condidi-
dit Julianus non solum viris, sed et mulie-
ribus. Multos sumptus ipse expendit, ut
condidit instituta beneficentiae: xeno-
dochia scilicet, orphanotrophia, infirmerias
etc... Tamen haec omnia cum non prodi-
rent ex ipso spiritu religionis graecorum ac es-
sent nonnisi plantae in christianismo
ortae in tellus sibi alienum translatae
durare non potuerunt. Juliano deerant

vera media, quibus adduceret homines ad om-
nia sua praecepta adimplenda. Zelum religio-
sum ipse remunerabat auro et honoribus, itaque
et virtutes ab eo praedicatae et cultus exercitia
non propter amorem veritatis fiebant, sed prop-
ter amorem auri et promotionis in ordine po-
testatis.

Tandem, tertio, ut renascenti ethnicismo
vita pateret, Julianus debilitare studuit suum
adversarium, religionem, scilicet, christianam.
Ad minuendas vires huius Julianus variis
utebatur mediis. Persecutio cruenta sibi vi-
debatur inutilis et innocua christianis, qua-
propter se vertit ad alia magis efficacia
media, atque imprimis ad discordias fovendas.

Tunc temporis religio christiana ab
arianismo distendebatur. Imperator Constan-
tius arianismo favens multos episcopos or-
thodoxos expulerat. Julianus eos restituit, sed
Athanasium non permisit redire Alexand-
riam, quia hic erat nimis fidei ~~christianae~~
catholicae potens promotor.

Porro prohibuit christianos, quominus
grammaticam et retoricam docerent. Hoc
modo duplicem finem attingere voluit: et
numerum eruditorum christianorum minue

et eos qui scientiae erant avidi ethicismo imbuere ope magistrorum ethicorum.

Christiani obedientes erant potestate saeculari sine respectu ad moralem valorem eius, qui potestatem tenebat. Julianus exigebat ut sui subditi honorem sibi in imagine repraesentato exhiberent, imagines autem suas ita confici iubebat, ut ipse sit circumdatus a deis gentilibus. Hoc modo christiani ponebantur in necessitate, aut honorandi deos una cum suo imperatore, aut negandi honorem imperatori ad vitandum cultum falsorum deorum.

Bona clero concessa ab imperatoribus atque privilegia abstulit omnia. Templa ethnica diruta sumptibus christianorum restaurari coegit. Dignitates et officia sublimiora solis ethnicis distribuebat et hoc modo multos ad apostasiam adduxit. Notissimum est suum conamen restituendi templum hierosolymitanum, ad demonstrandum Christum fuisse falsum prophetam. Non solum iudaei sed et Julianus sumptibus non pepercit ad hoc opus efficiendum. Suum ministrum notissimum Alypium praefecit fabricae

huius templi reconstruendi, sed terraemotus et ignis ~~et~~ terra erumpens omnes hos conatus inanes reddidit.

Mirum est Julianum tam brevi tempore, spatio duorum annorum, tot tantaque facere potuisse. Imo ipse etiam opus scripsit contra christianos κατὰ Χριστιανῶν, cuius operis solus liber primus toto reconstrui potest ex opere s. Cyrilli Alexandrini, qui refutationem eius scripsit. Porro manserunt octo sermones Juliani, longa eius epistola ad Themistium, item „Ad Athenienses," item satyra Μισοπώγων (odium barbae), quinque epigrammata et Symposion seu Caesares. In hoc ultimo opere continentur vitae imperatorum romanorum. Marcus Aurelius immoderatis laudibus celebratur, Constantinus vero immeritis vituperiis deprimitur.

Valor Juliani non est positus in scriptis eius, sed in eo solo, quod politheismum a philosophia neoplatonica renovatum omnibus mediis divitiarum, potestatis et artis restituere studuit in locum non longe antea ab eodem politheismo occupatum. Hoc tamen effectu caruit non propter defectum studii aut mediorum, quae potestas huma-

-nu suppeditare apta est, sed propter defectum internae veritatis in ethnicismo. Praeterea historia Juliani Apostatae testimonio esse potest, a philosophia non posse iuvari religionem, quae Deum non habet auctorem.

Julianus, fortasse, ipse hoc cognovit, cum lancea persarum ictus, mense iunio 363 a. exclamavit: „Vicisti Galilaee" et mortuus est trigesimum tertium annum agens.

Post mortem Juliani Apostatae neoplatonismus iam parum habuit valoris in pugna contra christianos. Neoplatonismi sectatores magis adlaborare coeperunt commentandis et elucidandis operibus Platonis et Aristotelis. Semper addicti ethnicismo philosophi neoplatonici duas magnas scholas habuerunt: Athenis unam, Alexandriae vero alteram, quae maxime floruerunt saeculo IV exeunte et saec. V ineunte. Hae scholas eo sensu celebres dici possunt, quod admodum multos habebant discipulos. Ad philosophiam vero excolendam fere nihil attulerunt. Inter professores neoplatonicae scholae Alexandrinae celeberrima fuit mulier Hyphatia, moribus autem,

ethnicismo addictissima, in rebellione contra gubernatorem civitatis Orestem, a parabolanis, quibus cura infirmorum erat commissa, ineunte s. V occisa. Parabolani credebant eam esse instigatricem inimicitiarum Oresti contra s. Cyrillum ep. Alexandrinum.

Ultimum lumen scholae neoplatonicae fuit Proclus, anno 410 natus, anno vero 485 mortuus. Hic universam scientiam in aliquod systema neoplatonico spiritu penetratum componere studuit, theurgiam diligentissime coluit, apologeta fuit polytheismi. Scripsit opus de oraculis et edidit: Επιχειρήματα οκτωκαίδεκα κατὰ χριστιανῶν scilicet Duodeviginti argumenta contra christianos. In hoc opere impugnatur doctrina christiana de origine mundi in tempore et de futuro fine universi. Hoc opus refutatum fuit a Joanne Philippone ineunte s. VII.

Non defuerunt, qui quaererent reconciliationem inter neoplatonismum ex. gr. Themistius, Chalcidius.

Ultimi adversarii christianorum ex castris neoplatonicis fuerunt: Marinus

Flavia Neapoli oriundus, Isidorus Gazensis,
Zenodotus et Damascius. Edictum Ju-
stiniani I anno 529 deditum de clauden-
da schola atheniensi, quo edito etiam
prohibebatur professio philosophiae ethni-
cae, multum contulit ad extinguendum
neoplatonismum et cum eo religionem
graecam antiquam. Philosophi ethni-
ci transmigraverunt ad Chosroam regem
persarum, quia promulgatio edicti facta
est tempore belli Theodosii cum Persis.

Bello finito idem philosophi, parum de
Persis contenti redierunt in patriam. Sed
antiqua loca, ubi antea neoplatonis-
mus vivebat, iam fuerunt a christia-
nis occupata, traditio ethnica renasci
non potuit.

Breviter redacta adversariorum objectio-
nes, quae contra christianismum saeculis
IV–VI proferebant Hergenröther ad pauca
reducit capita: 1/ Diversitatem religio-
num ipse Deus vult, nam valde est
utilis ead veram religionem propagan-
dam; ad veritatem enim diversae du-
cunt viae. Homo nunquam Deum
divinaque sufficienter cognoscere potest,

1/ Joseph Kardinals Hergenröther Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte. IV Aufl. neu bearbeitet von Dr. J.P. Kirsch I Bd. Freiburg in Breisgau. Herder 1902 pagina 304.

quapropter optimum est religionem sequi
paternam. Philosophum autem decet su-
per omnes religionum formas esse ele-
vatum (Symmachus, Proclus). Christia-
nismus non tolerat alias religiones,
neque scientiam; christiani saeviunt
contra templa nonchristianorum, quo-
rum templa diruunt, violando spiri-
tum sui Magistri atque discipulorum
eius, qui vim persuasionibus ad fidem
spectantibus inferendam reprobant -
(Libanius). Propriae religionis leges violan-
do christiani vitam immoralem vivunt,
propriis operibus suam doctrinam everten-
tes. Christiani causa sunt, cur imperium ro-
manum dilabatur, nam dii propter ne-
gatum sibi cultum patrocinium impe-
rio subtraxerunt ex quo tempore Christus
coli coepit. Continuo crescens miseria una
cum numero christianorum probat doc-
trinam Nazareni perniciosam esse reipub-
licae (Eunapius et Zosimus). Christus ideo
non potest esse verus Deus, quod tam sero
post multa annorum millia a consti-
tutione antiquorum imperiorum ve-
nit in mundum, servi formam praesetulit

in parvo terrae angulo ipse vixit egitque et tandem crucifixus est. Quapropter multo rationabilior est cultus deorum graecorum atque heroum, quam stulta veneratio martyrum ac superstitiones reliquiarum cultus. Revelatio divina non est christianismo propria. Religio popularis accipiebat deorum oracula statis in locis, non caruit vatibus, utebatur scriptis divinitus inspiratis. Aderant etiam sapientes ac morum reformatores, neque aliquid boni habetur in christianismo, quod non antea aderat in religione populari graecorum (Hierocles, Simplicius, Eunapius).

Facile videri potest multas harum obiectiones refutatas pluries etiam hodie a quibusdam profferri sub mutata aliquatenus specie.

Seriei neoplatonicorum non potest adnumerari supra memoratus Hierocles, praeses provinciae Bithyniae, qui instigaverat Diocletianum ad persequendos Christianos, scripsit contra eos libellum λόγοι φιλαλήθεις πρὸς τοὺς χριστιανούς scilicet sermones veritatis amantes ad christianos.

Libellus periit, sed notitia de eo conservata est apud Lactantium, qui tunc Nicomediae, sub potestate Hieroclis vivebat et in scripto Eusebii Contra Hieroclem.

Conservatae apud apologetas citationes ex libello Hieroclis ostendunt auctorem fuisse Scripturarum Sacrarum peritum et magno odio flagrasse in Christianos. Hae duae proprietates, opinione quarundam, confirmant suppositionem Lactantii, qui credebat Hieroclem christianum apostatam fuisse.

Licet apud Hieroclem inveniantur quaedam opiniones cum neoplatonicis communes, tamen neoplatonicis eum adnumerare non possumus, quia ad debellandum christianismum praecipue usus est mendacio. De Christo enim Domino narravit eum fuisse a iudaeis expulsum, dein collegisse 900 latrones eique praefuisse. Apostolos Hierocles dicebat fuisse ignaros et mendaces, qui gesta sui magistri ultra modum extolebant et ampliabant. Magis quam caeteros calumniavit Hierocles sanctos Petrum et Paulum. Scripturae Sacrae Hierocles obiiciebat contradictiones. Tandem affirmavit Hierocles Apollonium Thyanensem maiora fecisse miracula quam Christum et dicebat hunc nihilominus nonnisi hominem divina gratia praeditum vocari, quapropter concludebat Christi divinitatis dogma esse omnino ineptum.

Breve intervallum temporis fuit inter promulgationem libelli famosi Hieroclis et edictum mediolanense. Quapropter

apologiae christianorum ac imprimis Eusebii caesareensis prodierunt iam post libertatem Christianis datam.

Eusebius Pamphili episcopus Caesareensis.

„Eusebius von Caesarea .... eröffnet die Blütezeit der patristischen Litteratur mit den glänzendsten Leistungen" (Eusebius initium facit aureae aetatis litterarum patristicarum eximia praestando opera), ait Bardenhewer (Kirchenlexikon IV² 1001).

Vita. Natus est Eusebius in Palaestina anno circiter 265, scholas frequentavit Caesareae, magistro usus est Pamphilo, qui fuit discipulus Origenis. Eusebius dicebat se esse filium Pamphili spiritualem, eiusque nomen suo nomini adiunxit. In persecutione Maximini Pamphilus coniectus fuit in carcerem, Eusebius eum non reliquit. Coniunctis viribus Pamphilus et Eusebius in carcere scripserunt quinque libros Apologiae Origenis. Post Pamphili mortem anno 309 Eusebius addidit sextum librum et totum opus publici iuris fecit. Mox scripsit Eusebius vitam sui magistri martyris in tres libros divisam, sed utrumque hic memoratum opus periit. Manserunt nonnisi fragmenta plus minusve notabilia. Brevi post ipse Eusebius fugam arripuit, ne ad tribunal tamquam christianus duceretur. Imprimis venit Tyrum, dein fugit in Aegyptum. Ibi captus est et in carcerem inclusus. Ignoratur quam longo tempore carcerem passus sit, sed, prodeunte edicto mediolanensi mense ianuario aut februario 313 anni, libertas Eusebii secura facta est.

Imperator Constantinus novit Eusebium et benevolus ei fuit. Probabiliter ante exitum 313 anni Eusebius factus est

episcopus Caesareae in Palaestina, quae urbs tunc magna et opulenta fuit. Episcopus huius urbis Eusebius potuit magnum exercere influxum, sed caruit stabilitate ingenii, opiniones autem Eusebii de Sanctissima Trinitate ac de Divinitate D. N. Iesu Christi valde obscurae fuerunt, potius faventes arianismo quam orthodoxiae. Ipse participavit in synodo Antiochena 330 an., quae iniuste deposuit ardentem orthodoxiae defensorem episcopum Antiochiae Eustathium, et in synodo Tyri 335 anno, quae eandem iniuriam fecit s. Athanasio Alexandrino. Imperatori Constantino semper addictissimus fuit: scripsit panegyricum eo vivente, scripsit et vitam laudibus plenam Constantino mortuo. Eusebius videtur persuasisse Constantino actus illos, qui arianismo favebant. Eusebius mortuus est anno 340.

Opera Eusebii fuerunt plurima et eximia, atque in quattuor classes dividi possunt: historica, nempe, quae hodiedum manent fons copiosissimus unicuique gestorum antiquorum exploratori, porro exegetica, deinde dogmatica, tandem apologetica.

Apologetica Eusebii opera fuerunt et multa et magni momenti. Dolendum sane est quaedam eorum periisse. Anno 303 Eusebius scripsit contra praesidem Bithyniae supra memoratum Hieroclem. Hierocles provocabat ad Philostratum neoplatonicum, qui scripserat vitam Apollonii Tyannensis plurimis ex maxime extraordinariis miraculis refertam. Hierocles dicebat non licere tribui

Christo dignitatem divinam, cum nemo eam tribuat maiori thaumaturgo Apollonio. Ad hanc argumentationem Hieroclis refutandam Eusebius examini subiicit opus Flavii Philostrati: in opusculo quod inscribitur: Πρὸς τὰ ὑπὸ Φιλοστράτου εἰς Ἀπολλώνιον τὸν Τυανέα διὰ τὴν Ἱεροκλεῖ παραληφθεῖσαν αὐτοῦ τε καὶ τοῦ Χριστοῦ σύγκρισιν (Contra [descriptionem] Apollonii Tyanensis a Philostrato [factam] occasione comparationis eius cum Christo a Hierocle prolatam). K. Werner breviorem tradit titulum: Καθ' Ἱεροκλῆ (contra Hieroclem), sed ille titulus videtur esse magis authenticus quam hic.

In hoc opusculo Eusebius non omnes obiectiones Hieroclis refutat, nam hae desumptae erant ex opere Celsi et ab Origene optimae refutatae. Hierocles id novi attulit, quod Christum Apollonio comparavit. Eusebius animadvertit comparationem esse incompletam, nam Christus multo plures nactus est fideles quam Apollonius discipulos, pro Christo plurimi mortem subierunt, ne eum negarent, quod nemo fecit pro Apollonio. Christus innumeros homines per aliquot saeculo ad sublimius morum exercitium vocavit et coelestis sapientiae amore inflammavit, fides in Christum non obstantibus maximis persecutionibus propagata est celeriter, asseclae Christi obsessos homines in nomine Jesu a daemonibus liberabant. Cum Hierocles haec omnia omisisset neque Eusebius vult ea profundius investigare. Sed examini subiicit veracitas narratorum Philostrati, qui vitam Apollonii scripsit, ad quam re-

Hic Eusebius veracitatem Philostrati negat provocans ad argumentum universale a priori, quod, nempe, nulla creatura potest excedere ordinem sibi assignatum; piscis non potest vivere extra aquam, animal terrestre non potest habitare in mari, neque piscis neque brutum volare in aëre ad instar avium. Similiter nec homo potest excedere leges naturae a Deo conditas, nisi Deus dederit. Eusebius igitur fortiter asserit et stabilitatem legum naturae et exclusivam Dei proprietatem patrandi miracula. Haec Eusebii doctrina est valde magni momenti in historia theologiae fundamentalis. Ex Eusebio patet christianos s. IV non minus ac hodie persuasos fuisse de stabilitate legum naturae, quapropter narrationes miraculorum christianorum provenientes ex illo tempore non possunt repeti ex erronea opinione de inconstantia legum naturae. Postquam asseruisset Eusebius miracula non posse fieri nisi a Deo, addit Apollonium a Deo hanc potestatem non accepisse et concludit miracula Apollonii esse non vera.

Porro colligit Eusebius contradictiones, quae in narratione Philostrati de miraculis Apollonii leguntur tantaque vi praeparat conclusionem de falsitate miraculorum Apollonii, ut haec falsitas evidens appareat.

Post expositas singulas contradictiones agnoscit Eusebius quaedam de Apollonio narrata, licet mirabilia sint, non esse improbabilia, haec tamen tribuenda sunt arti magicae, quia non excedunt vim daemonum malorum.

Tandem refutat Eusebius doctrinam Apollonii de fato (εἱμαρμένη), nam fatum adversatur ordini morali, cuius fun-

damentum est libertas. Ipse Apollonius sibi contradicit agnoscendo fatum et sibi aut aliis tribuendo aliqua merita.

Iudicium Eusebii de Apollonio Tyaneo positum est initio libri et ad id reducitur, quod immerito philosophis adnumerabatur, nam cognitio accurata eius vitae eum ostendit praestidigitatorem fuisse. Antequam vitam Apollonii legerat a Philostrato scriptam, meliorem opinionem habuit Eusebius de Tyaneo. Omnino contraria huic imago evincitur ex lectura miraculorum Christi, cuius persona ex evangeliis apparet vere divina.

Eusebius maxime meritus est de theologia fundamentali, ita ut fere propter huius scientiae dici posset, praesertim duobus operibus nempe „Praeparatione Evangelica" (Προπαρασκευὴ Εὐαγγελική 15 libri, Migne. Patr. Graeca XXI Parisiis 1857) et „Demonstratione Evangelica" (Εὐαγγελικὴ Ἀπόδειξις 20 ~~libri~~, Migne. Patr. Gr. XXII Parisiis 1857) Pervenerunt ad nos nonnisi decem libri. Iam tituli horum operum ostendunt unum esse eorum finem et ex duobus constitui unum. Ipse auctor postea duo haec voluminosa opera in parvulum compendium redegit sub titulo Περὶ τῆς Θεοφανείας („De apparitione Dei", scilicet in carne. Opus perditum.) Item compendiosum characterem habuisse videtur „Universalis introductio elementaris" (Ἡ καθόλου στοιχειώδης εἰσαγωγή), ex qua manserunt quattuor libri Sermonum propheticorum (Ἐκλογαὶ προφητικαί Migne P. G. XXII p. 1021-1262.)

Doctrinam Eusebii, quae ad theologiam fundamentalem pertinet iuxta C. Werner (Geschichte der apologetischen und po-

lemischen Literatur der christlichen Theologie I vol. Schaffhausen Hurter 1861) ordine systematico exponamus. Loquemur igitur: a) de rationibus ob quas christiani a religione ethnica discesserunt, b) de origine errorum ethnicorum, c) de eis quae falsa sunt in philosophia graeca, d) de partibus veri quae apud Platonem et philosophos inveniuntur, e) de antiquitate doctrinae hebraeorum maiore quam graecorum, f) de testimonio Veteris Testamenti, quo veritas Novi probatur, g) praesertim de vaticinio Danielis, tandem h) de divinitate Christi.

Post prooemium in I capite „Praeparationis Evangelicae" positum, Eusebius c. II scribit: „Ac primum quidem non sine causa quaesierit ex nobis quispiam, quidnam hominum simus qui ad hoc scribendi genus accedamus: graecine an barbari? quales porro non esse profiteamur, non utique nomine, quod iam apud omnes vulgatum est, sed morum vitaeque rationibus? Quippe se neque graecorum apud nos ritus neque barbarorum sectam ullam intueri". (Migne. P. G. XXI, 27). Antequam huic quaestioni respondeat, attentum facit Eusebius lectorem ad admirabilem doctrinae Christi propagationem, quam Ipse divina sapientia praedixerat et supernaturali virtute formaverat aedificando Ecclesiam suam super petram ipsis quidem mortis foris metuendam. Praeter haec alia multa et magna praedixit Christus, uno Ipse erat praenuntiatus in antiquo hebraeorum testamento atque praenuntiata suae doctrinae diffusio universalis. Hic igitur Christus plurimos attraxit. „Per ipsum enim effatum est, ut innumerabilis ex omni hominum genere multitudo reiectis idolorum erroribus, veram praepotentis

rerum omnium moderatoris Dei notitiam religionemque susciperet" (c. 3; Migne P. G. XXI p. 35.)

Itaque proponendo quaestionem, cur christiani usus patrios relinquerent iam tres adduxit easque magnas rationes ad respondendum, nempe 1° admirabilem doctrinae Christi propagationem, 2° vaticinia eventu adimpleta, 3° divinam praenuntiationem in Antiquo Testamento contentam de Christo et de opere eius. Hoc modo caput IV, quod responsum ad quaestionem capite 3 propositam continere debuit, iam ipso initio praesefert conclusionem: „Haec igitur illa sunt, quibus instituti nostri ratio ita confirmatur, ut quivis intelligat eam non humano quodam impetu excogitatam, sed praevisam divinitus, scriptisque oraculis divinitus praenuntiatam, longeque adeo magis universis hominibus a Servatore nostro divinitus oblatum fuisse". (Migne. P. G. XXI, 35)

Eandem conclusionem confirmat adhuc sequentibus rationibus. 4° Constantia enim christianae religionis in persecutionibus ab hominibus et malis daemonibus suscitatis coelestis auxilii est documentum et effectus, 5° Nam Christus est praedictus a propheta princeps pacis. Etenim antea continua erant bella. Post Christi vero nativitatem „civitates ut antea cum civitatibus dimicantes, populosque cum populis commissos, hominum denique vitam rerum omnium perturbatione contritam nemo vidit" (Migne XXI, 38) Ὃ καὶ μάλιστα μέγιστον ἡγοῦμαι τεκμήριον τυγχάνειν τῆς ἐνθέου καὶ ἀπορρήτου δυνάμεως τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν (ib. 37. - Equidem id vel maximum arbitror divinae arcanaeque Servatoris nostri potestatis argumentum).

6° Utilitas novae religionis patet ex salutari morum renovatione, cuius plurima affert Eusebius exempla. Persae christianismo accepto incestuosa matrimonia reprobant, scythae amplius non vesciuntur carnibus humanis, alii barbarii non immolant homines diis, neque senes interimunt antequam moriantur, neque cadavera proiiciunt inhumata. „Hae, inquam, omnia superioribus illis temporibus grassabantur, nunc autem fieri omnino desiere, immani ac belluina tot malorum peste salutaris unius evangelicae legis viribus profligata" (Ἀλλὰ ταῦτα μὲν πάλαι ἦν πρότερον, νυνὶ δὲ οὐκέθ' ὁμοίως ἐστὶν, ἑνὸς τοῦ σωτηρίου νόμου τῆς εὐαγγελικῆς δυνάμεως τὴν θηριώδη καὶ ἀπάνθρωπον τούτων ὅλων καταλύσαντος νόσον - Migne P. G. XXI, 40). - 7° Christianae religionis potentia id effectum, quod nemo antea efficere novit, omnes scilicet omnium linguarum gentes ad cognitionem unius Dei sunt elevatae (ib.). - 8° „Preterea, quod nullo plane iureiurando opus habeant" (καὶ τὸ μηδὲν εὐορκίας δεῖσθαι ib.) - 9° Voluptates temperant, iniurias non ulciscuntur, opes egentibus communicant, peregrinos fraterna caritate excipiunt. - 10° Non solum graecorum, sed et ferocissimorum barborum multitudinem lex evangelica ad sententias philosophis plane dignas adduxit: de animi immortalitate, de praesentis vitae contemptu. Haec non solum sermonibus sed etiam gestis christianorum comprobantur. Providentiae divinae patrocinium recreat christianos. Fides in iudicium divinum plurimum iuvat ad vitam recte instituendam improbitatemque declinandam. (Migne P. G. XXI, 41). - Tandem capite V maximam adducit rationem, ob quam christiani a religione ethnica,

graeca sive barbara discesserint, eam nempe, quod haec religio fuit superstitiosus idololatriae error. Religio christiana est sicut medicamentum quod imprimis sola auctoritate proponitur. Rationes autem utilitatis eius et veritatis iis patefiunt, qui illam usu iam didicerunt. Hanc in re doctrina christiana non differt ab unaquaque disciplina seu arte seu quocunque vitae genere. Tandem respondet ad quaestionem initio capitis II positam dicens: „Quae nostra sit evangelicae doctrinae ratio, quis item proprie christianismus nominetur, quippe qui neque graecorum sit neque iudaeorum institutum, sed recens quaedam veraque Dei sapientia, quae vel ipso nomine professionis suae novitatem prae se ferat" (... τίς ὁ καθ' ἡμᾶς τῆς εὐαγγελικῆς ὑποθέσεως λόγος, καὶ τίς ἂν κυρίως λεχθείη ὁ χριστιανισμὸς, οὐθ' Ἑλληνισμὸς ὤν, οὔτε Ἰουδαϊσμὸς, ἀλλά τις καινὴ καὶ ἀληθὴς θεοσοφία ἐξ αὐτῆς τῆς προσηγορίας τὴν καινοτομίαν ἐπαγομένη. Migne. P. G. XXI, 46, 48.)

Etnicismum refutare incipit Eusebius indicando originem erroris idololatrici. Episcopus Caesareensis religionem graecorum dicit ortam ex duplici fonte principali, nempe: ex religione phoeniciorum et ex religione aegyptiorum. In hac assertione Eusebius sequitur auctoritatem Diodori Siculi. Maximum argumentum huius assertionis est analogia inter deos harum religionum. Porro deos phoenicorum et aegyptiorum item ex duplici radice prodire facit, scilicet ex cultu astrorum et ex veneratione quorundam hominum, qui, in terra vivendo, caeteris hominibus maiora effecerunt. Haec assertio confirmatur auctoritate Euhemeri Messinensis, qui in Arabia Felice in insula Panchaea vidit templum

Iovis Triphylaei, ubi in columna aurea insculpta legebantur acta Urani, Saturni, Iovis, qui omnes quondam reges erant in terra ac nonnisi a posterioribus cultu divino inepte honorati. Quod vero apud graecos invenitur et non est apud phoenicios atque Aegyptios, hoc graeci acceperunt ab atlantiis seu phrygiis. Omnia autem haec ex diversis partibus collecta deinde variis phantasiae inventionibus adornata et mutata sunt.

Non solum religionem ethnicorum refutat Eusebius, sed etiam philosophiam graecorum asserit esse multis erroribus obnoxiam.

In religione graecorum satis clare prodibat persuasio omnia, etiam ipsos deos immortales, cuidam necessitati superiori subiici ac fato gubernari. Haec persuasio de invitabili fato transiit in philosophiam graecorum ac praesertim apud stoicos erat propagata. Fato subditum fuisse Apollonium Thyanensem ediderat Philostratus, quo usus est Hierocles contra christianos. Philostratum et Hieroclem refutans Eusebius in libro contra hunc scripto etiam falsitatem doctrinae de fati omnipotentia aliquot validissimis argumentis refutavit.

Ad eandem rem revertitur VI libro „Praeparationis Evangelicae" c. 7-10. Primum argumentum Eusebii contra fatum est, quod etiam quidam philosophi, fatalismum aliorum philosophorum impugnarunt, nam peripateticus Diogenianus scripsit contra stoicum Chrysippum necessitatem fati in opere Περὶ εἱμαρμένης propugnantem. Porro Eusebius post Diogenianum dicit fati assertores (Chrysippum) immerito provocare ad Homerum, qui citatis in locis clare non exprimit omnimodam

 fati necessitatem. Postea contra fatum provocat Eusebius ad Alexandrum Aphrodisiatem, qui quattor genera causarum enumerat, atque fatum in solo ultimo, nempe inter causas finales includit, quae mundum corporeum regunt. Imo etiam in mundo hoc, in corpore ex. gr. humano arte, exercitio ac voluntatis imperio multa mutari posse. Medici enim saepe malarum causarum effectum impedire noverunt. Socrates etiam de Zopyro loquebatur hunc philosophia edoctum exercitio morum impedivisse incrementum vitiorum ad quae valde dispositus erat natura sua. Item quae fato adnumerari solent saepissime puro casu advenerant. Etiamsi non desint eventus quorum causae sunt ignotae, tamen inde non sequitur statim fatum aliquod omnipotens esse admittendum. Postea demonstrat Eusebius fatalismum non posse componi cum religione et vera morum doctrina. Si enim omnia fierent fati necessitate, leges essent inutiles et iniustae. Itaque quae contra voluntatem hominis eveniunt, non debet fato, sed paternae permissioni Dei adscribi.

Caeteris erroribus philosophorum graecorum refutandis Eusebius consecrat XIV et XV libros Praeparationis Evangelicae. Ipsi distinguit inter doctrinas philosophorum quasdam quae conveniunt veritati christianae et alias quae huic adversantur. Platoni maximam laudem dat Eusebius, nam Plato refutaverat multos errores et excessus aliorum philosophorum. Physici enim nonnisi de origine mundi corporei loquebantur, alii eum deducentes ex uno elemento originali, alii vero ex alio. Parmenides docebat omnia nonnisi apparere, existentiam autem non esse

nisi vacuam corpore speciem, cuius pulchra et copiosa diversitas dissolvitur in mente infiniti, quod simul est Unum et Omne. Plato autem, agnoscit quidem existentiam corporum, sed non in corporibus ponit veram existendi realitatem. Vera existentia et realitate gaudent ideae, quae sensibus capi non possunt, quia supra sensus sunt.

Plato diversitatem corporum in ordinem reducit et ex necessariis cogitandi legibus pervenit ad Creatorem universi cognoscendum. Hoc modo Plato eminet supra Anaxagoram, qui cognoverat omnia in universo esse ordinata a mente divina. Anaxagoras, Pythagoras et Socrates teste Platone optimi fuerunt philosophi, quia Deum spiritualem esse cognoverunt.

Tamen Platonici corruperunt doctrinam sui magistri addendo eius doctrinae aliena elementa. Arcesilas omnem cognitionem dubiam esse dicebat. Hic fundavit primam academiam cui secutae sunt aliae quattuor ab aliis fundatae, quae tamen moribus corruptis, teste Numenio, et discidiis malam famam meruerunt.

Aristotelem quidam graviter accusabant sed iniuste. Eusebius de Aristotele ea profert, quae scripsit defensor Stagiritae Aristocles Messinensis. Hoc tamen, quod Atticus (Marci Aurelii contemporaneus) obiicit Aristoteli, Eusebius approbat. Aristoteles enim dicebat summum bonum, ad quod anima tendere debet, non solum exercitium virtutum esse, sed etiam possessionem temporaneorum et corporalium bonorum. Ex hoc Aristotelis errore sequitur alius error eius nempe negatio providentiae divinae

in mundo, quae impedit et veri Summi Boni assecutionem et etiam eam felicitatem terrestrem, quam Aristoteles loco summi boni posuit.

In hoc ultimo errore Aristoteles vix distinguitur ab Epicuro, qui perinde est, si dei sint et curam mortalium non gerant, ac omnino non sint, ut iuste animadvertit Atticus. In utroque enim casu evanescit timor eorum, cum timore autem evanescit observantia morum. Imo Epicurus quadamtenus religiosior apparet Aristotele, nam melius est deos de mundo auferri quam eos relinquere ut impassibiles respicerent gesta hominum. Agnita formatione mundi a Deo Aristoteles inconsequentiae reum se reddidit negando providentiam. Sed negando providentiam Aristoteles adductus est ad affirmandam incircumscriptam mundi existentiam. Nam sicut universi initium dicitur non dependere a Deo, ita nec finis. Quapropter causae efficientes omnes in ipso mundo corporeo sunt inclusae. Haec doctrina de aeternitate mundi, ut Atticus censet, est non satis bene perspectarum duarum sententiarum Platonis coniunctio. Plato enim docet corpora coelestia esse animata et docet suprasensibiles substantias esse aeternas. Astra et substantias intellectivas Aristoteles compegit in unum ac effecit sic dictam essentiam quintam. Haec tamen, iuxta Atticum, non explicat motum corporum coelestium, quia indifferens est ad mutationem, cum, e contra, Plato hunc motum optime explicat natura ignis, qui est summo et maxime agilis materia. Eusebius non vult iudicare de hac platonicorum

et aristotelicorum differentia, quam religio revelata hebraeorum non curat.

Maioris momenti est dissensio horum philosophorum de immortalitate animi. Aristoteles quidem directe immortalitatem animae non negat, sed naturam spiritalis substantiae ita exponit, ut nulla maneat ratio desiderandi immortalitatem. Cum spiritus sit aliquid immobile ac pati nescium, memoria, recordatio, deliberatio, ratiocinium non sunt actus spiritus sed hominis. Quapropter post mortem non est, in quo subsistat conscientia sui. Itaque non est mirandum, quod Dicaearchus unum passum ulterius progressus est et spiritum esse in homine negavit.

Porro Atticus crimini vertit Aristoteli, quod negavit animam mundi corporalis, quapropter idea vivae unitatis totius universi disparere debuit.

Maxime autem exacerbavit Atticum aristotelica negatio idearum separatarum, quae fundamentum constituunt systematis platonici.

Post aristotelicos, Platone mortuo, non est alia schola philosophica tam gravis quam stoici. Hi censent ignem esse elementum fundamentale omnium rerum. Principia autem ignis sunt Deus et materia. Deus est item aliquid corporeum. In igne continentur rationes seminales praeteritorum, praesertim futurorumque omnium rerum. Post longam mutationem seriem universum igne consumitur et ex igne iterum nova incipit evolutio. Ad Stoicorum doctrinam uberius evolvendam Eusebius utitur opere Arii Didymi eamque

refutat argumentis neoplatonicorum. Porphyrius enim iuste ait esse Deum et ignem identificari. Numenius non vult deum esse corpus, Longinus et Porphyrius vigorose reiiciunt animae corporeitatem.

Licet aristotelici sint meliores caeteris philosophis, tamen et ipsi iudicio peripoteticorum evertuntur. Sic Eusebius concludit totam philosophiam graecorum, in partes invicem pugnantes divisam, se ipsam refutare.

Eodem modo res se habet in doctrina graecorum de natura. Plutarchus collegerat sententias variorum physicorum de natura. Sed opus Plutarshi id solum evincit, graecos, scilicet, nihil certi ac probabilis de natura rerum physicarum scire. Variae sunt sententiae de natura, de magnitudine, de forma, de motibus solis, lunae, stellarum, de natura materiae, de mari, de anima.

Itaque Eusebius philosophiae graecorum obiicit id, quod obiiciebant antiquiores apologetae christiani, tantam scilicet diversitatem opinionum, ut ipsa philosophia incapax evadat ad docendam homines veritatem. Sed hanc obiectionem, universalibus verbis prolatam ab antiquioribus, Eusebius evolvit ad singula, probatque plurimis citationibus ex plurimis auctoribus. In his citationibus Eusebius prodit praeclaram philosophicam eruditionem. Fatendum tamen est eum uti non immediate ipsis operibus philosophorum quos adducit, sed eis inchiridiae, quae nominatim memorat.

Sicut s. Iustinus Martyr et Clemens Al. ita et Eusebius non omnia damnat apud philosophos, imo invenit partes veri apud eos, praesertim apud Platonem. Exponendis similitudinibus inter veritatem christianam et philosophiam Platonis Eusebius consecrat tres libros „Praeparationis Evangelicae, nempe XI – XIII. – Primam similitudinem Eusebius invenit inter Platonem et christianismum in eo, quod Plato suam philosophiam divisit in has praecipuas partes: Physicam, Logicam et Ethicam. Nam in antiquo testamento lex moralis est fundamentum totius doctrinae revelatae ac maxima eius pars et finis. Deinde logicae Platonis correspondent carmina sacra ac allegoriis inclusa sapientia sacra, quae ope interpretationis verborum eruta elevat animum ad ideas ultimas. Nec deest similitudo inter physicam Platonis et physiologiam sacram in litteris haebraeorum traditam. In libris Moysis copiosae traduntur huiusmodi veritates, sed praesertim Salomo fuit, qui disputavit de omnibus bestiis, avibus et

plantis a hysopo quae in pariete crescit usque ad caedros Lybani.
Ex occasione huius similitudinis Eusebius dicit analogiam esse inter Platonem qui clare distinguit homines arcanae sapientiae participes a popularibus quae non omnia intelligunt. Eusebius credit talem distinctionem inveniri in Vetere Testamento, et id probat ex quibusdam formis verborum.
Porro secunda similitudo inter Platonem et doctrinam christianam consistit in identitate conceptus de Deo. Sicut enim Scriptura S. Deum dicit esse Ens a se ipso (Ego sum qui sum Ex. 3,14) res autem creatas esse transeuntes (Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum est. Nihil sub sole novum Eccles. 1,9), ita et Plato distinguit inter Id, quod initio caret et inter id quod continuo perit et incipit. Sicut Vetus Testamentum Deum apellat inenarrabilem (Sap. 17,1) et docet Eum cognosci posse nonnisi in lumine suo (Ps. 35,10) scilicet tunc, quando lumine vultus divini signamur (Ps. 4,7); ita et Plato docet Deum cognosci solummodo adiuvante virtute divinae illustrationis. Vetus Testamentum insinuat principium a Patre distinctum

(Ps. 109,1) quod vocat Verbum (Ps. 106,20) aut Sapientiam (Proverb. 8,12.22) ita et Plato docet de Verbo (λογος), quod maxime divinum (θειότατος) apellat et dicit omnem hominem desiderio ferri ad hoc Verbum cognoscendum. Plato simul cum Scriptura Sacra Deum dicit esse Optimum omnisque boni fontem.
Porro inter Platonem et Mosen haec adest similitudo, quod philosophos loquitur de ideis subsistentibus suprasensibilibus propheta autem memorat suprasensibile lumen in quo omnis creatura a Deo producta est. Hic Eusebius discedit ad doctrinam recentiorem Platonicarum Phylonis, scilicet, Alexandrini de ideis exemplaribus eamque in Vetere Testamento invenire studet.
Postea, sicut Scriptura S. ita et Plato, distinguunt malos spiritus a bonis, animae immortalitatem, creationem mundi a Deo. Nam ps. 106, 20 loquitur „Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis ornatus eorum" ita et Plato: „Verbo ac mente divina ad originem temporis facti sunt sol et luna". Sicut in Vetere Testamento omnis creatura dicitur esse bona, quia

a Deo creata, ita et Plato ex bonitate conditoris deducit bonitatem rerum etiam corporearum, imo etiam credit hunc num esse optimum possibilem.
In doctrina de Providentia divina non distinguitur Plato a Scripturis, nam intelligit Deum debere curam gerere creaturae sicut artifex curam gerit operis sui, architector domus a se constructae. Diversa pulchritudo finaliter ordinati mundi leviorem reddit admirandam providentiae dispositionem in singulis.
Imo Eusebius invenit apud Platonem quaedam similia paradyso, peccato originali, creationi mulieris ex costa Adami, felicitati primordiali quae adeo extendebatur, ut homines etiam cum brutis animalibus (serpente) colloquerentur. Haec omnia invenit Eusebius in opere Platonis Symposion. Item similitudo inter Platonem et christianam doctrinam adest in eo quod ipse agnovit Diluvium, ac humani generis propagationem ab illo homine, qui ex Diluvio est salvatus. Plato etiam agnoscit futurum huius mundi interitum, id fieri a nemine

alio posse nisi ab Eo qui mundum crearat. Cum Scriptura S. Plato agnoscit iudicium universale et terram coelestem ita describit, ut omnino similis appareat coelesti illi Ierusalem, cuius imaginem in Scripturis habemus expressam. Imo Plato admittit animas mortuorum habere propinquorum sibi adhuc in terris degentium.
Tandem moralis doctrina Platonis multa communia habet cum christianis, et hoc imprimis quod sicut Scriptura dicit „Nisi credideritis, non intelligetis" ita et Plato sic erudiri iubet iuventutem, ut initio legibus subdatur sine discutiendo, easque veneretur tamquam a Deo manantes. Hebraei enim solebant initio docere historiam sacram, deinde vero altiorem eius sensum exponere (δευτερώσεις), imo etiam selectionem quandam faciebat inter narrata, ne omnia indiscriminatim proponerent. Sic et Plato postulat, ut non omnes mythi proponantur iuventuti sine discrimine, sensus vero eorum altior aperiatur tunc, cum fabula iam alte est fixa in memoria.

sicut Scriptura vetat sacra dare canibus, ita et Plato vult non cum omnibus conversari de altissimis veritatibus.
Moyses introduxit ne homines ad publica et honorata officia propria voluntate se ingererent (Ex. 4, 13), alia scriptura narrat Sauli humilitatem et Jeremiae, quorum primus se abscondebat ne rex fieret, alter vero timuit honorabilem prophetae vocationem. Plato autem docet iustum in suo officio pati debere verbera, tormenta, vincula, oculorum mutilationem atque crucifixionem.
Simul cum Scriptura Plato commendat abstinentiam a vino et mulieribus.
Scriptura et Plato loquuntur de pugna interiore inferioris hominis contra superiorem, carnis adversus spiritum. Quasdam singulas sententias morales Scripturarum, e. gr. de veneratione parentum, de aurea media via observando, de humanitate in servos, de non amovendis lapidibus limitum in agris, de poenis peccatorum cadentibus iis tertiam et quartam generationem. Plato pulchra eloquentia ~~describit~~ ibit.

Sicut Scriptura ita et Plato utuntur quibusdam imaginibus sensibilibus ad clarius et facilius exponendas veritates abstractas ope similitudinum.
Tandem plurima ex eis quae Plato putat esse introducenda in societatem illam optimam cuius imaginem describit, inveniuntur iam introducta in historia regni hebraeorum eorumque urbis Jerusalem.
Mentem Eusebii de Platone K. Werner his exprimit verbis: „Plato ist der einzige aller Philosophen, welcher bis in den Vorhof und bis in die Schwelle der Wahrheit gelangte" (Plato est solus philosophus qui usque ad vestibulum veritatis et fundamentum eius pervenit. – Geschichte der apologetischen und polemischen Literatur der christlichen Theologie. I Bd. Schaffhausen. Hurter 1861 p. 349). Haec sententia Eusebii cum grano salis est accipienda nam oblivisci non licet eum vixisse illo tempore, quo recens renatum studium operum Platonicarum neoplatonismi philosophiam generaverat. Eusebius cum caeteris christianis reiiciebat errores neoplatonicorum,

non tamen distinguebatur ab Ammonio Sacco, Plotino et caeteris commune tunc vigente admiratione erga Platonem. Influxus igitur Platonis in christianos minor quidem fuit in Christiano, quam in neoplatonicos, tamen aderat et non parvus. Hic influxus duravit usque ad s. Augustinum et per Augustinum ad ulteriora saecula. Sincerus amor veritatis, ardens studium boni et vehemens conatus cognoscendi Deum fuerunt qualitate philosophiae Platonis, quae eum fecerunt prae caeteris philosophis acceptissimum antiquis christianis a secundo ad sextum saeculum. Sua doctrina de Logo purgata a s. Joanne consecrata est in ultimo evangelio.

Multi apologetae christiani post s. Justinum dicebant litteras sacras hebraeorum antiquiores esse philosophia graecorum, nemo tamen hanc rem tractabit tanta cum eruditione et plenitudine sicut Eusebius, ait C. Werner (Geschichte der apologetischen und polemischen Literatur der christlichen Theologie I Bd. Schaffhausen 1861 p. 358). Eusebius attentum facit lectorem ad senten-

tias illorum scriptorum graecorum ethnicorum, qui hebraeis magnum tribuebant honorum, deinde probat litteras graecorum antiquiores esse non solum aurea aetate philosophiae graecae litterarumque Helladis, sed etiam magno temporis spatio praecessisse huius populi ortum. Hebraei soli conservarunt puros veritates religionis et morum. Hoc modo Eusebius, sicut et alii apologetae, suggerebat particulas veri quae apud varios gentes inveniuntur ex hebraeo fonte procedere.

Homiliae pseudo-clementinae negabant dependentiam veritatum religiosarum apud gentiles sparsarum a fontibus hebraicis, nam admittebant revelationem divinam primaevam conservatam fuisse directe apud ethnicos. Eusebius vero probat hebraeos cognitos fuisse ab eximiis graecorum viris et celebratos propter animi magnitudinem et religionis perfectionem, quibus rebus adiungebatur morum eandarum, consuetudinem iustitiarumque gravitas veneranda. Theophrastus a Porphyrio citatum credit ethicos non posse adduci ad sacrificiorum genus tam dignum Deo, qualis fuit exercebatur a Iudaeis Syriae. Similiter et essaenos

laudat Porphyrius propter morum candorem, disciplinam, abstinentiam, castitatem coeterosque virtutes. Pulchra est descriptio patientiae iudaeorum, pietatis eorum, urbis Jerusalem, templi cultus divini, quia auguriis non credeunt, Clearchus in suo dialogo „De somno" loqui facit iudaeum Hyperochidem, eiusque sententias laudat. Imo Clearchus, teste Clemente Alexandrino, affirmabat Aristotelem usum esse contubernio cuiusdam philosophi iudaei. Cum Numa libros Mosis novisset, ideo Roma 170 annis nulla habuit ab initio idola. Porro Eusebius utitur Clemente qui verba adducit Megasthenis. Hic autem dicebat ea quae antiquis nota fuere de natura, nota fuisse etiam Brahmanis Indiae et Judaeis Syriae. Item ex Clemente Alexandrino et Eusebius Aristobulum iudaeum, qui dicebat legem iudaeorum ante Alexandrum Magnum versam fuisse in graecum sermone. Hoc versione etiam Plato usus est. Pythagoraeus Numenius dicebat Platonem nihil aliud esse nisi attice loquentem Moysen. Sed Numaeniuu Maysen Musaeum vocat. Poëta Chaeribus enumerans gentes quae in exercitu Xerxis partem dabant expeditioni contra graecos, etiam iudaeos nominat dicens γένος ταυμάστον ἰδέσθαι (genus valide mirabile idesthi). Porphyrius in suo opere „De philosophia oraculorum" adducit etiam Apollinis oraculum, quo sapientia hebraeorum laudatur.

Notitio diluvii in libris Moysis descripti conservata est etiam apud alias gentes. Josephus Flavius citat Berosum qui affirmat suo tempore particulam arcae conservatam fuisse, qua utebantur in sacrificiis faciendis ad reconciliandum. Nicolas Damascenus commemorat reliquios arcae Noe. Abydaenus, Berosi discipulus, narrat diluvium descriptum fuisse in monumentis ~~reliquiis~~ medorum et assyriorum, ubi sermo est de triplice missione avis ex arca.
De longitudine aetatis patriarcharum Josephus Flavius collegit testimonia etnicorum Marethonis, Berosi, Hieronymi Aegyptii, Moli, Haestiaei, Hesiodi, Hecataei. Turrim babylonicam commemorat Abydenus. Cum aedificium iam prope coelum erat dii excitatis ventilens turrem destruxerunt ac opifices corruentium murorum lapidibus interimi fecerunt. Similia narrantur in libris Sybillinis.
Ethici etiam Abraham noverunt. Nomen Abrahami Berosus omittit, sed proprietates eius describit et tempus, ex quibus optime cognosci potest. Nicolaus vero Damascenus et nomen novit et gesta narrat non descripta apud hebraeorum litteras sacras, sed non contradicentia iis. Eupolemus vero scribit Phoenicios astronomiam ab Abrahamo didicisse qui ex chaldaea in phoeniciam venerat. Sed non Abraham eam artem invenit, quae ab Haenoch initium accepit. Henoch vero idem est cum Atlante. Henoch ab angelis Dei scientiam astro=

rum didicit. Et alii etiam de Abrahamo loquebantur ut Melon, Alexander polihistores.
Similiter colligit Eusebius testimonia ethicorum de aliis viris in Vetere Testamento celebratis, de Isaaco, Jacobo, Davide, Salomone, Hiobo. Ex Eupolemo Eusebius narrat quaedam in fontibus hebraicis ignota de propheta Iremia, quae tamen vix fidem merentur.
Ex his omnibus Eusebius deducit conclusionem iudaeos eis nationibus esse adnumerandos, ex quibus graeci acceperunt artes, scientiam atque instituta. Proprii graecorum scriptores testantur maximos eorum sapientes ex alienarum gentium generibus prodiisse. Cum autem haebraei sint antiquiores graecis, cum vero horum doctrinae et instituta doctrinis et institutis illorum comparata appareant similia sed minus perfecta, deo concludendum partes veri quae apud graecos sunt mutuatas esse a hebraeis.
Hanc rem confirmat etiam litterarum similitudo. Eodem enim fere nomina vocantur hebraicum א et graecum α, hebraicum ב et graecum β, hebraicum ג et graecum γ, hebraicum ז et graecum ζ, hebraicum ת et graecum τ.
Celebrato magno valore litterarum sacrarum hebraicarum Eusebius transit ad probandum testimonium Veteris Testamenti de veritate doctrinae Christianae.[1]

[1] cfr. Werner, Op. cit I, 368-371.

Moises fuit non solum dux et legislator Israelis sed etiam divinitus inspiratus vir. In suis operibus inveniuntur consignatae illae veritates antiquae, quas genus humanum a Deo acceptas inde ab exordio usque ad servitutem aegypticam oretenus ex generatione generationi transmittebat. Hae autem veritates sunt sequentes: 1° doctrina de uno Deo creatore, legislatore, gubernatorae universi. 2° de homine ad imaginem et similitudinem Dei creato, qui anima spirituali praeditus est ac destinatus, ut ad Deum tenderet 3° De rebus universi, quae omnes a Deo ex nihilo creatae omnino ab eo pendent in sua existentia ac in legibus quibus subsunt. Quas res non solus Moyses sed et prophetae docent, quapropter multo eminentiores sunt philosophis ethnicis qui aliquando stellas, aliquando lumen stellarum dicunt esse deum.
Aeternus ingenitus Deus indicibili modo eminet supra omnes res. Agit autem non immediate sed mediante ex se genita ac sibi congenita virtute et natura, quae est secundum principium ex primo principio procedens. Hanc virtutem simul et principium sapientia hebraeorum vocabat Verbum, seu Sapientiam seu Virtutem Dei.
In eo Deus visibilis reddebatur aspectui devotissimorum virorum illorum qui in variis saeculis

vixerunt. Hoc Verbum seu Sapientiae erat medicus animarum humanarum, mittendus ad salvandas eas. Hoc Verbo Dei creata sunt omnia eo tempore, quo universum ex nihilo condebatur. Hoc Verbum eadem cum Patre gloria fruitur. Philo, philosophus hebraeorum hoc Verbum dicit primogenitum Dei Filium, ac affirmat sine divina virtute huius verbi oppositas vires universi non posse in ordine contineri, quapropter hoc Verbum esse omnino necessario admittendum. Ad hoc enim legibus cogitandi compellimur. Itaque Verbum Dei (seu Logos) a Philone comparatur cuiusdam maximi regis procuratori (Plato, De agricultura, lib. I et II).

Doctrina de anima intellectuali, cui imago et similitudo Dei est impressa, tunc admitti potest, si iam prius admittitur existentiae Intellectus Originalis, a Patre nongenito distincti, infinite sublimioris omni creatura; Intellectus scilicet, cuius similitudo animis humanis imprimetur.

Sicut Principium Nongenitum suae essentiae plenitudinem transfundit in Filium, ita filius suae omnipotentiae totalitatem communicat Divinae illi Virtuti, quae a theologis hebraeorum Spiritus sanctus vocatur. Spiritus igitur Sanctus vocatur. Spiritus igitur Sanctus sic se habet erga Filium,

sicut se habet Filius erga Patrem. Sicut luna se habet erga sol, ita Spiritus erga Filium, ac Filius erga Patrem.

Spiritui Filius communicat plenitudinem sui luminis, aliis autem spiritibus coelestibus nonnisi particulam eius, quapropter efficitur mira et pulchra diversitas eorum sideribus coeli comparanda, nam coelum visibile non est nisi imago coeli illius invisibilis.

Praeter illud regnum aeterni luminis, ubi aeterna laus Patris resonat, docet nos theologia hebraeorum de inscrutabili profunditate illius abyssi in quo extenditur tenebrosum regnum daemoniorum rebellium. Cuidam parti horum spirituum damnatorum permittit Deus habitare in terra ad exercendo tentanionibus iustos.

Item sublimia docuerunt et vera theologi hebraeorum de natura hominis. Iam Philo in libro Geneseos 3 7 invenit refutationem erroris philosophiam graecorum, qui dicebant animam humanam ex particulis aeteris componi, nam anima incorporea est et multo sublimior quam aether ac coelestem habet naturam. Exterior forma hominis visibilem reddit interiorem animi pulchritudinem.

Ita considerando naturam humanam theologi hebraeorum praeclare explicant capacitatem

hominis corporalia cognoscere et ad cognitionem invisibilium elevari ac divinarum. Itaque homo natura sua destinatus est ad amorem, sapientiam, caeterosque virtutes.
Sacrae hebraeorum scripturae docet originalem hominis sublimitatem, atque confitentur eius peccatum cum nefastissimis sequellis. Hae scripturae innuunt necessitatem restitutionis in primigenium statum innocentem ac sanctum, in quo homines cum Dei communicabantur. Deplorata harum perditione Vetus Testamentum innuit necessitatem Eius qui omnia renovet et restauret.
Ex hac brevi expositione satis perspicuum est Eusebium aliquatenus alio modo intellexisse relationem inter utrumque Testamentum. Nos enim credimus prophetas Veteris Testamenti testimonium dedisse de legatione Christi divina. Eusebius autem testimonium Veteris Testamenti potius in eo ponit, quod theologia hebraeorum satis clara semina continebat theologiae christianae.
In hoc articulo Eusebius commisit satis notabiles errores in doctrina de S. Trinitate, nam dicebat Spiritum S. in ea esse relatione ad Filium, in quo luna est ad sol.

Alios eius errores non mentionamus, quia non dogmatum historiam scribimus. Nobis satis est scire doctrinam Eusebii de S. Trinitate esse parum securam. –
Tamen non omisit Eusebius tractare vaticinia Veteris Testamenti, quae testimonium sunt veritatis christianae.
De prophetiis messianicis Eusebius loquitur in Demonstratione Evangelica. Tractatio huius obiectionis in decimo huius operis libro, non est perducta ad finem, ulteriores autem libri ad nos non pervenerunt.
Argumentum propheticum quod Eusebium constat duabus partibus. – Una parte probatur Christum fuisse praedictum a Moyse, Moysi similem sub multo respectu, sed multo maiorem Moyse. – In secunda vero parte enumerantur singuli loci Veteris Testamenti, qui notitias continent de futuro Messia in vita Christi Jesu adimpletos. – Duas argumenti messianici partes, similitudinem scilicet Moysis et Christi, ac singulorum vaticiniorum ipse Eusebius tam clare non separat ab invicem quam nos id facimus claritatis causa. –

Itaque Eusebius III libro „Demonstrationis Evang." caput: „Primus prophetarum Moyses, alium sibi prophetam similem denuntiat" (Πρῶτος προφητῶν Μωϋσῆς ἕτερον προφήτην ὅμοιον αὐτῷ ἀναστήσεσθαι εὐαγγελίζεται. Migne. P. G. XXII 168) Haec annuntiati Christi a Moyse inveniuntur Deuteronomii 18,15: „(Prophetam) Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus ipsum audies."

Similitudo haec iuxta Eusebium consistit imprimis in eo, quod uterque docuit esse unum Deum creatorem totius universi, homines autem debere pie vivere iuxta praecepta divina, animas autem humanas esse immortales. – Deinde uterque doctrinam suam confirmavit signis et miraculis, uterque liberavit homines ex servitute, uterque promisit terram sanctam ac vitam ea beatam iis qui suam doctrinam sequuntur. Uterque quadraginta diebus ieiunavit, populum in deserto miraculosa esca cibavit. Moyses per mare ivit, Christus super mare ambulavit. Uterque iussit ventum cessare.

Utriusque facies in monte resplenduit, uterque leprosum curavit et in digito Dei opera fecit. Moyses digito Dei legem scripsit, Christus digito Dei daemonium eiecit. Moyses Josue nomen mutavit, Christus vero Petri. Sicut Moyses ita et Christus sibi asciverunt duodecim et deinde 72 discipulos. Uterque prohibebat homicidium, adulterium, furtum, periurium. Sicut nemo novit quomodo Moyses vita functus sit, ita et Christus inscrutabili modo coelos ascendit.¹)

„Si igitur in tam multis rebus alius nemo, sed solus Salvator noster, qui Moysi similitudinem factorum habuerit, proferri potest, superest iam ut in illum unum referamus. Neque vero ad alium quempiam referamus prophetiam, quae apud Moysen de Salvatore nostro cecinisse." Demonstr. Ev. III, 2; Εἰ δὴ οὖν διὰ τῶν τοσούτων οὐδεὶς μὲν ἄλλος, μόνος δὲ ὁ Σωτὴρ ἡμῶν παρέστη τὰ παραπλήσια Μωϋσεῖ διαπεπραγμένος, δέοι λοιπὸν ἐπὶ μόνον αὐτὸν, καὶ οὐδ' ἐφ' ἕτερον ἀναφέρειν χρὴ τὴν παρὰ Μωϋσεῖ προφητείαν... Δέδεικται τοίνυν τὸ ἔνθεον πνεῦμα διὰ Μωϋσέως περὶ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν θεσπίσαν. Migne P. G. XXII, 173, 176.

1) Conf. Werner, op. cit. I. 19, 20. –

Licet similitudo Christi et Moysis sit maxima, tamen addidit Eusebius, Christum fuisse multo maiorem Moyse. Haec autem praecipue duobus constabat: divinitate Christi et eius dominatione in omnes gentes. Utraque haec superemminentia cognita et celebrata fuit /ib. Migne XXII, 176/.

Libris VIII, IX et X "Demonstrationis Evan." Eusebius adducit et explicat singulas prophetias Messianicas de Christo, non solum de eius qualitatibus, sed etiam de tempore adventus eius. Sed prophetiam Jacob (Gen. 49, 10) expendit in III libro c.2, ubi loquitur de vaticiniis messianicis a Moyse scriptis (Migne S.G. XXII, 176). Nobis videtur inutile esse singulas has prophetias hic enumerare post Eusebium. Ad cognoscendum characterem messianicum alicuius loci Veteris Testamenti Eusebius utitur duplici criterio. Imprimis adnumerat propheticis messianicis eas omnes, quae tamquam adimpletae in Christo mentionantur ab auctoribus (Novi Testamenti. Aliud autem criterium messianitatis est similitudo inter vaticinium et vitam Salvatoris. Hanc similitudinem Eusebius aliquando ipse detegit aliquando autem

accepit ab aliis scriptoribus indicatam. Primis christianae religionis temporibus multi scriptores chronologiam mundi texebant. Sed ad chronologiam respexit et prophetia Danielis c. 9., ubi sermo est septuaginta hebdomadis quas transire debebant a decreto de reedificando templo ad adventum Messiae. – Quapropter multi scriptores componere studebant chronologiam Danielis cum chronologiis historiographorum. Hac de re scripsit Tertullianus (Adversus Judeos c. 8), Julius Africanus, citatus ab Eusebio (Demonst. Evang. VIII, 2; Migne S.G. XXII 608,609) in opere, quod inscribebatur χρονογραφίαι, cuius nonnisi fragmenta nunc existant. Historiae peritissimus Eusebius totum caput 2 octavi libri Demonstrationis Evangelicae consecrat vaticinio Danielis de septuaginta hebdomadibus (Migne S.G. XXII, 595–632).

Episcopi Caesareensi persuasum est vaticinium et historiam sibi adamussim respondere, computationem 490 annorum incipiendam esse a primo anno Cyri. Ultimam hebdomadam Eusebius dicit a quibusdam extendi a nativitate Christi ad Vespasianum imperatorem

scilicet ad templi Hierosolymitani destructionem, ac proinde non septem sed septuaginta annis constare.

Vaticinio Danielis Eusebius tribuit maximum valorem apologeticum. „Quod si iudaei non credere se ita respondeant, arguendi sunt tamquam ii, qui non solum imprudenter rebus veris ac manifestis repugnent, sed etiam vaticinia sua ut falsa, quantum in ipsis est calumnientur" (Demostr. Evang. VIII, 2: Εἰ δὲ δυσπίστως πρὸς ταῦτα ἔχοιεν οἱ ἐκ περιτομῆς, ἐλεγκτέον αὐτοὺς μὴ μόνον ἀναιδῶς πρὸς τὰ ἀληθῆ καὶ ἐναργῆ ἱσταμένους, ἀλλὰ καὶ τὰς προφητείας ὡς ψευδεῖς, τὸ ὅσον ἐπ' αὐτοῖς, διαβάλλοντας. Migne P. G. XXII, 629, 632).

Dissertatio Eusebii de prophetia Danielis non tam exegeticum habet valorem quam potius historicum, nam conservavit nobis notitiam de Iuliano Africano, qui hunc locum interpretatus est, ac praeterea narravit plurimas historicas circumstantias de vastatione Ierusalem templique sub Vespasiano, scilicet de adimpletione verborum et Danielis et Christi qui hanc calamitatem praenuntiabant.

Divinitatem Iesu Christi Eusebius nominat multis in locis operum suorum, expresse autem eam probat libris IV et V Demonstrationis Evangel. Argumentatio duplicem habet formam; imprimis Eusebius exponendo significationem nominum Christi et Iesu suggerit lectori Unctum Dei esse Deum, deinde vero collegit plurimos locos Veteris Testamenti, ex quibus conici licet praeter Deum Patrem esse aliud principium divinum, quod ab Eusebio identificatur cum Verbo (Λόγος).

Nomen quod attinet, Christus significat idem ac unctus, unctos autem Moyses appellabat, quibus nomine Dei sacerdotium aut potestatem conferebat. Sed horum unctorum maximus, sine dubio, is est, de quo David loquitur in ps. 109, quem et dicit sedere a dextris Dei, ac esse sacerdotem aeternum secundum ordinem Melchisedech. Itaque hic Christus est maximus inter unctos, imo unctus vocatur per eminentiam. De eodem igitur Christo ps. 2 docet eum esse a Patre genitum, ac dominatorem rebellium principum universae terrae. Hic tamen Christus seu Unctus

Ps. 88. praedicitur passurus: „Tu vero repulisti et despexisti Christum tuum.... quod exprobraverunt commutationem Christi tui." Sed idem Christus Ps. 131 vocatur Cornu David, renovator gloriae patris sui, vindex malorum iudaeorum. Amos dicit hunc Christum agnitum fore ab omnibus gentibus tamen reiectum iri a proprio populo iudaico. Porro Moyses nomen Navi mutavit in Jesum (Josue) In Exod.: 13 huic Josue seu Jesu imponitur nomen Christi. Item apud Zachariam c. 3 memoratur summus sacerdos Jesus filius Josedec, quia fuit figura Salvatoris nostri. –

Explicatis nominibus Christi et Jesu Eusebius multos adducit locos Veteris Testamenti, quibus probet divinitatem Christi vel Messiae scilicet eius qui auctor est Novi Testamenti Jesu Salvatoris nostri. In lumine philosophiae platonicae argumentum huius divinitatis eruitur ex Prov. 8, 22-36, ubi sermo est de aeterna Sapientia Dei. Hunc locum Eusebius confirmat Psalmo 109 et psalmo 44, 7. Item quae sunt in Antiquo Testamento dicta de verbo seu sermone Domini;

Eusebius interpretatur de Christo et adducit tamquam argumentum divinitatis eius. –

Sat multa divinitatis Jesu argumenta Eusebius invenit apud Isaiam, ex gr. cap. 45, 14 ubi Messias dominaturus dicitur dominaturus Aegypto, Sabaim, quia subditi iuxta Isaiam loquentur ad Messiam Dominatorem: „Tantum in te est Deus et non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israël salvator." Item Christo applicat Eusebius verbo Is. 48, 16. „Dominus Deus misit me et Spiritus eius" et ex praecedentibus verbis: „Ego ipse, ego primus et novissimus" (Is. 48, 12) concludit Christum esse Deum. Licet tam diligenter colligat testimonia Veteris Testamenti de divinitate Christi, tamen omittit Eusebius Is. 9, 6, ubi Messias expresse vocatur Deus. –

Ad divinitatem Christi probandam auctoritate Veteris Testamenti Eusebius utitur omnibus illis locis, ubi scripturae sacrae videntur discedere ab unitate Dei, nempe Gen. 1, 26 Faciamus hominem ad imaginem nostram; Porro Gen. 18, 1, 2, ubi tribus viris ei venientibus ad Abraham dicitur, apparuit autem

ei Dominus," item Gen. 28, 13 ubi quidam Angelus Dei incipit sermonem verbis: „Ego Dominus Deus Abraham, patris tui."[1] Si enim angelus est, non est Deus Pater, si vero est Deus, non est creatura. Increatus autem nuntius Dei nemo alius esse potest nisi Christus. Ipse etiam intelligendus est sub nomine illius angeli simul et Dei, qui cum Jacob colluctatus est Gen. 32, 24-32. Eusebius etiam alia huiusmodi argumenta affert sed ea solummodo tunc valent, quando construuntur super formam verborum in versione Aquilae et Symmachi acceptam, ut recte observat C. Werner (Eusebius führt noch einige andere alttestamentliche Stellen an, welche sind indess nur unter Zugrundelegung der Version des Aquila und Symmachus nach der von Eusebius angenommenen Deutung modeln lassen. – Geschichte der apologetischen und polemischen Literatur. Schaffhausen Hurter 1861. Bd. I p. 34). Ad divinitatem Christi fundandam Eusebius praeter Moysen adducit etiam recentiores auctores Veteris Testamenti, ut gr. Josue 5, 13-15, ubi est sermo de angelo armato quem Josue adoravit.

[1] In versione Latina haec verba tribuuntur non angelo, sed Domino qui est immu- divinitati reali. –

Item provocat Eusebius ad Isaiae 11, 9; Amos 4, 11; Abdiae 1, 1; Zach. 2, 8, 11; 3, 11; Malach. 3, 1; 4, 2, tandem Jeremiae 16, 19-21. –

Haec argumentatio de divinitate Christi ex auctoritate Veteris Testamenti, sane, dirigitur contra iudaeos, qui auctoritatem Bibliorum divinitus inspiratorum summa veneratione prosequebantur. Sed maxima pars adductorum locorum, ut possit interpretari de divinitate Christi; opus habet considerari in lumine philosophiae platonicae, praesertim in lumine doctrinae Platonis de Deo. Itaque haec argumentatio Eusebii plenum affectum sortiri potuit nonnisi apud lectores iudaeos platonicis principiis imbutos.

Non omnino caruit haec argumentatio in ethnicos, nam his probatum erat Biblia hebraeorum esse antiquiora quam philosophiam graecorum, imo doctrinam Bibliorum esse puriorem solidioremque doctrina philosophica, quapropter et graecis suggerebatur divinitas Christi, commendata ab auctoritate

qua maior non exsistebat. —
Porro directe contra ethnicos divinitatem Christi Eusebius probat ex operibus Salvatoris plane divinis. Ad hanc demonstrationem introducit refutatio eorum qui dicebant Christum fuisse seductorem. „Interrogandi igitur sunt, num quis unquam alius huic similis seductor ex historiis ipsorum proferri possit, qui mansuetudinis, probitatis, temperantiae omnisque reliquae virtutis iis qua seducunt magister et auctor exstiterit: et utrum fas sit iis nominibus vocare eum, qui ne intueri quidem mulierem cum petulanti cupiditate permittit: et unus is seductor, qui summum philosophiae fastigium tradiderit, discipulosque suos docuerit quaecunque possideant bona, indigentibus impertiri, et laboris studium ac beneficentiam plurimi facere: et utrum seductor is, qui in multitudine populari, in plebeio turbulentoque grege versari prohibet, solum autem rerum divinarum studium sua doctrina (nominatur) commendat. Quapropter porro fieri potest, ut is merito nominatur seductor, qui et ab omni men-

dacio deterreat, et ad veritatem praeter cuncta alia amplectendam adhortetur, ut ne iure quidem iurando velit nos indigere? quanto autem minus periurio." Demonstrat. Evang. III, 3. Πευστέον δὴ αὐτῶν εἴ ποτέ τις ἄλλος τοι αὗτος πλάνος ἱστόρηται πρᾳότητος, καὶ ἐπιεικείας, σωφροσύνης τε καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς διδάσκαλος τοῖς ἀπατωμένοις γεγονὼς ἄξιος καὶ εἰ θεμιτὸν τούτοις ἀποκαλεῖν τοῖς ὀνόμασι τὸν μηδὲ ἐμβλέπειν μετὰ ἐπιθυμίας ἀκολάστου γυναιξὶν ἐπιτρέψαντα καὶ εἰ πλάνος ὁ τὴν εἰς ἄκρον παραδοὺς φιλοσοφίαν ἐνδεέσι κοινωνεῖν, καὶ τὸ φιλόπονον καὶ κοινωνικὸν περὶ πολλοῦ τίθεσθαι καὶ εἰ πλάνος ὁ τῆς πανδήμου, καὶ ἀγελαίου, καὶ θορυβώδους συνουσίας ἀνείργων, διδάσκων δὲ μόνην ἀσπάζεσθαι τὴν περὶ τὰ θεῖα λογία σχολήν. Ὁ δὲ παντὸς τιμᾶν παραινῶν ὡς μηδὲ εὐορκίας δεῖσθαι, πολλοῦ δεῖ ἐπιορκεῖν. Migne S.G. XXII, 188. Capite quarto eiusdem libri enumerat Eusebius plurima miracula Christi et inter ea resurrectionem suam, deinde cum corpus ipsius familiares acceperint, atque honestae sepulturae commendassent, tertio die rursus illud ipsum receperit, quod videlicet sponte reliquerat.

(Εἶτα δὲ τοῦ σώματος αὐτοῦ ληφθέντος πρὸς τῶν γνωρίμων, καὶ τῇ προσηκούσῃ παραδοθέντος ταφῇ, τριταῖος αὖθις ἀπειλήφασι τοῦτο, ὅ πρὶν ἀναχωρήσας ἑκὼν κατέθετο. Migne S.G. XXII, 197.) Porro longo capite quinto congerit argumenta ad demonstrandam narrationem apostolorum de gestis et miraculis Christi fidem mereri. —

Citat testimonium non Christiani Josephi Flavii (Migne S.G. XXII, 221.).

Postea probat Eusebius Christum non fuisse praestigiatorem, nam non possunt contraria in unam personam coniungi.„ Quis tam sibi ipsi confidens, ut aggrediatur ea in unum cogere, quae cogi nullo modo possunt" (Demonstr. Evan. III, 6 Ποῖος δὲ καὶ αἱρήσεται τὰ ἀσύμβατα συνάγειν Migne S.G. XXII 224), quia praestigiatores solent esse sceleratis et nefariis moribus ac omnia agere turpis ac sordidi lucri gratia. Sed Christus discipulis suis praecipit non aurum habere nec duas tunicas. Quomodo igitur hi discipuli talia praecepta adimplessent ac etiam in libris scripsissent, si pecuniae studiosum suum praeceptorem vidissent, et illa contraria quae alios docebat tractantem.

Salvator fuit castissimus, praestigiatores vero solent mulierculas incantationibus subigere sibi. Praestigiatores omnia agunt cum iactantia et populum decipiunt. Salvator vero non specietenus, sed reapse aegrotos sanabat ac praecipiebat ne cuiquam dicerent. Ipse solitudinem amabat. „Si igitur neque gloriae, neque pecuniarum, neque voluptatis causa eum docuisset constat, quis praeterea superest locus, quo ut deceptor aut praestigiator accusetur" (Demonst. Evang. l. III c. 6 Εἰ μήτε τοίνυν δόξης, μήτε χρημάτων, μήτε ἡδονῆς ἕνεκεν ἐπετηδεύετο τῇ διδασκαλίᾳ, τίς ἔτι χώρα περιλείπεται ὑπονοίας τοῦ πλάνον αὐτὸν καὶ γόητα νομίζειν Migne S.G. XXII, 225). —

Discipuli praestigiatorum ipsi praestigiatores fiunt. Sed nunquam interim licuit Christianum qui colligatione utereter, neque foliorum quorundam laboriosis inscriptionibus, neque caeteris similibus." Nullus adhuc in tam multis annis discipulus Jesu praestigiator apparuit." Imo qui antea praestigiorum crimine infames fuerant, dato nomine Christianis,

mores commutarunt, libros suos combusserunt, ut test. Actus Apostolorum 19. 19. Imo discipuli Christi non solum nihil occultant, sed etiam propria crimina, antiquius commissa, confitentur. Itaque Christiani piae castaeque vitae severitate sunt conspicui ac cognitione Dei omnes praecedunt philosophos, quapropter talium magister omnibus philosophis est maior. Ipse etiam vera miracula vere divina virtute fecit.

Si Christus praestigiator fuisse dicatur, tunc admittere oportet eum aut habuisse magistros (praestigiarum non habuit, ergo) suae artis praecessores, aut non. Si magistros praestigiarum non habuit, ergo ipse omnia suo ingenio excogitavit. Sed sicut grammaticus aut rhetor nullus nobis occurrit, qui sit perfectus in suo genere sine magistris et praecessoribus, ita nec praestigiator ceteros superare potuit non usus magistris praestigiatoribus.

Historia apologeticae christianae, praelectiones prof. Bucys.

Si vero Christus diceretur fuisse discipulus praestigiatorum aegyptiacorum, cur nemo alius ex his hominibus discipulis talia (a) aut aliquatenus similia Christo fecerit. Cur Christus et nemo alius praestigiatorum usus est sua arte ad imponendam legem graecis ac barbaris ut mores eorum in melius reformarentur, ut scelerati sancti fierent, nec tormenta timerent subire in testimonium veritatis sui Magisterii eiusque doctrinae.

Praestigiatores et venifici nihil nunquam efficere solent sine libationibus et sacrificiis. Sed neque Christus neque Christiani talia unquam fecerunt. Imo semper contraria agunt. Praestigiatores ipse daemonum praestigia faciunt Christiani vero tam longe absunt a societate malorum spirituum, ut eos eiiciant et quidem in nomine Jesu.

Tandem c. 7 probat Eusebius divinitatem Christi ex propagatione doctrinae eius. Praecones enim huius doctrinae unam callebant linguam, convertere autem debebant ad fidem omnes diversorum nationum (~~[illegible]~~) nationes.

Lex christiana erat legibus nationum contraria, doctrina autem unum et solum Deum profitebatur, cum totus mundus dedit. erat plurimis diversissimisque diis colendi. De suo Magistro, quem Deum esse affirmabant, apostoli non tacebant eum in cruce probrosa morte finem vitae suae fecisse. Imo praedicabant apostoli singulos adeundo eisque veritatem persuadendo, qui modus erat difficilior quam adire forum, colligere turbam, eamque excitare. Hi imperiti praedicatores affirmabant se vidisse Christum a mortuis redivivum.,, Quis autem usque adeo fatuus fuisset, ut facile crederet dicentibus atque affirmantibus vidisse se post mortem illum a mortuis rediisse ac revixisse" (Migne P.G. XXII, 241). Talis doctrinae tales praecones neminem nisi stultum sibi adiungere debuerunt. Nihilominus cum consideratur praedicationis apostolicae effectus, cum expenduntur innumerabiles conversiones hominum cuiusque gentis, conditionis, actionis, cum apparet Christianismi propagatio non in obscuris quibusdam locis sed in aliorum ubique regina

urbe Romana, in Alexandrina in Antiochensi, per totum Aegyptum ac Lybiam, per Europam atque Asiam, in vicis et regionibus, omnique modo variis gentibus: retro cogor necessitate quadam, ad ipsius rei causam requirendam recurrere, faterique non aliter ipsos facinus tam audax obtinuisse, quam diviniori quadam longeque humanam superante potentia, opeque atque auxilio illius qui dixerat <u>Docete omnes gentes in nomine meo.</u>" Demonst. Evang. III, 7. - .... ἐπ' αὐτῆς ἄστεω τῆς Ῥωμαίων βασιλευούσης, ἐπί τε τῆς Ἀλεξανδρέων καὶ Ἀντιοχέων, καθ' ὅλης τε τῆς Αἰγύπτου καὶ Λιβύης, Εὐρώπης τε καὶ Ἀσίας, ἔν τε κώμαις τε καὶ χώραις καὶ παντοίοις ἔθνεσι, πάλιν ἐξ ἀνάγκης ἀνατρέχειν ἐκβιάζομαι ἐπὶ τὴν τοῦ αἰτίου ζήτησιν, καὶ συνομολογεῖν μὴ ἄλλως, αὐτοὺς κεκρατηκέναι τοῦ τολμήματος ἢ θειοτέρᾳ καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον δυνάμει καὶ συνεργίᾳ τοῦ φήσαντος αὐτοῖς <u>Μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη ἐν τῷ ὀνόματί μου</u> Migne P.G. XXII, 241.)

Vis praedicatorum christianorum attonitos reddebat eos qui audiebant

Imo quandoque apostolorum auditores Athenici credebant illos esse deos volebantque sacrificia offerre, ut Actus Apostolorum testantur. Hoc efficiebat ipsa christianorum miraculorum evidentia, ut etiam maxime incredibilibus eorum verbis diligentes aures praeberentur (Ib. p. 244).

Tandem nunquam alias sub uno romanorum imperio plurimae (orbis) gentes esse potuerunt, nisi secundum Jesu tempora......
..Hoc autem non sine Deo, una cum doctrina quae de Salvatore nostro fertur introisse in orbem, quis non fateatur, reputans non facilem Jesu discipulis externorum regionum peregrinationem futuram fuisse, si gentes inter se divisae discordesque fuissent" (ib. 245). —

Persecutio Christianorum in adunato (sub romani imperio) orbe terrarum non sine permissione Dei fuit. Persecutio universalis ideo permissa sunt, ut eorum virtutem ostenderent qui pro

pietate pugnabant, simul etiam ut cunctis hominibus planum faceret, quod non humano consilio, sed Dei virtute niterentur ipsa verbi propugnatio (Ib. p. 245). —

Haec igitur argumenta tam ex miraculis a Christo Domino immediate factis, quam ex miraculis ab apostolis aliisque patratis, et etiam ex miraculosa propagatione christianismi, cui comitabantur miracula Christianorum, praecipue martyrum, nec non ex miraculosa providentia, quae ut (etiam) omnes gentes in unum imperium collegit ac persecutionem permisit, hanc, dico, argumentationem Eusebius affirmat esse evidentem unicuique homini bonae voluntatis ad probandum Christum fuisse Deum. —

Ad divinitatem Christi probandam, etiam hodiernus apologeta vix aliquod aliud posset proferre argumentum, quod non iam prolatum fuit ab Eusebio. Tamen haec argumenta hodie sunt singula melius elaborata, confirmata, in ordinem redacta ac in breviorem formam redacta

Eusebii nomen in historia apologeticae magnum est non propter magnitudinem suorum operum apologeticorum, sed potius propter horum qualitates eximias. Caeteros scriptor facile superat Eusebius suae eruditionis vastitate. Non solum litteras christianas perfecte noverat, sed et scripta inimicorum diligentissime scrutaverat. Etiam philosophorum aliorumque scriptorum profanorum opera legerat, eisque usus est ad defendendam religionem Christianam. —

Judicii claritate et sententiarum abundantia atque profunditate Eusebius meliorem reddit immensam illam materiam, quam sibi eruditio suppeditaverat. — Omnia autem haec exponit pulchro sermone, qui non cedit rhetorum eloquentiae. —

Sed non desunt apud Eusebium quaedam minus laudanda. Nam pulchritudinem styli studens separat sententias ab argumentis et conclusiones a praemissis non vero intercolando et miscendo simul diversorum ratiociniorum partes et legem cogitandi ordinem perturbando. —

Non vero nimia copia verborum difficilem reddit orationem suarum sententiarum. Defectus clarae dispositionis principalium partium in operibus apologeticis non tam Eusebii quam potius temporis est vitium. —

Restant quaedam breviter dicenda de operibus Eusebii apologeticis qui ad nos non pervenerunt.

Itaque, imprimis, periit opus Περὶ τῆς Θεοφανείας (De apparitione Dei in carne) cuius non adsunt nisi fragmenta. Sed opus istud constabat quinque libris. Fragmenta edita sunt a Migne in Cursu Completo Patrologiae Graecae XXIV volumen columnae 609–690. Totum vero opus hoc mansit in versione syriaca. —

Magis periit opus "Ἡ καθόλου στοιχειώδης εἰσαγωγή" „Elementaris introductio universalis," cuius quattuor libri sub titulo Ἐκλογαὶ προφητικαί (oracula prophetarum) edita sunt a Migne tomo XXII columnae 1021–1262. —

Omnino autem periit opus Eusebii contra Porphyrium, quod sane maxime dolendum, nam hanc ob causam neque Porphyrii sententias cognoscere sufficienter possumus, neque possidemus opus, quod probabiliter ad meliora opera litterarum Christianorum esset adnumerandum. –

Tandem maxime dolendus est interitus libri in quo Eusebius collegerat acta authentica Sanctorum martyrum. De hoc valore huius perditi operis iam locuti sumus, quando agebatur de actis martyrum autenticis eorumque necessitate ad systema theologiae fundamentalis rite construendum. –

Editiones. De manuscriptis et editionibus antiquis Eusebii lege apud Harnack, Geschichte der altchristlichen Litteratur I 551 – 586 articulus Preuschen. Editio recentior Migne, Patr. Gr. XIX – XXIV. – Praeparatio Evangelica et Demonstratio Evangelica simul cum Historia Eccl. prodierunt separato edital a H. Dindorf Lipsiae 1867 – 1871,

quattuor volumina. Porro Praeparatio Evangelica separatim edita est a F. U. Heinichen Lipsiae 1842 – 1843, 2 vol. in 8°; item a Th. Gaisford, Oxoniae 1843, volumina 4 in 8°. Gaisford edidit etiam Demonstrationem Evangelicam Oxoniae 1852, 2 vol. in 8°. – Syriaca versio operis De apparitione Dei in carne prodiit Londini 1842 edita a S. Lee; fragmenta graeca eiusdem operis a cardinale Mai inventa prodierunt in Nova Patrum Bibliotheca vol. IV pars I pag. 108 – 159 et 310 – 312. – Eclogas Propheticos edidit Gaisdorf Oxoniae 1842; Fragmenta „Elementaris Introductionis universalis" edidit Mai (Nova Patrum Bibliotheca vol. IV pars Iª p. 316 – 317). – Ad Hieraclem, edidit Gaisford Oxoniae 1852. Editio Gaisfordiana repetita est a C. L. Kayser, Ausgabe der Werke des Fl. Philostratus Lipsiae 1870, 1871. In editione Migne'ana liber Contra Heraclem invenitur in Vol. XXII, 795 – 868. –

E. H. Gifford, Εὐσεβίου τοῦ Παμφίλου Εὐαγγελικῆς προπαρασκευῆς λογοι

is 4 vol. Oxoniae 1903.- E. Klostermann, Eusebius Werke. Die Theophanie. Leipzig 1904 Hinrichs.—

Commentarii novissima. H. Gressmann, Studien zu Eusebs Theophanie. Kiel. 1903;- idem, Studien zu Eusebs Theophanie Leipzig Hinrichs 1903.- Ed. Schwartz, Eusebius von Caesarea (Realenzyklopädie für Protest. Theologie und Kirche V Bd. 1370-1439, edit 1907.- Ultimo hoc decennio eruditi parum occupantur operibus eius historicis examinandis. Circa annum 1906 valde occupabantur quaestione de auctore libri contra Marcellum, qui liber a quibusdam Eusebio Caesareensi attribuebatur.

S. Athanasius.

Vita

Iunior Eusebio Caesareensi et magis quam his pietati ac orthodoxiae addictus fuit Athanasius, episcopus Alexandrinus. Hic natus est circa 295 an. Alexandriae. Iuventutem transegit ignotus. Aliquo tempore discipulus fuit s. Antonii Coenobitae, aut saltem morabatur (diu) longi

apud eum. Sex annis fuit lector, anno 319 ordinatus est diaconus ab Alexandro Eppo Alexandrino et factus est suus secretarius. Tamquam Alexandri diaconus aderat Athanasius in concilio Nicaeno 325 anno, ibique multum contulit ad debellandum errorem arianorum, quem contra oppugnabat Alexandriae.—

Alexandro mortuo 17 aprilis 328 anni, unanimis populi votis Athanasius electus est suus successor et consecratus 8 iunii. Eusebius Nicomediensis persuadere studebat imperatori ne iuvenem admittere ad episcopatum Alexandriae. Sed Athanasius mansit episcopus.—

In historia ecclesiae Christianae maxime meritus est Athanasius ideo, quod ab arianismo fidem defendit. Hanc ob causam quinquies expulsus quinquies in suam sedem redibat. In doctrina de Sanctissima Trinitate sua opera maxima pollent auctoritate prae caeteris operibus sanctorum Patrum. Eusebius est auctor et defensor Nicaeni symboli fidei.—

Mortuus est 2 maii 373 anni.-

Opus apologeticum inter scripta s. Athanasii infimum occupat locum, nam est compositum in iuventute sua, anno (circ.) circiter 318, aut iuxta aliam extremam sententiam 323.- Hoc opus constat duobus libris, quorum primus inscribitur Λόγος κατὰ Ἑλλήνων (sermo ad graecos), secundus vero: Λόγος περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Λόγου (sermo de incarnatione Verbi). Propter hunc duplicem titulum a quibusdam dicitur duo esse opera Athanasii apologetica. Sed argumentum utriusque libri coalescit in unum, et tamquam unum consideratum fuit a s. Hieronymo, qui hoc opus vocat „Adversus gentes duos libros" (De viris illustribus c. 87).

In priore libro tractat Athanasius de origine idololatriae quam dicit esse ortum ex malitia „Principio quidem malitia non fuit, quoniam ne nunc quidem in sanctis reperitur, nec prorsus in illis existit: sed eam postea homines excogitare atque adversus seipsos affingere coeperunt; unde etiam idolorum commenta

effinxere, ea quae non sunt, perinde ac si essent, animo concipientes" (c. 2.) - Ἐξ ἀρχῆς μὲν οὐκ ἦν κακία· οὐδὲ γὰρ οὐδὲ νῦν ἐν τοῖς ἁγίοις ἐστίν, οὐδ' ὅλως κατ' αὐτοὺς ὑπάρχει αὐτή. ἄνθρωποι δὲ ταύτην ὕστερον ἐπινοεῖν ἤρξαντο, καὶ καθ' ἑαυτῶν ἀνατυποῦσθαι· ὅθεν δὴ καὶ τὴν τῶν εἰδώλων ἐπίνοιαν ἑαυτοῖς ἀνεπλάσαντο, τὰ οὐκ ὄντα ὡς ὄντα λογιζόμενον Migne Patr. Gr. XXV, 5).

Cum a Deo recessisset genus humanum deorsum labi coepit, atque loco Dei coluit coelum, sol, lunam et astra. Dein vero tenebricosis suis cogitationibus deorsum progrediebatur ac aethera aerem et ea quae in aere sunt deos appellare. (Migne l.c. p. 17).-

Fructus idololatriae fuit corruptio (c. 11, 12). Praeterea idololatria est sibi contradicens superstitio.- Unus lapis divino cultu adoratur, alius eidem similis pedibus calcatur (c. 13) Quam stultitiam valde reprehendit Scriptura (c. 14) Dii finguntur cum organis sensuum quibus uti non possunt; ex hoc etiam rudes videre debent deesse idolis vitam (c. 15). Ficti sunt Dei, sicut et caetera

poetarum commenta (c. 16). Qui hunc dii esse dicuntur, homines fuerunt et quidem turpes (c. 18) In forma marium vel feminarum, quandoque etiam animalium dii finguntur, quod absonum est (c. 19). Deus per ea cognosci nullo modo potest (c. 20) Dici solent ethnici ope idolorum Deum melius cognosci, sed cur ipsa idola dii vocantur (c. 21) Cur repraesentantur dii partim humana, partim bellurina specie (c 22) Idololatria impia est (c. 23) Quod ab aliis idololatris colitur loco Dei, id quandoque a caeteris sacrificantur in honorem Deorum „Aegypti quippe bovem et Apim qui vitulus est venerantur, et alii istos Iovi immolant (c. 24) Alii etiam ipsos homines, quorum formam dii finguntur habere, diis immolant (c. 25). Quidam impudicitia deos colunt (c. 26). - Non debent singulae res in natura divino cultu prosequi, terra sine pluvia nihil producere potest et sic porro (c. 27). Idola non possunt esse dii quia opera hominum indigent (c 28) Deus incorporeus est, ergo absonum est corporeos deos fingi (c. 29). -

Refutato polytheismo pergit Athanasius ad commendandam fidem in unum Deum et dicit animam humanam nulla alia re nisi se ipsa indigere ad Eum cognoscendum (c. 30). Anima hominis rationalis est, nam sicut artifex lyrae chordis, Non vero fit, quod iacente in terra (est) corpore Deum mente contemplamur (c. 31) Desiderium immortalitatis est argumentum existentiae animae, quae cogitat contraria corporeis qualitatibus (c. 32). Corpus non potest seipsum movere, ab anima igitur movetur, quae ipsam movet, sed ex eo quod anima capax est se ipsam movere sequitur eam etiam post mortem corporis vivere (33). Qui Deum negant descendunt ad negandam animam et se ipsos ad statum belluarum deiciunt. Oportet ut convertatur et sedeant ad imaginem Verbi in cuius similitudinem creati sunt (34).

Probata animae existentia probat Athanasius Deum, ita composuisse

res creatas, „ut quia ex sui natura videri non potest, saltem ex operibus ab hominibus cognosci posset." c. 35. (Migne P. G. XXV, 70) - In natura creata contraria habentur mira arte in unum coniuncta, ex quo colligere (~~considerans~~) necesse est, alium ab his esse qui illa simul copulavit." „Quis nubes per aerem ferri, et in nubibus illum cogitet qui ita coniunxit et fieri iussit" (c. 36. Migne l. c. p. 71.) Obedientia elementorum erga artificem mundi potentiam huius Artificis prodit divinam, sine cuius interventione nullus ordo esset in terra (c. 37). Sicut ex ordine qui est in Civitate inter multos ~~&~~ et diversos cives colligitur existentia et providentia principis, ita ex ordine mundi ~~unius~~ patet existentia Dei, et quidem unius, „nam si plures mundo praeessent ordo ille servari non posset (c. 38).-

Praelectiones ex historia apologeticae prof. F. Bucsys.

„Verum quisnam tandem ille est" (Deus). Nemo alius, nisi „sanctissimus et rebus creatis longe excellentior Christi Pater." Mundus hic sapientia conditus est. Sapientia autem hoc est bonum Verbum boni Patris (c. 40. Migne l. c. 79.82) Verbum hoc non est vox humana, sed ille in quo et per quem consistunt omnia (c. 41). Hoc Verbum providit omnia et ordinat, et eo habent creaturae vitam. Sicut musicus ex diversis chordis lyrae efficit concentum, ita Verbum ex diversis elementis efficit ordinatam pulchritudinem. Dum omnia movet hoc Verbum, tamen ipsum manet immobile apud Patrem. (c. 42). Quod explicatur exemplo magni alicuius chori, qui ab uno directore moderatur, vel corporis nostri, quod ab una anima gubernatur in multis et diversis membris, vel urbis, quae ab uno regitur diversis diversa concorditer facientibus. (c. 43) Ita etiam pulcherrimus ordo manifestus est in toto mundo, ac Deum unum esse gubernatorem omnium demonstrat (c. 44). Qui vero agnoscit Verbum ~~x~~ mundi gubernatorem cognoscit et Patrem eius, juxta illud „Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum (Joan. 14, 9. Verum hoc clarius et accura

tius docent Scripturae, quae moneat et Deum esse colendum et idololatriam evitandam. Judaei olim pleniori doctrina fuere, quia non solum ex operibus naturae, sed etiam ex Scripturis, Deum cognoscebant. (c. 45). Deus vocat omnes, ut sibi adhaeserent, se cognoscerent et amarent, atque sibi servirent. Per eum mundus gubernatur, perque eum et creatus est. Deus in creando colloquebatur, non utique cum irrationabilibus objectis, sed cum Suo Verbo. Hic Athanasius profert plura et illis textibus, quibus Eusebius probabat divinitatem Christi ex Antiqui Testamenti eloquiis. (c. 46). Finem summum optimum, perfectissimum sui fructum, Deus in rebus creatis occultum Patrem esse noluit, sed eum quotidie per res omnes patefecit. Sed in Filio et ipse Pater se ostendit. Extra illum nihil exstitit. Sed stulti homines eum non colunt, serviuntque creaturis, quod stultum est et impium.

Secundus Liber, scilicet „ λογος περι της ενανθρωπησεως του λογου και της δια σωματος προς ημας επιφανειας αυτου" (Liber de incarnatione Verbi et de eius apparitione nobis in carne) est

magis dogmaticus, quam apologeticus in prima parte, nam non tractat obiecta, quae ad theol. fundamentalem non pertinent. Sed in secunda parte tractat divinitatem christianismi contra judaeos et graecos.
Incarnationem dicit esse reparationem ordinis vitiati per peccatum originale. Deus factus est caro, ut redderet hominibus principium vitae et verum Dei cognitionem. Ad eundem finem obtinendum mortem subiit et resurrexit. Judaei debent credere prophetiis, in quibus Christus praedicitur. Divinitas christianismi apparet ex mirabili propagatione religionis hujus.
J. Dräseke et v. Schultze credebant hos duos libros Athanasii ab alio aliquo autore conscriptos, tamen sententia horum criticorum communiter est rejecta.
Editiones. Commentaria.
Opera s. Athanasii egregie et accurate ediderunt Lopin et B. de Montfaucon O. S. B. Parisiis 3 vol. 1698. Eadem editio reposita est 1777 Patavii, cui addita sunt opuscula Athanasii exeunte s. XVII et ineunte s. XVIII reperta. Juxta hanc editionem opera Athanasii reimpressa sunt apud Migne Patrolog. Graecae XXV XXVIII 1884. Quaedam opuscula edidit Pitra Lipsiae 1883.

item quaedam edidit Bright, Oxoniae 1872-1883. tribus voluminibus. - Versionem Latinam operis apologetici ad usum scholarum edidit H. Hurter Oeniponte 1882 (Sanct. Patrum Opuscula selecta vol. XLIV) Draeseke, Athanasiana (Theol. Studien und Kritiken Gotha 1893 p. 251-315) — Athanasios pseudepigraphos (Zeitschrift für Wissenschaftliche Theologie Leipzig 1895 p. 517-537). - V. Schultze, Die Jugendschrifte des Athanasios (Theologisches Literaturblatt Leipzig 23-IV 1893 col. 191) - G. Krüger (Theolog. Jahresbericht. Brunswick 1893 t. XIII p. 194; 1895 t. XV p. 179.) - F. Hubert - Die Jugendschrift des Athanasios (Zeitschrift für Kirchengeschichte 1895 t. XV p. 561-566; F. Sauchert. Die Echtheit des beiden apologetischen Jugendschriften des hl. Athanasios. (Revue internationale de theolog. Bern 1895 p. 127-136); C. Weyman (Bizantische Zeitschrift Leipzig 1896 p. 223-225) - Stülcken, Athanasiana (Texte und Untersuchungen Leipzig 1899) - K. Hoss, Studien über das Schrifttum und die theolog. des Athanasius auf Grund einer Echtheitsuntersuchung von Athanasius Contra Gentes und De Incarnatione Freiburg i. Br. 1899 - Stanisl. Atzberger, Die Logoslehre des hl. Athanasius, ihre Gegner und unmittelbarer Verlänger, München 1880

8°, VII + 246. - Paul Barbier. Vie de s. Athanase le grand. Paris 1888 in 18° p. 448. - Bartel. Etude sur s. Athanase le grand. Paris 1863 - Charles Vernet, Essai sur la doctrine christologique d'Athanase le Grand, Genève 1879 (protest.) - H. Voigt, die Lehre des Athanasius von Alexandrien, oder die Kirchenliche Dogmatik des 4 Jahrhunderts. Bremer 1861 - in 8° XIX + 346 (protest.) - Ubinis operum de Athanasio in enumeratis apud Ulisse Chevalier, Répertoire des sources historiques du Moyen Age. Bibliographie t. I. Paris 1904 p. 352-354. Recentissime: Abt. Zu Athanasius (Archiv. fur Religionswissenschaft. Leipzig 1909 in 12° p. 412) O. Seeck, Urkundenfälschungen des IV Jahrhunderts II Die Fälschungen des Athanasius (Zeitschrift für Kirchengeschichte Goetingen 1909 in 3° p. 399-433.

Apologetica apud s. Patres caeterosque scriptores christianos s. IV et V

Vires religionis ethnicae tempore imperii romani ex fonte politicae potestatis hauriebantur: Post edictum mediolanense potestas politica causae christianae obsequium praestare coepit, quapropter vires ethnicismi

emeruerunt ita, ut fere non posset inter adversarios religionis christianae adnumerari. Quapropter non fuit opus defendendi religionem christianam ab obiectionibus ethnicorum, nec fuit necesse eam commendandi rationibus intellectualibus, quae commendabatur et exemplo imperatorum, et favore potestatis et gloriosa trium saeculorum historia et nondum effatuato virtutum frangore.

Sed fere eodem tempore, quo christianismus libertatem politicam acquirebat, errores doctrinales ex partibus ipsorum christianorum orti tam crearunt periculum, ut fides revelata videretur magis periclitare in concussione haereticorum, quam periclitaverat in cruento persecutione tyrannorum. Omnes viri, qui illo tempore maxime eminebant et ingenii splendore et virtutis eximia magnitudine inundabant scribendis operibus contra haereticos nominis raro et paucis respiciendo ad ethnicos vel judaeos. Quapropter quaestiones, quae ad theologiam fundamentalem

pertinent saeculo IV et V fere negligebantur. Cum discussiones doctrinales inter catholicos et haereticos maximae vehementissimaeque fuissent in oriente, rariores vero in occidente, ideo et opera polemica potius praevalent in oriente, apologetica autem frequentiora et notabiliora inveniuntur apud occidentales.

Itaque diminutio litterarum apologeticarum hoc tempore non significat debilitatem spiritus christiani, sed e contra manifestat maturitatem fructus ob apologetis parti.

Hic tamen breviter perstringemus quaedam apologetica sparsa apud scriptores illius temporis.

S. Ephraem Syrus, potius deberet latine dici et scribi Afrem. Ipse fuit poeta Syrus, preterea opera exegetica et dogmatica edidit plurima. Natus est in Nisibi in Mesopotamia saeculo III omnino ad finem vergente aut IV ineunte. Scholae praefuit Nisibinae et comitatus est episcopo Nisibino Jacobo ad concilium Nicaenum anno 325. Anno 363 Nisibi a Persis capta, schola claudi debuit et Ephraem transiit Edes.

tam ibique diaconus fuit. Disputatur inter criticos fuerit ne ordinatus sacerdos. Item disputatur de anno morti: tradit enim Chronica edissena eum mortuum fuisse 14 annis post terribilem terrae motum, quo urbs Nicomedia diruta est, scilicet 373, sed animadvertunt alii s. Basilium tamquam mortuum laudari in homilia Ephraemi, sed Basilius mortuus est 379 anno.

Sanctus Ephraem praecipue eminebat suae vitae austeritate et sanctitate ac operum a se scriptorum multitudine. Inter opera sua sunt multae homiliae ac una earum dirigitur contra Judaeos, quapropter ad apologeticam pertinet.

Nihil tamen de hac homilia certi tradere possum, quia recens editio s. Ephraemi inter scriptores syros in collectione quae vocatur „Corpus scriptorum Christianorum orientalium", nondum prodiit. Antiquam autem editionem Cardinalis Quirini, Josephi et Stephani Assemani ac Petri Benedetti, quae in sex voluminibus prodiit sub titulo „Sanctus Ephraem

Syrus. Opera omnia, quae exstant, graece syriace, latine in sex tomos distributa Romae 1732-1746" non habui.

Copiosissimam de s. Ephraemo litteraturam vide apud Ulisse Chevalier. Répertoire des sources historique du moyen age. Bio-bibliographie tome I. Paris. Alphonse Picard 1904 col 1337-1335. Tamen inter opera a Chevalier mentionata ne unum invenitur, quod specialiter tractat de Ephraemi apologetica.

Sanctus Basilius Magnus natus Caesareae in Cappadocia 331 anno a divitibus et piissimis parentibus christiani liberaliter educatus est ac praecipue virtutibus colendis exercitatus. Scholas frequentavit Caesareae, Constantinopoli Athenis. Athenis amicitiam Gregorii Nazianzeni iniit, diligentia eximius plura didicit, anno 359 in patriam rediit. Neglecta glorifica rhetoris professione secessit in solitudinem prope Neocaesaream, ut perfectioni spirituali acquirendae totum se daret. Multi discipuli Basilio se adjunxerunt, ad quorum usum scripsit

Regulas Fusiores, influxu suo vitam totius provinciae reformavit, ab episcopo Eusebio Neocaesarensi coactus ordinem sacerdotii accepit. Mediis in exercitiis pietatis operibus scribendis operam dabat. Inde ab initio imperii Valentis, scilicet a mense Julio 364 ariana haeresis iterum convaluit. Basilius scriptis eam debellabat. Eusebio Neocaesarensi mortuo Basilius electus est suus successor 370 anno, quapropter adhuc majore cum zelo contra arianos pugnavit et effecit, ut pax Ecclesiae fere rediret sub dominatione veritatis orthodoxae. Die 1 ~~Julii~~ Januarii 379 anno mortuus est.

Inter sua maxime eximia opera nullum est stricte apologeticum. Sed haereticus Eunomius scripsit opus Ἀπολογητικός in quo et caeteris suis scriptis essentiam christianismi ponebat in theoretica cognitione rerum divinarum ac illustratione intellectus. Eunomius docebat essentiam divinam adaequate cognosci posse a spiritu humano. Patrem ingenitum absolute esse Deum simplicem essentia sua.

Filius autem, cum sit genitus non potest esse Deus; generatio autem aeterna repugnat, iuxta Eunomium. Differentias inter Filium et creaturas Eunomius in eo ponebat, quod haec sunt creatae mediate, ille autem immediate a Patre (cfr. Kirsch-Hergenröther, Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte I Bd. Freiburg i. Br. 1902 p. 373.)

Contra hunc Eunomium S. Basilius scripsit Ἀνατρεπτικὸς τοῦ Ἀπολογητικοῦ τοῦ Εὐνομίου (Refutatio Apologetici impii Eunomii edit. Migne P. G. XXIX, 497-773) Opus constat quinque libris, quorum tres priores sunt certe S. Basilio auctore scripti, duo vero ultimi tribuuntur Apollinari.

In primo libro S. Basilius negat essentiam divinam consistere in τῷ ἀγέννητον εἶναι, quapropter hic solus liber pertinet ad theologiam fundamentalem, quia libro II iam defenditur doctrina de S. Trinitate, libro III probatur divinitas Spiritus Sancti. Eunomius respondit Basilio opere Ἀπολογίας Ἀπολογία, sed haec responsio ad nos non pervenit. Philostorgius narrat S. Basilium hac responsione lecta nihil potuisse

respondere in desperatione actum mortuum esse. Fabula haec nullius est valoris, quia pugna Basilii cum Eunomio coepit antequam Basilius factus est Episcopus, etiam ante 364 annum. Photius, e contra, narrat Eunomium properam immdasse suae responsione et non esse ausum eam publici iuris facere vivente Basilio. Haec notitia nimis recentis est originis, ut ei possimus fidem praestare eo magis, quod non est libera a suspicione inventam esse ad respondendum Philostorgio.

S. Basilius frequenter loquitur de cognoscibilitate Dei. In epistola 16 (Migne P. G. XXXII, 279–281) auctor dicit, quomodo potest homo cognoscere naturam Dei comprehensione, cum ne formicae quidem naturam adaequate percipi queat.[1] In epistola vero 233 (Migne l. c. col. 863–868) s. Basilius ait: „Ipsa veritas est noster Deus, quapropter principalis nostrae mentis actus est cognoscere Deum nostrum, cognoscere autem eum in tantum, in quantum potentia infinita concipi potest a parvulo," scilicet

1) Autentia huius epistolae est dubia; A quibusdam haec epistola censetur esse fragmentum V libri S. Gregorii Nysseni contra Eunomium.

intellectu nostro. „Dicimus majestatem Dei et suam potentiam ac sapientiam, sicut providentiam et justitiam a nobis cognosci posse, sed οὐκ αὐτὴν τὴν οὐσίαν (non essentiam ipsam). Fides sufficienter docet Deum esse, non vero dat percipere qualis sit (ὅτι ἔστι Θεὸς οὐχὶ τί ἐστι. Ep. 234 ib. 868–869). „In fide includitur cogitatio Deum esse, quem cognoscimus ex creaturis (Ep. 235, ibidem 872).

Doctrina s. Basilii hac de re sic breviter exprimitur ab Allard iuxta Fialon: „La foi par la révélation, la raison par la contemplation des créatures, nous font connaître l'existence de Dieu, mais ne nous font point comprendre son essence." (Allard, Basile in „Dictionnaire de Théologie catholique tome II Paris. 1905 col. 451 ac citatus ab eo Fialon „Etudes littéraire sur: Basile Paris 1866 p. 136–145"). Fides per revelationem, ratio autem per considerationem creaturarum nos scire faciunt existentiam Dei, sed non pertingunt ad intelligendam suam essentiam.)

Porro s. Basilius docet revelationem nobis transmitti duplici via: per Scripturam

scilicet sacram et traditionem (De spiritu s. c. 27. Migne P.G. XXXII, 188) Hic s. Basilius enumerat quasdam res, quae ad nos pervenerunt traditione extra scripturam s., scilicet signum crucis, consuetudinem orandi versa facie ad orientem, verba consecrationis, triplicem immersionem in Baptismate, ritus Extremae Unctionis.

Iunior s. Basylii frater fuit s. Gregorius Nyssaenus. Ignoratur, quo tempore natus sit. Educationem suscepit a fratre maiore nato Basilio. Initio ad spiritum saecularem valde proclivis fuit, sed amicis suadentibus statui clericali se dedit, in solitario vita perfectioni propriae adlaboravit, ab anno 371 a suo fratre Basilio metropolita Neocaesarensi consecratus est, licet invitus, Nyssae episcopus. In pugna cum arianis sua sede destitutus variis in locis commoratus est. Tandem post mortem imperatoris Valentis, pace orthodoxis catholicis reddita 378 rediit ad suam sedem. Magnas habuit partes in II concilio oecumenico Constantinopoli 381 anno. Post annum 394 amplius non mentionatur

Gregorius in historia. Annus mortis suae ignotus est sicut et nativitatis. Sua opera dividuntur in quattuor classes: exegetica, scilicet, dogmatica, ascetica, tandem sermones et epistolas. In opere Λόγος κατηχητικὸς ὁ μέγας (Magnus liber catecheticus) defendit religionem christianam contra ethnicos, iudaeos et haereticos. Itaque hic liber catecheticus et apologeticus in eis partibus, in quibus contra ethnicos et iudaeos vertitur.
Cum prodiisset Eunomii Ἀπολογίας Ἀπολογία, et in qua s. Basilius acriter impugnabatur, fratre maiore natu mortuo, Gregorius Nyssenus edidit Πρὸς Εὐνομίον ἀντιῤῥητικὸν λόγον (Contra Eunomium responsiones libri) iuxta quosdam 12, inter alios autem 13. In his et persona et doctrina defuncti fratris defendebatur.
Apologeticum titulum habuit quaedam alia opera Nysseni, praesertim Πρὸς Ἕλληνας ἐκ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν (Adversus graecos ex communibus notionibus).
Saeculo IV ad finem vergente dogma SS. Trinitatis iam non fuit sub disciplina arcani; quapropter sciebatur et ab ethnicis, qui in

ea contradictionem videbant. S. Gregorius Nyssenus explicat nullam esse in hoc summo dogmate contradictionem, quia una affirmatur esse Dei natura, tres vero personae. Aliud autem est natura, aliud vero persona. Ratione sui obiecti Tractatus adversus Gentes pertinet potius ad historiam theologiae dogmaticae, quam fundamentalis.

Vero apologeticum librum scripsit Gregorius sub titulo Κατὰ Εἱμαρμένης (Contra fatum), editum apud Migne P.G. XLV 145–174. Occasio huius libri fuit disputatio Gregorii Constantinopoli facta cum quodam philosopho ~~facta~~ ethnico erudito, qui noluit fieri christianus, nec rationibus Gregorii cedere, eo quod crediderit omnia, etiam sententias hominum fato gubernari, cui a nemine vis inferri posset. Suum dialogum cum philosopho Gregorius narrat clare distinguens sententias philosophi et suas. Rationes philosophi Gregorius refert fidelissime et accuratissime, ita ut suum opusculum de fato fiat copiosissimus fons, ex quo doctrina fatalistarum optime cognosci possit.

In suis responsionibus Gregorius demonstrat philosopho et doctrinam de fati omnipotentia esse errorem et fidem, quae credit sortem humanam pendere a coniunctionibus astrorum, esse superstitionem. Argumentatio Gregorii, plurimis in locis est clara, ubique autem sobria. Argumentis autem utitur Gregorius nonnisi eis, quae etiam ab ethnico agnosci debebant. Fuit enim Gregorius philosophus eximius. Suam sententiam de fato Gregorius sic exprimit: „Ex quo planum fit, sortem ac fatum esse cuiusque voluntatem pro arbitrio quodlibet amplectentem: Δῆλον ἐκ τοῦ ἀκολούθου, ὅτι μοῖρα καὶ εἱμαρμένη ἡ ἑκάστου προαίρεσις γίνεται, τὸ δοκοῦν, κατ' ἐξουσίαν προαιρουμένη. Migne P.G. XLV, 169.170.

Gregorius magis eminebat in quaestionibus scientificis profunde et clare tractandis, quam in solvendis difficultatibus vitae quotidianae. In gubernanda dioecesi deerat ei prudentia et experientia, quae sufficiens

esset magnis illius turbulenti temporis necessitatibus.

De fato scripsit etiam **Diodorus Tarsensis**, episcopus in Cilicia, sub titulo Κατὰ ἀστρονόμων καὶ ἀστρολόγων καὶ εἱμαρμένης. Hoc tamen opus est perditum. Nonnisi Photius (Bibl. cod. 223) de eo notitiam satis accuratam excerptisque auctam conservavit. Diodorus consecratus fuit episcopus Tarsensis 378 anno, mortuus vero 394. Ardens defensor orthodoxiae in errores incidit, qui pessimos fructus attulerunt post eius mortem.

Nemesius Emesenus.

Ad seriem operum, quibus evoluta est psychologia christiana, pertinet etiam Περὶ ψυχῆς (De anima), qui liber in editione Migneana legitur inter opera S. Gregorii Nysseni. Statim ipso initio auctor dicit: „Dissident fere antiqui omnes de animae vi et natura.- Δια σχεδὸν ἅπασι τοῖς παλαιοῖς περὶ τῆς ψυχῆς λόγος (Migne P. G. XLV, 188)

Porro demonstrat auctor contra Democritum, Epicurum et stoicos animam non esse corpus (189-194), postea vero reicit sententiam et Simiadis, qui credebat eam esse concentum (193-195). Postea probat animam non esse temperamentum (195-200), sicut Galeno videbatur, neque actum perfectum, neque immobilem, neque in corpore nasci, sicut censebat Aristoteles (199-204). Item reicit sententiam Pythagorae, qui animam dicebat esse numerum, et Xenocratis, qui eam censebat esse in rebus numerabilibus et multitudine comprehensis (203, 204).

Eunomius autem animam definivit substantiam incorpoream in corpore conditam. Hanc definitionem auctor dicit esse ex sententiis Platonis et Aristotelis compositam eique obicit quod doceat animam post corpus oriri (203-206). Postea refutat opinionem Apolinaris, qui censebat animas ab animis creari (205-208), deinceps transit ad manichaeos, qui licet admitterent incorpoream et immortalem, tamen unam solamque dicebant universorum

esse animam per frusta divisam et concisam in singula corpora animata et inanima, eamque post mortem singulorum iterum in commune redire sicut guttae uniuntur aquae. (207-208).
Plato docebat unam esse animam totius universi, sed singulas animas inesse singulis partibus propriis (207-210).
Breviter reicit migrationem animarum duplicem aut multiplicem speciem earum (209-210).
Postea vero positive demonstratur differentia inter animas brutorum et hominum praesertim in eo esse sitam, quod hae sint rationales illae vero non (211-212); reicitur praeexistentia animarum (213-214). Reiectis omnibus his opinionibus auctor concludit „animam substantiam esse corporis expertem" ὡς οὐσία τίς ἐστιν ἀσώματος ἡ ψυχή (213-214). Fere immediate post haec additur faciliter posse demonstrari τὴν ψυχὴν ἀθάνατον οὖσαν, scilicet animam esse immortalem (ibid.).

Reiectis variis opinionibus de unione inter animam et corpus auctor suam

sententiam de ea re proponit. Sicut lumen non confunditur cum aere, tamen reddit eum luminosum et penetrat totum, ita et anima penetrat totum corpus, reddit eum vivens non confunditur cum eo. Tamen sol, cum sit corporeum, loco est adscriptus, „at vero anima incorporea cum sit, et nullo circumscripta loco, tota per totum penetrat, tum per lumen ipsius, tum per corpus: nec ulla pars est ab ipsa illustrata, in qua non tota adsit." (ibid. 217-218).
Originem huius doctrinae ipse auctor innuere videtur in dogmate christiano de unione naturarum divinae et humanae in Christo, quae in unitate personae coniunctae manserunt non confusae Ἁρμόσει δ' ἂν ὁ λόγος οὗτος καταρώτερον, καὶ μάλιστα τῇ πρὸς ἄνθρωπον ἑνώσει τοῦ Θεοῦ λόγου καθ' ἣν ἑνωθεὶς, ἔμεινεν ἀσύγχυτος καὶ ἀπερίληπτος, οὐ κατὰ τὸν τῆς ψυχῆς τρόπον (Migne. P.S. XLV, 217). Ultima verba: „non animae more modoque"
Nemesius explicat ulterius proponendo differentiam, quae existit inter unio-

nem naturarum in Christo ac unionem corporis et animae in supposito humano (217-220). Provocato testimonio Porphyrii ad firmandam doctrinam christianam, refutato errore eunomianorum, concludit librum hunc ultima consideratione: unionem scilicet corporis et animae non esse liberam, sed ex ipsa natura provenire.

Quamquam initio operis legitur „λόγος α'" (liber primus), tamen ulteriores libri huius operis non adsunt. Immo nec adesse possunt. Quia liber non pertinet ad opera s. Gregorii Nysseni, sed est falso ei (adscriptam) attributum fragmentum ex opere Nemesii Περὶ φύσεως ἀνθρώπου (De natura hominis.).

Nemesius vixit probabiliter saeculo V ineunte, fuitque episcopus Emesae in Phaenicia. Cfr. O. Bardenhewer, Patrologie. Freiburg i. Br. 1901. p 267.

Opus Nemesii magnam prodit eruditionem philosophicam, claritatem expositionis et systematicam parti-

um dispositionem. In ea parte, ubi sententias philosophorum refutat, non utitur nisi argumentis philosophicis. Ad Scripturam s. et dogmata christiana provocare incipit cum disputationem init cum Eunomio. In opere apparet valde magnus influxus neoplatonismi.

S. Joannes Chrysostomus

Divitibus, piis, insignibus civibus Antiochenis Secundo eiusque uxori Anthusae anno 344 aut 347 natus est filius Joannes. Brevi post Secundus mortuus est, filius autem eius educabatur a devotissima matre. Magistros habuit Joannes philosophum Andragathium et rhetorem Libanium. In scholis usus est Joannes amicitia cuiusdam Basilii, quocum invicem hortabatur ad pietatem et vitae austeritatem. Studiis absolutis Joannes

initiabatur vitae perfectiori a patriarcha antiocheno Meletio, a quo et baptisatus est 369 an. Praeter hunc usus est Joannes etiam Diodoro Tarsensi et Carterio magistris in rebus theologicis.
In studio perfectionis christianae tantum profecit Joannes ut vellet eremita fieri, sed ne faciat matrem suam iterum viduam, eius precibus cedens, mansit in domo paterna monasticam fere vitam agens.
Circa annum probabiliter 373 populus postulavit eum ad episcopatum. Joannes sibi diffidens fugit. Ut fugam suam defenderet scripsit ad Basilium De Sacerdotio. Matre mortua sex annis habitavit in montibus prope Antiochiam tamquam eremita. Austera vita et continuum Sacrae Scripturae studium debilitarunt eius vires; Joannes rediit Antiochiam, ut morbum suum sanaret. Meletius eum ordinavit diaconum 381 anno et 386 an. Meletii successor Flavianus sacerdotem. Joannes

factus est concionnator ecclesiae cathedralis Antiochenae. Eodem tempore scripsit suas immortales homilias. Gloria eorum tanta erat, ut mortuo Nestorio Constantinopolitano Joannes eius successor est electus a populo suggerente imperatore. Die 26 februarii 398 an. Joannes consecratus est episcopus (Constantinopolitanus) a Theophilo Alexandrino.
Joannes episcopus Constantinopolitanus eradicare vitia coepit. Initio etiam imperator huic operi patrocinabatur, tamen ingenio debilis Arcadius in omnibus sequi solebat eunuchi Eutropii, qui confidentia imperatoris abutebatur ad colligendas divitias, quo fine multas iniustitias violentiasque perpetrabat, imo, persequendo suos inimicos personales, ecclesiasticum ius asyli violavit. Solus episcopus audebat mala Eutropii gesta coram imperatore vituperare, nec asyli ecclesiastici violationem permisit, imo monuit imperatorem et minatus est

poenam spiritualem. Minatio nullum sortita est effectum. Seditione orta fugit Eutropius et, ne a populo dilaceraretur in ecclesiam se abscondit. Joannes hoc asylum ei concessit, quod contra eum paulo antea defendere debuerat.

Eutropio remoto imperatrix Eudoxia negotia coepit imperii peragere. Machinationibus quorundam episcoporum Joanni invidentium factum est, ut Eudoxia fieret Joanni inimica. Imperatrix enim sibi bona aliena appropriavit, quapropter vituperata est a Joanne. Ineunte 401 an. archiepiscopus iam non adibat palatium ad negotia cum imperatore tractanda. Eodem tempore Theophilus archiepiscopus Alexandrinus vir violentis et instabilis ingenii, persequebatur ultra modum monachos origenistos, quos ex patria pulsos accepit Joannes Chrysostomus. Theophilus ea ex causa odio exarsit erga Joannem.

Negotium hoc, natura sua parvum, machinationibus humanis factum

est magnum. Imperator initio videbatur magis Joanni favere quam Theophilo, sed agente Eudoxia Theophilo commissa est convocatio et praesidentia synodi, quae dicitur Ad Quercum, (σύνοδος ἐπὶ δρῦν) Chalcedoni iuxta Constantinopolim an. 403. Triginta sex episcopi Joannis inimici aut dependentes a Theophilo decreverunt Joannis depositionem. Decretum confirmatum ab imperatore in vigorem transiit. Chrysostomus pacificata plebe, se ipsum tradidit in manus potestatis civilis, ut in exilium deportaretur.

Ad Chrysostomum expellendum non parum contulit concio eius de vano mulierum ornatu. Hanc enim concionem multi ita explicabant, crederetur eam fuisse directam contra Eudoxiam.

Joanne in exilium misso seditio populi cohiberi non potuit; praeterea accidit magnus terraemotus Constantinopoli. Imperatrix poenitentia ducta litteras scripsit ad Joannem Chrysostomum rogans eum ut rediret ad sedem. Etiam decretum imperatoris

prodiit de archiepiscopo suae sedi restituendo. Nuntii invenerunt Joannem prope Prenetum in Bithynia.
Joannes rediit Bosphorum, sed noluit reassumere ecclesiae constantinopolitanae gubernationem antequam eius causa cognosceretur a nova maiore synodo. Sed gaudium populi processit usque ad violentiam et archiepiscopum compulit intrare in suam cathedram. Eudoxia eum felicitabat. Joannes protulit sermonem publicum, in quo bonas imperatricis qualitates laudavit.

Duobus mensibus post statua Eudoxiae erecta est in foro prope ecclesiam cathedralem. Ludi populares fuerunt tam magni, ut etiam officia divina in ecclesia peragenda turbarent. Episcopus rogavit praefectum urbis, ut excessus cohiberentur. Praefectus autem rem ita explicavit Eudoxiae, ut imperatrix crederet Joannem aegre ferre laetitiam popularem, cuius causa imperatrix fuit. Theophilus Alexandrinus iterum venit Constantinopolim. Imperatrix autem, fortasse,

audivit quod Sosomenus scribit, ab episcopo eam esse comparatum Herodiadi saltanti et caput Joannis in disco postulanti. Comparatio haec est sumpta ex homilia non a Chrysostomo sed ab aliquo alio, fortasse eius inimico, scripta. Theophilus provocavit ad decretum synodi Antiochenae ex anno 341, quo decreto vetebatur ne episcopus sede pulsus ad eam rediret sine auctoritate novae synodi. Chrysostomus accepit ab imperatore mandatum, ut cessaret muneri episcopali fungendo.

Joannes respondit se non posse obedire mandatis potestatis saecularis in rebus ecclesiasticis. Imperatore iubente episcopus fuit in propria domo inclusus.

Non obstante hac incarceratione Joannes Sabbato sancto 404 an. exivit in ecclesiam cathedralem ut baptisma cathechumenis impertiret. Die ad vesperam vergente homines armati intraverunt in ecclesiam, vi expulerunt fideles, qui functionibus divi-

nis adstabant, imo sanguinis effusionem causarunt, ita ut aquae baptismali sanguis misceretur Ipsumque Sanctissimum Sacramentum coinquinaretur. Aliquot diebus post Pascha prodiit decretum caesaris quo Chrysostomus ex urbe expelleretur. Tamen motus populares impediebant exsecutionem decreti; sed die 20 iunii ipse episcopus clam a plebe tradidit se in manus eorum, qui iussi erant eum in exilium deportare.

In via S. Joannes aegrotare coepit. Die 29 augusti Sanctus exul pervenit Cucusum in Armenia minore, qui locus credebatur esse extremus terrae.

Eo tempore calamitates irruerunt Constantinopolim. Ipsa Eudoxia mortua est. Pontifex Romanus et episcopi occidentales cessarunt communionem cum Attico, qui locum Joannis occupavit Constantinopoli. Joannes interea aegrotavit, sed relationes cum suis amicis non interrupit et convertendis

gotis adlaborabat, iuvabat instituta a se quondam erecta. Amicis agentibus imperator permisit, ut Joannes transiret in meliorem locum, oppidum Pithyum ad mare Euxinum. Exeunte Junio 407 anni Chrysostomus iter coepit, sed Pithyum non pervenit, quia 14 septembris mortuus est Comanae in Pontu.

Propter admirabilem suarum concionum eloquentiam Joannes cognomen Chrysostomi (Χρυσοῦς στῶμα = aureum os) accepit.

Homiliae eius explicant magnam Scripturae Sacrae partem, ac proinde constituunt copiosum fontem exegeticum. Eius principia exegetica, libera a vitiis Origenis, praecipue ad sensum litteralem attendunt. Scripturis utebatur Chrysostomus ad vitam bonis moribus informandam, ipse autem erat summae sanctitatis vir quapropter in operibus suis scientia Scripturarum Sacrarum ap-

plicata est ad eum finem, ad quem a Deo designata est. Hanc etiam ob causam eius opera multam praebent instructionem moralem eamque pretiosam.

Inter plurima Chrysostomi opera duo inveniuntur apologetica, nempe Λόγος εἰς τὸν Μακάριον Βαβύλαν καὶ κατὰ Ἰουλιανοῦ καὶ πρὸς Ἕλληνας (Sermo in sanctum Babylam et contra Julianum et contra graecos).

S. Babylas anno 237 factus est episcopus Antiochiae, in persecutione Decii 250 an. martyrium passus est. Caesar Gallus 351 an. iussit ossa martyris collocari in nemore Daphnis prope Antiochiam ibique ecclesiam construi. Julianus Apostata, abolitum cultum ethnicum ubique restituens iussit reliquias sanctas ex ecclesia et ex nemore auferri, ut posset cultus Apollinis renovari. Tempore s. Joannis reliquiae sancti Babylae reportatae sunt in

pristinum locum. Occasione huius translationis solemnis Joannes sermonem protulit de S. Babyla eiusque miraculis. Initio libri s. Joannes proponit verba Christi: „Amen, amen, dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et maiora his faciet," (Joan. 14, 12) et dicit Christum eo distingui a falsis thaumaturgis, quod non solum ipse miracula, et quidem vera, faciebat, sed virtutem operandi prodigia etiam suis discipulis concessit (Migne P. G. LI, 533). Daemones autem in religionibus idololatricis usque eo pervenerunt, ut homines induxerint ad homines immolandos diis, ad naturae leges hoc modo violandas, nam ipsi parentes, qui origo vitae debebant esse filiis, causa mortis fiebant offerendo eos ad immolandum. Christus non solum nihil tale praecepit suis, sed etiam bona contulit et quidem non solum suis, sed etiam et gentilibus in errore constitutis: „ neque enim gentilium quis-

quam tales hostias daemonibus suis post-hac immolare coactus est" (ibid. 535). Christi clementia vix enarrari potest et bonitas. Umbris beatorum dedit potestatem sanandi eos in quos caderent.

Non sunt figmenta ea miracula sicut non sunt figmenta quae credunt Christiani. Nam philosophi et reges voluerunt dogmata nostra destruere et nihil perfecerunt, ac nonnisi sibi ipsis nocuerunt, nam persecutores ferini animi famam sibi apud omnes paraverunt, philosophi autem ridiculi sunt effecti. Nemo eorum placitis sese addixit, cum totus orbis ad christianam religionem conversus est (537). Ethnicismum nemo debellavit, christiani imperatores neminem tormentis effecerunt propter idololatriam, tamen ethnicismus propropria debilitate defecit. Piscatorum autem causa persequi coepit, quando adhuc parvula fuit, sed nunc floret in toto orbe. „Nec in causa erant piscatorum huius-

modi verba vel miracula, sed Christi virtus in ipsis operans" (p. 538.), nam non poterant neque mendacio talia fidei omnium imponere, neque scientia, aut opibus aut generis claritate seducere, quia haec omnia deerant apostolis (ib.) Si christianorum narrata miracula erant mendacia, alii eorum exemplum cur non sunt secuti, eorum exemplum imitati? (539) Sequitur parabola de homine, qui post bellum cum rege factum ineundo pacem filium regis accipit obsidem eumque perfide occidit ac deinde in Ecclesiam Dei vult intrare (539-541). Cum imperator (Decius) voluit ecclesiam ingredi s. Babylas eum ab ecclesia expulit. „Id vero fecit Servatoris verbum confirmans, nempe servum esse solum eum, qui peccatum faciat, quamvis sexcentos capite coronas gestat" (ibid 541). Joannes laudat Babylam et extollit eius moderationem, quod non addidit contumeliam expulsionis sententiae (ib. 543.)

Haec s. Babyli audacia uni nocuit, multis profuit, nam multi ad fidem venerunt, quae tantam animi fortitudinem alit. Persecutio quidem orta est, sed diruta et derecta sunt templa non christianorum sed ethnicorum. - Res christianorum in persecutione florent magis. (544). Christiani mortificatione multiplicantur, pagani comessationibus. Christianorum mortificatio differt a vana et iactabunda quorundam philosophorum agendi ratione, qui laceris vestibus utebantur aut in dolio se includebant. Solent quidam clavos deglutire acutissimos et caetera mira facere. Admiranda est Diogenis ad Alexandrum libertas. Sed talia non probant christiani. Bonum enim virum oportet facta sua omnia publica utilitate metiri (ibid. 545). Babylae facinus iniurium punivit, principum altos spiritus coërcuit, violatis Dei legibus

opem tulit, supplicium pro caeso iuvene exegit.... incredulos compescuit, fideles religiosiores reddidit... ostendens imperatorem et omnium novissimum apud Christum mera nomina esse" (546). Regum animos depressit, sacerdotum extulit (547). Sequitur panegiricus martyrii s. Babylae (547-551). Ne locus iuvenum ludis et lasciviis coinquinatus, natura tamen amoenus, desereretur Imperatori animum Deus movit, ut eo in loco reliquias s. Babylae collocarentur, ubi Daphne puella Ladonis fluvii filia et Apollo colebatur, qui eam amavit. (551-552). Sicut Daphnis pulchritudo attrahebat ad lasciviam ita Martyris spiritus attrahit ad bonam vitam eos, qui recreationis causa veniunt in suburbium (553). Sanctus non solum moraliter daemonem vicit, sed et os eius obturavit, nam oraculum Daphnes silere coepit

ex quo Martyris ossa in nemore collocata sunt (555).
Hoc est argumentum impotentiae deorum ethnicarum (553-556). Julianus ossa Martyris auferri iussit (557) oraculo Apollinis insistens. Oracula ista saepe captiosa esse solent, hic vero clare confessus est daemon suam impotentiam vaticinandi coram corpore martyris (557). Ulterius Julianus non est progressus in persequendis christianis, quia timuit sortem persecutorum, qui divinitus puniti sunt (558-559). Reliquiis martyris in antiquum locum repositis, templum Apollinis mirum subiit incendium: combusta est statua dei tota et tectus supra eam. Sacerdos templi tractus ad iudicium sub tormentis confessus est ignem cecidisse de coelo (559-560). Hac occasione Libanius, ethnicismi defensor, scripsit lamentum (monodium) tristitiae refertum; eius errores detegit et refutat

Joannes. Ex singulis huius luctus sententiis assumit Chrysostomus argumenta, quibus evincatur vanitas politheismi et debilitas eius (560-566). Postea explicat auctor cur Deus non Julianum punivit sed statuam Apollinis et templum eius, et quidem hunc non totum sed partem eius. „Ex Dei erga errantes clementia omnia gesta fuere." (566), nam repentina poena repente obliviscitur, sed ruinae templi longo tempore potentiam et iustitiam Dei praedicant, fallacias daemonum in memoriam revocat. Incendium templi admonitio fuit imperatoris ex longanimi misericordia Dei procedens. Etiam aliis plurimis calamitatibus publicis Deus in Julianum animadvertit, praeprimis autem eo, quod frustravit eius conamen restituendi templum Hierosolymitanum (567, 568). Julianus non traxit et christianos ad tormenta, quia noverat his non noceri eis, et

noluit eos martyrio coronari, sed interna dissidia fovit et auxit, restituit quendam Stephanum dignitati ecclesiasticae ex qua pulsus erat perversae doctrinae et improbae vitae causa. Christianorum nomen delere voluit substituens ei galileorum vocabulum (568). Bellum persicum inibat animo consilia fovens post bellum christianos delere, quod consiliarii eius postea christianis dixerunt. Sed in expeditione „ita misere et infeliciter rem gessit, ac si mulierum vel parvulorum potius, quam virorum exercitum secum habuisset." Postea et ipse periit, et exercitus victus est et urbem munitissimam exercitus hostibus tradidit (569-570). Ex his patet Dei longanimitas, quae non statim sceleratum punivit, ut converteretur, sed non dereliquit eum impunem, cum melior non fiebat. Licet Deus praevideat impoenitentiam, tamen propter scelerum nostrorum praevisionem non recedit a regulis

bonitatis suae (570). S. Babylae historia profuit omnibus. Et imperatores docuit limites potestatis non transcedere et sacerdotes suo munere intrepide fungi, et daemoniorum infirmitatem et vaticiniorum ethnicorum nugacitatem et martyrii virtutem (571-572).

Ex praemissa huius libri analysi statim patet librum fuisse scriptum cum fine panegyrico elementum autem apologeticum in eo invenitur tamquam aliquid secundarium. Chrysostomus non extraneos alloquitur, sed ipsos christianos excitat ad laetitiam invitans eos ad consideranda mirabilia Dei in operibus sanctorum ex virtute Christi procedentibus.

Nihilominus in opusculo invenitur copiosa materia ad elucidandas vel propandas sat multas veritates, quae pertinent ad systema theologiae fundamentalis. Divinitas religionis christianae probatur ex eo quod non solum ipse Christus miracula faciebat sed hanc virtutem etiam suis discipulis concessit, non solum immediatis sed etiam mediatis, non solum vivis sed et mortuis. Adsunt argumenta rationis, quibus historica veritas miraculorum

christianorum demonstretur.

Porro mira propagatio christianismi tamquam argumentum divinitatis huius religionis, novis quibusdam rationibus illustratur, e. g. comparatione cum ethnicismo, cuius asseclae non trahebantur ad tormenta et diminuebantur, dum christiana religio in persecutionibus crescebat.

Non est spernendum testimonium huius libri de conamine Iuliani restituendi templum hierosolymitanum. Testimonium enim hoc distat nonnisi 20 annis ab eventu et tam magni momenti est ad illustrandum tum Danielis vaticinium tum Christi D-ni prophetiam de diruendo templo. Praeterea in libro habentur satis copiosae notitiae de historia Iuliani Apostatae, quae non solum ad historiam Ecclesiae pertinent, sed et quaestiones theologiae fundamentalis attingit.

Ad historiam religionum, praecipue ad elucidandum cultum polytheisticum, et naturam oraculorum et miraculorum ethnicismi graeci, liber de quo agitur praestat materiam in satis longa nar-

ratione de origine et fine cultus Apollinis in nemore Daphnes prope Antiochiam.

Defectus huius libris potius in eo positus est, quod argumentatio plurimis et longuissimis degressionibus labefactatur. Sentiae vero invicem junguntur non tam consequentia logica quam associatione aestetica. Quapropter analysis libri non potest fieri sine magnis dificultatibus. Eloquentia auctoris reddit eum aliquando nimis prolixum.

Aliud opus apologeticum s. Ioannis Chrysostomi inscribitur: Πρὸς τε Ἰουδαίους καὶ Ἕλληνας ἀπόδειξις ὅτι ἐστὶ θεὸς ὁ Χριστός ἐκ τῶν παρὰ τοῖς προφήταις πολλαχοῦ περὶ αὐτοῦ εἰρημένων: Adversus iudaeos et gentiles demonstratio quod Christus sit Deus ex iis, quae multis in locis de Illo dicta sunt apud prophetas. Migne P. G. XLVIII 813-838. En argumentum libri.

Multi propter varias causas non legunt demonstrationes veritatis christianae, ideo redigendus est hic liber brevis, qui demonstrat Christum esse Deum imprimis graecis deinde iudaeis. Demonstratio exire debet ex eis, quae in

confesso sunt apud christianos eorumque adversarios. Adversarii agnoscunt Christum fuisse religionis christianae auctorem, ipsis etiam manifestum hanc religionem brevi tempore propagatam latissime esse sine ullis mediis humanis non obstantibus maximis impedimentis. Talis propagationis non potest esse alia causa nisi Deus. Etiam apud persas propagata est haec religio, ubique pariter multi martyres. (c. 1. Migne P.S. XLVIII, 813-814). — Praedictum erat Christum futurum esse Deum et hominem, quod ut pateat oportet videre libros eorum, qui Christum crucifixerunt, Scripturam sc. sacram Veteris Testamenti. Divinitas haec praedicitur a Baruch 3, 36-38; Jes. 7, 14.16; 11, 1-3; 9, 5.6.7 (cap 2 Migne l.c. p 814-816). Etiam modum adventus eius praedixerunt, et imprimis adventus tranquillitatem et quietem Ps. 71, 6; mansuetudinem et suavitatem Is. 42, 3; locum nativitatis Mich 5, 2; tempus Gen. 49, 10-12 caedes infantium Jer 31, 15; reditum ex Aegypto Osee 11, 1; prenuntiata erant loca predicationis eiusque splendor Is. 9, 1; miracula Is. 35, 5.6; Ps. 8, 3 (c. 3 l l.c. p 816-17) Porro adducit Chrysostomus Ps. 2, 1.3; 15, 10; 21, 17-19; 23, 7; 40, 10; 44, 3; 68, 10; 77, 2; 87, 7

108, 1. 8-10; 109, 1; 117, 7; Is. 45, 2; 52, 13; 53, 5. 7. 9-12; 61, 1; Zach 9, 9. Feri omnes hi loci referuntur ad historiam passionis et resurrectionis Christi. Auctor ex iis probare intendit ingratitudinem iudaeorum (c. 5. l.c. p 817-820) Ex Is. 52, 7; Ps. 67, 12; Joel 2, 28-32 probat praedictam fuisse missionem apostolorum (c. 6 l.c. p. 820) — Sequente capite adducit Ps. 2, 8; 18, 5; 44, 17.18; Is. 2, 2.4; 11, 6.9; Jerem. 31, 34; Soph 3, 9, quibus probat magnam dignitatem apostolorum et eminentiam, atque affirmat „quod regibus ac principibus maiores fuerint Petrus et Paulus." (c 6 l.c. p 820-21). — Sequente capite adducuntur vaticinia Malach 1, 10.11; Is. 28, 11; 65, 1.2; 53, 1; Deuter. 32, 21.22, ex quibus deducit pridictam fuisse reiectionem gentis iudaicae. His textibus adiungit Ps 44, 16 in quo videt praedictam fuisse virginitatem christianorum et Is. 60, 17 ubi sermo de futuro sacerdotio (c. 7 l.c p 821-23) — Porro comparat praedictiones Vet. Test. cum eadem re in doctrina Christi, provocans ad Malach 3, 3; 1 Cor. 3, 13; Ps. 49, 3-5; Mat 24, 27; Ps. 39, 7; 17, 45; 39, 10 Bar. 3, 38: His adiungit Deuter. 18, 18 et Is. 11, 10 (c 8 l.c p 823-24). Postquam Christus vitam clausit res eius maiores evaserunt. Disci-

puli eius post mortem ipsis regibus honorabiliores sunt. Imperatores piscatorum ostiarii facti sunt. Instrumentum supplicii factum est ornamentum coronae imperatoriae. Usus crucis tam frequens fieri potuit nonnisi virtute divina (c 9 l.c p. 824-26). - Crux hodie ab omnibus amatur quia non mortis, sed salutis est signum. Ita verificata est prophetia de sepulcro glorioso Messiae. Gloriosa est mors Christi propter propagationem eius doctrinae praedictam Is. 54,1; Jer 31, 32.34 (c 10 l.c p 826-27). Qui gloriae crucis auctor est ipse fiet mundi iudex praedictus Dan 7,13; Mal 3,2. Haec non sunt figmenta nostra, quia apud iudaeos leguntur, qui nec prophetis crediderunt nec miraculis. Haec caecitas non ex fato neque ex voluntate Creatoris sed ex corruptione hominum orta est. Non faciebant poenitentias propter multas monitiones prophetarum iudaei, propter unam monitionem sese emendaverunt Ninivitae. Non de doctrinae copia pendet conversio. Judas enim eam habuit plenissimam, sed de bona voluntate. Quapropter et gentes conversi sunt, cum iudaei obstinati manserunt. Hoc praedictum est Ps 17,46; Is. 53,1; 65,1;

Sed et ipse Christus futura praedicebat, quae eventu confirmata sunt (c 11 l.c p 827-29). Duplicia erant a Christo praedicta, quaedam ad hanc vitam referebantur, alia vero ad consumationem. Contra omnem probabilitatem praedixit indefectibilitatem Eclessiae (c 12 l.c p 829-30). Maxime vero miranda est haec pridictio cum consideratur difficultas articulorum fidei et enormis persecutionum crudelitas. Sed Deus ista effecit sua virtute supernaturali; ipse etiam excitavit virtutem, quae in persecutionibus gaudebat ex acceptis contumeliis (c 13 l.c p 830-32). - Ne parietem quidem aedificare possumus ex lapidibus et calce, si quis impedit; nunc vero in maxima persecutione aedificata est Ecclesia in universo orbe ex hominibus (c. 14 l.c. p 832-33). Ab adulatoribus inducebatur plurimi potentissimi imperatores ad persequendos christianos, nihilominus vani manserunt inimicorum conatus, nam Christus praedixit suae ecclesiae indefectibilitatem. Coelum praeterire potest verba Christi mutari non possunt. (c 15 l.c p 833-34). - Sicut hoc vaticinium Christi est stabile in omni tempore, a pri-

ma generatione ad consumationem saeculi, ita et alia, e.g eversio templi et Ierosolymae, quod templum numerosissimi et potentissimi iudaei restaurare non potuerunt. Iulianus Apostata aetate nostra restaurare voluit, sed ab igne a fundamentis egrediente impeditus est. Et quidem non defuerunt iudaeis opes. (c.16 l.c p 834-35)

Aderat necessitas, nam in alio loco sacrificia oferre non licet nec cultum Dei agere solemnem. Tamen non reconstruxerint templum. Praedixit hoc Daniel. Si post haec narrantur ab abostolis quaedam parum credibilia, faciliter credenda sunt, nam vaticinia prophetarum et Christi et propagatio fidei christianae demonstrant non fabulas narrari a christianis (c 17 l.c. p 835-38).

Ex tradito hic argumento libri contra Graecos et iudaeos patet eum dirigi potius contra gentiles, licet utatur auctoritate maxime agnita apud iudaeos. Itaque patet Chrisostomum considerasse vaticinia prophetarum non tam effata auctoritatis, quam potius censuisse ipsum factum adimpletae

praedictionis esse indicium divinitatis.

Divinitatem religionis christianae initio libri Chrysostomus probat ex mira propagatione Ecclesiae, deinde transit ad vaticinia et iterum redit ad argumentum divinitatis christianismi ex mira propagationis celeritate. Itaque argumentum propheticum inclusum est in medium argumentum propagationis. Adductis ex V. Testamento locis Chrysostomus nonnisi brevissimas addit explicationes, saepe enucleat eorum sensum sublineando singulorum verborum significationem. Haec res non obstat brevitati suae exegeseos, brevitas autem id effecit, ut numerus locorum V.T. colligeretur maximus non obstante brevitate libri. Vix enim adest aliquis messianicus locus in V.T. qui non est citatus a Chrisostomo.

Cognitio perfecta Scripturarum, quam Ioannes acquisierat vitam agens eremiticam praeclare prodit in hoc libro contra iudaeos et graecos.

Dispositio materiae in hoc libro laborat, quibusdam digressionibus et repetitionibus, toto collo tamen melior est quam in libro „In s. Babylam". Studium systematice ordinandi

prophetias messianicas manifestum est.

Merita s. Ioannis in historia theologiae fundamentalis non consistunt in solis duobus recensitis opusculis. Nam scripsit Chrysostomus homilias in s. Mattheum, ibique explicavit verba Christi, quibus primatus s. Petro datur. In aliis etiam locis doctrinam de primatu Romani Pontificis tam professus maximus Orientalis Ecclesiae Doctor est, eamque doctrinam in fatis suae vitae manifestavit et comprobavit.

Si consideratur moles apologeticorum Chrisostomi librorum, ea non multo est minor quam moles apologiarum saec. II, non potest tamen in serie apologetarum Chrysostomus poni ac Aristides aut Iustinus, quia hi iam praecesserunt illum et Chrysostomus, antequam accingeret se ad scribendum iam habuit opera Eusebii Caesareensis in quibus copiosissima materia fuit collecta eximiis vaticiniis illustrata.

Multum contulit Chrysostomus ad evolvendam methodom defendendae fidei cum initio libri adversus Iudaeos et Graecos tria posuit principia apologetica, sc. imprimis ut defensio fidei incipiatur inventa

communi aliqua veritate, quae agnoscitur ab utraque parte, christianis nimirum et eorum adversariis; porro ut apologia fidei sit brevis, quae commode legi possit etiam ab iis, qui negotiis quottidianis detenti non habent tempus ad percurrenda magna volumina; tandem ut sit clara, quae intelligi possit ab omnibus hominibus etiam ab iis, qui carent magna cultura intellectus.

In suis operibus apologeticis s. Ioannes quasdam ingeniosas sententias protulit, quae postea multo commodo fuerant apologetis. Ipse, ni fallor, primus indicavit differentiam inter thaumaturgos et Christum in eo sitam esse, quod illi non potuerunt suis discipulis communicare vim faciendi prodigia, Christus autem miraculorum charisma et apostolis et apostolorum discipulis ac martyribus concessit. Item Chrysostomus clarius caeteris exposuit difficultates, quas vincere debuit religio christiana ut propagaretur; ipse manifestavit effecti magnitudinem non fuisse correspondentem infirmitati mediorum visibilium, quibus

apostoli utebantur ad christianismum propagandum. A Chrysostomo discimus comparationem inter christianismum, qui mediis in persecutionibus crescit et ethnicismum qui sine persecutione delabitur.

Valorem operum s. Chrysostomi auget elegantia styli, qua maxime excellent.

Editiones et commentaria.

Opera s. Joannis Chr. tam frequenter transcribebantur, ut magnus numerus antiquorum codicum manuscriptorum manserit. Etiam editiones criticae non possunt attendere ad omnia manuscripta, in quibus opera s. Chrysostomi leguntur. Omnium operum s. Joannis editionem typicam fecit Fronto Ducaeus (Fronton de Duc) S.J. sacerdos Parisiis 1609-1633. in 12 voluminibus graece et latine. Haec editio variis in urbibus repetita est. Aliam editionem paravit anglicanus Saviles, quae prodiit in Eton prope Windsor an 1612 in 8 voluminibus. Haec ed. habet solum graecum textum. Porro B. de Montfaucon O.S.B. maurinus graece et latine edidit Parisiis in 13 vol. an. 1718-38. Haec ed. etiam multoties repetita prodiit apud Migne Patrol. Graec. vol. XLVII-LXIV, sed nonaginta ho-

milia in vol. LVII et LVIII inclusae reproductae sunt iuxta editionem Field, qua prodiit Cambridge et Oxford 1839-1855.

A. Neander, Der Heilige Joannes Chrysostomus und die Kirche, besonders Orients, in dessen Zeitalter. Berlin 1821- 2 ed. 1832 3 ed. 1848 et 1858.- E. Martin S. Jean Chrysostome ses oeuvres et son siecle. Montpelier 1860-3 vol. - A. Puech S. Jean Chrysostome, Paris 1900 - S. Haidacher, Die Lehre des hl. Johannes Chrysostomus über die Schriftinspiration. Salsburg 1897. - O. Bardenhewer, Johannes Chrysostomus der heilige (in Kirchenlexicon 2 ed. 1889 an. vol VI 1611-1640 idem ab eodem in Patrologie. Freiburg im Breisgau 1901 p. 282-305. - Batiffol, La litterature grecque 1897 p. 240-247. - J.B. Bergier, Histoire de St Jean Chrysostome. Paris 1856 - R W Bush. The life and times of Chrysostom. London 1885. V. Chrilesotti. Le novanta omelie del Chrisostomo sopra il Vangelo di s. Matteo lerzioni sei Bassano 1850 - Elzer, Der hl. Chrysostomus und die Philosophie (Theologische Quartalschrift LXXVI 1894 p. 550-576. - S. Hello, St Jean Chrysostome (Revue du monde catholique XXVI 1869 356-371).

J.S. Weickhmann. Chrysostomum testem summae Iesu redeuntis in (mundum) vitam divinitatis

locupletissimum producit. Wittembergae 1771.

Anonymus (S. Zocchi), S. Giovanni Crisostomo nel XV centenario della sua morte. (Civilta Cattolica 1907, IV. 519-534) Chr. Baur, St Jean Chrysostome et ses oeuvres dans l'histoire litteraire. Paris 1907, p XII + 312. Fontemoigne 5fr. — Des Chrysostomus Jubiläumsfeier (Studien und Mitteilungen aus dem kirchenhistorischen Seminar der theol. Facultät) Wien 1908. — Χρυσοστωμικά. Studie ricerche intorno a s. Giovanni Crisostomo a cura del comitato per il XV centenario della sua morte. Roma Pustet 1908. — Papadopulos Chr. Ὁ ἅγιος Ἰωάννης Χρυσόστωμος ὡς πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως (~~Ἕλληνης~~) (Ἐκκλησιαστ. φάρος 3,49-74). Ultimis hisce temporibus multi eruditi occupantur in colligendis fragmentis operum s. Joannis Chrysostomi non solum in lingua graeca conservatorum, sed etiam in linguis orientalibus dispersorum. Item plurimi scriptores tractant de eius eloquentia, nonnulli de sua doctrina de Eucharistia, de rebus socialibus et moralibus, de principiis pedagogicis. Inter plurima opera mentionata a Bardenhewer (Patrologie p. 301-305) et Chevalier (Repertoire de sources historiques du Moyen Age vol II col. 2387-2391) et in quinque ultimis annalibus Theologischer Jahresbericht nullum inveni opus aut dissertatiunculam, quae tractaret de s. Joanne Chrysostomo tamquam apologeta.

S. Cyrillus Alexandrinus.

In synodo ad Quercum 403 an. Constantinopoli Theophilo Alexandrino aderat socius suus nepos Cyrillus, cuius parentes numerabantur inter honorabiles et opulentos cives alexandrinos. Annus nativitatis Cyrilli ignotus est, similiter desunt notitiae de eius iuventute. Ex communi more assumendi ad episcopatum praecipue coenobitarum discipulos et ex paterna scribendi ratione, quae manifesta est in epistolis eremitae Isidori Pelusiotae ad Cyrillum conicere licet hunc saltem aliquo tempore fuisse coenobitarum discipulum

Anno 412 die 15 octobris mortuus est Theophylus Alexandrinus. Tribus diebus post se 17 aut 18 eiusdem mensis Cyrillus electus est episcopus alexandrinus. Historicus Socrates fere sola ea refert ex eius operibus episcopalibus, quae sibi potius vituperio quam laudi esse possunt. Cum partialitas historici manifesta est etiam narratorum credibilitas non est a dubio aliena.

Cyrillus dicitur expulisse novatianas et iudaeos Alexandria, eorum bona fisco ecclesia-

stico adiunxisse, ecclesias vero et templa mutasse in ecclesias catholicas. Certa sunt discidia inter Cyrillum et praefectum urbis Orestem. Contra hunc seditionem moverunt monachi atque unus occisus est. Hunc Cyrillus dicitur martyribus adnumerasse, sed postea melius informatus de re ex numero sanctorum expunxisse. Cyrillo ecclesiam alexandrinam regente parabolani (aegrotorum custodes) occiderunt philosopham Hypathiam. Sed episcopus huic neci omnino non consentiebat. Haec omnia facta sunt inter annos 412-416.

Anno 417 Cyrillus instante Isidoro Pelusiota accepit nomen s. Ioannis Chrysostomi in dyptícha. Anno 418 a romano pontifice Zozimo accepit litteras, quibus haeresis pelagiana damnabatur. Morem sui patrui secutus Cyrillus quotannis edebat litteras pastorales ad indicandum tempus Paschae, quibus etiam admonitiones morales inserebat. Pulcherrimae sunt epistolae homiliae ex annis 419-420.

Ab anno 420 Cyrillus indignabatur contra eos qui naturas Christi ita separabant, ut nonnisi unio moralis subsisteret. Anno vero 428 Nestorius, qui antea erronea de incarnatione docebat factus est episcopus Con-

stantipolitanus. Hic coepit asserere Mariam iniuste Dei Genitricem vocari. Monachi venientes ex eremo Alexandriam ad festa paschalia dixerunt Cyrillo errores Nestorii etiam coenobia penetrasse. Quapropter Cyrillus scripsit epistolam dogmaticam „Ad monachos Aegypti."

Epistola haec pervenit ad notitiam Nestorii cuius errores celebrantur in ea suo nomine non mentionato. Quidam nuntiaverunt Cyrillo Nestorium esse offensum, quapropter Cyrillus scripsit ad eum litteras pacificas. Nestorius superbum dedit responsum et malas historias de Cyrillo coepit spargere. Cyrillus scripsit alteram epistolam, in qua clare et lucide exponebatur orthodoxa doctrina. Nestorius eodem spiritu respondit sicut et prima vice, nec (nec) cessabat spargere suos errores. Ad eos cohibendos Cyrillus scripsit ad Acacium episcopum Beracensem, qui sua venerabili auctoritate uteretur ad defendendam veritatem scripsit etiam ad imperatorem Theodosium II. Papa Coelestinus I rogabat Cyrillum ut se certiorem redderet de novitatibus constantinopolitanis, sed Cyrillus non statim respondit. Romam scripsit et Nestorius Anno 430 Cyrillus misit Romam diaconum

Posidonium cum epistola, in qua describebatur tota contentio Cyrilli cum Nestorio. Mense augusto eiusdem anni Coelestinus celebravit Romae concilium, in quo novitates Nestorii damnatae sunt. Nestorio iniungebatur retractatio doctrina spatio decem dierum a recepta epistola sub poena excommunicationis. Exsecutio sententiae committebatur Cyrillo Alexandrino. Cyrillus convocavit episcopos Aegypti et in synodo redegit epistolam ad Nestorium, in qua exponebatur vera doctrina de Christo. Hanc epistolam transmisit Nestorio una cum sententiae synodi romanae. Nestorius sese non submisit, sed quaerebat defensorem imperatorem Theodosium II, qui concilium universale convocare statuit Ephesi 430 anno.

Synodus coepta est 22 iunii 431 anno praesidente Cyrillo tamquam Coelestini legato. In concilio deerat Ioannes Antiochenus cum episcopis suae provinciae. Hic enim favebat Nestorio. Meritis Cyrilli factum est ut Nestorius damnaretur et excommunicaretur. Quinque diebus post venit Ioannes Antiochenus et noluit agnoscere sententiam synodalem; imo aliud ibi

init conciliabulum sub auspiciis magistratuum imperii. Conciliabulum decrevit ut Cyrillus deponeretur simul cum Memnone episc. Ephesino. Imperator utrumque a conciliabulo depositum episcopum iussit in carcerem mitti. In carcere Cyrillus scripsit explicationem anathematismatum a concilio Ephesino approbatorum. Dissidium tantum factum est, ut imperator defensores utriusque partes advocavit Chalcedonem. Utraque parte audita Theodosius iussit Nestorium deponi, Cyrillo vero libertatem reddidit.

Finem vitae suae Cyrillus transegit in reconciliandis partibus Ioannis Antiocheni caetorumque Nestorii fautorum cum Ecclesia orthodoxa. Hi labores optimos attulerunt fructus. Ioannes non solum ipse factus est orthodoxus, sed et alios ad orthodoxiam reducebat. Tandem Cyrillus mortuus est an 444.

Licet vita Cyrilli valde fuerit activa ipse tamen plurima scripsit opera, quae solent dividi in quattuor classes, sc. exegetica, dogmatica, homilias et epistolas. Ad quintam classem pertinet solus liber contra Iulianum sub titulo Ὑπὲρ τῆς τῶν χριστιανῶν εὐαγοῦς θρεσκείας πρὸς τὰ τοῦ ἐν ἀθέοις Ἰουλιάνου

(De sancta christianorum fide contra opera Iuliani atheorum principis.)

Supra memoravimus opus Iuliani apostatae, quod inscribebatur „Contra Evangelia et Christianos," quod constabat tribus libris. Hoc opus videtur non cessasse suum nefastum influxum usque ad saec. V, nam Cyrillus scribit: „Cum igitur egregius Iulianus mira naturae munere facundiā polleret adversus communem omnium nostrum Salvatorem linguam exacuit, tresque libros contra sancta Evangelia et venerandum Christianorum cultum composuit, quibus et plurimos concussit et non mediocre fidei detrimentum importavit. Nam leves et mobiles facile in eius errorem prolabuntur atque in dulcem daemonibus praedam cedunt. Nonnunquam et commoventur ii, qui a fide nusquam exorbitarunt, existimantes eum sacras et divinas Scripturas nosse, quod multa ex eis testimonia, licet non intelligens quae dicat, suis scriptis et dissertationibus interserit. Quandoquidem vero complures gentilium, ut in Christianum aliquem inciderunt, sursum ac deorsum multa deblaterantes, obtendunt eius scripta tantamque illis eloquentiae

vim inesse iactant, ut nemo unquam nostrorum doctorum ea refellere potuerit aut evertere." (S. Cyrilli alex. ep. acclamatio ad religiosissimum Christoque addictissimum imperatorem Theodosium. Migne P.G. LXXVI, 507.)

Haec satis longa Cyrilli verba ideo citavi ex dedicatione operis Theodosio, quod ex eis patent causae, quae Cyrillum moverunt ad Iulianum refutandum. J. Mahé censet opus Cyrilli prodiisse post an. 433 post pacem sc. cum Ioanne Antiocheno initam. Haec assertio fundatur in epistola Theodoreti 83, quae edita est apud Migne P.G. LXXXIII, 1273. (Vacant-Mangenot, Dictionaire de theologie catholique III 2496) Opus Cyrilli ad nos pervenit mancum, nam conservati sunt decem libri priores, qui solum primum librum Iuliani refutant. Ex secunda libri parte sc. ex libris 11-20 nonnisi quaedam fragmenta extant.

„Totum vero opus probabiliter triginta libros continebat (Das Ganze hat wahrscheinlich dreissig Bücher umfasst.), ait Bardenhewer (Patrologie Freiburg. Herder 1901 p. 318, 319.)

Sicut in caeteris suis libris polemicis, ita et in hoc opere Cyrillus constan-

tem sibi sequitur methodum, imprimis verbotenus citat adversarium, deinde analysi subiicit eius sententias refutando eas. In 10 libris contra Iulianum Mahé computavit 70 locos ex primo libro Iuliani a Cyrillo citatos et refutatos (Dictionnaire de theol. cath III 2496)

In quibusdam suis operibus Cyrillus profitetur se esse ignarum rerum profanarum. Hoc tamen est potius humilitas quam veritas, nam contra Iulianum Alexandrinus Antistes plurima colligit testimonia philosophorum: Platonis nempe et Aristotelis Alexandri Aphrodisiastae, Porphyrii, Plotini, Pythagorae, Xenofontis, Plutarchi necnon poetarum Homeri Hesiodi Pindari, Sophoclis, Euripidis, historici Herodotis et aliorum.

Argumentum operis iuxta Mahé est sequens: Liber I. Moises est antiquior omnibus philosophis graecis, omnia vera, quae ab his dicta sunt de Deo et de creatione de fonte mosaico proveniunt, nam ex se ipsis sola rationis lumine philosophi nunquam potuerunt talia invenire. Liber II. Hebraei verum unum Deum adorabant, graeci vero non excogitaverunt viri fabulas monstrosas, quapropter christiani ab his sese verterunt ad illos. – L. III Exponitur historia creationis, colloquium Hevae cum serpente et peccatum protoparentum, quem lapsum Deus permisit, ut occasio fit incarnationi Lib. IV Mundus a solo Deo creatus, ab eo solo gubernatur nemine adiuvante. Neque Deus neque natura necessario hominem compulit ad bonum vel malum. In ipsa creatione adumbrabatur Sanctissima Trinitas in verbis: „Faciamus hominem ad imaginem nostram". Lib V agit de decalogo. Legislatores gentium bonas leges acceperunt a Moise, quia natura sua homo non est capax ad cognoscenda bona. – Lib VI Maximi quinque gentilium philosophi vitiis indulgebant Divinitas Iesu probatur miraculis eius; signum crucis maxima virtute pollet. Adoramus Verbum caro factum, sed non eodem modo colimus sanctos martyres. S. Ioannes neque primus neque solus est testis divinitatis Iesu Christi. – Lib. VII Non minus quam apud graecos aderant viri celeberrimi in variis vitae generibus etiam apud hebraeos, quorum magnitudo animi non cedit virtuti heroum graecorum. Lex antiqua erat praeparatio legis novae seu via ad cultum Dei spiritualem, quapropter

Antiquum Testamentum non erat perfectum ac ideo christiani acceperunt perfectiorem quam iudaei legem novam. Baptisma, quo christiani efficimur non est institutum ad medendum corporibus, sed ad sanandas animas. — Lib VIII Soli christiani sunt veri filii Abraham, nam ei soli iustificati sunt fide in Christum. Divinitas Verbi non est diminuta ideo, quod carnem assumsit humanam neque passa est divinitas. — L. IX Moises pluribus in locis praenuntiat Filium Dei: haec erat figura illorum temporum, nunc autem christiani possident eum realiter. L. X S. Ioannes praedicando Christum esse Deum non contradicit sibi, licet eum dicat esse hominem. Nam Verbum incarnatum esse simul Deum et hominem credimus; quapropter vana est obiectio Iuliani

Varia doctrinae capita quae ad theologiam fundamentalem spectant non solum in opere adversus Iulianum inveniuntur, sed etiam leguntur ubique in suis libris dispersa. Quod maxime dicendum est de eius doctrina de Deo. S. Pauli exemplum secutus s. Cyrillus existentiam Dei demonstrat ex ordine

et pulchritudine universi (Contra J. l. II, III; Migne LXXVI, 577, 625, 654.) Imo etiam innata est quaedam in animis nostris proclivitas ad cognoscendum colendumque Deum ac ei serviendum (νόμος ὁ ἐν ἡμῖν τῆς ἐμφύτου θεογνωσίας — lex quaedam nobis innata cognitionis Dei: Glaphyres in Genesim l. I; Migne P. G. LXIX, 36. Item Contra Jul. l. IV Migne LXXVI, 688.)

De Deo nonnisi difficillime loqui possumus sicut oportet, quia natura divina multo excedit nostram facultatem cognoscendi (Contra Jul. l. I; Migne P. G. LXXVI 548-552). Itaque necessitate adstringimur ad utendum imperfecto nostro sermone humano, cuius verba ad appellandum Deum usitata „non indicant essentiam suam; haec verba potius indicant id quod Ipse non est, seu relationem Eius ad terminum distinctum ab Eo" (Liber thesauri de sancta et consubstantiali Trinitate ass. 31; Migne P. G. LXXV, 452. Item contra Julianum l. V; P. G. LXXVI, 764) Tamen etsi non possumus penetrare et comprehendere essentiam divinam, nihilominus non licet nostram scientiam de Deo dicere esse falsam. Imperfecte quidem Deum cognoscimus, sed non erronee. (Liber Thesauri l. c.) Cum autem intellectus noster neque nobis suppeditare omnia quae iuste desideramus

scire de Deo, oportet scrutare Scripturas, ubi legitur Deum esse potentem, bonum, iustum, aeternum immortalem, incorruptibilem (In Joannem VIII, 55; Migne P.G. LXXXIII 228) Dominatio Dei est universalis (In Amos V, 7. Migne P.G. LXXI 493.) Voluntas Dei omnia gubernat, nihil ab ea est exemptum, nihil ei subtrahi potest aut resistere. Sua providentia extenditur ad omnia et dirigit omnia minimis quibuscumque non exceptis (Contra Julianum III, V; Migne P.G. LXXVI, 653, 764). Deus omnia noverat a principio usque ad finem (ἐξ ἀρχῆς μέχρι τέλους), quae omniscientia Illi soli competit. (In Isaiam XLIII, 9; Migne P.G. LXX, 893). Ab ipsa aeternitate Deus omnia novit, etiam abditissimas cogitationes internas atque futuros eventus. (Liber Thesaur. ass 15; Migne P.G. LXXV, 292. Item in Joannem VI, 72; Migne P.G. LXXIII, 632.) Deus non habet opus ratiocinio neque attentione (Contra Jul. I, I; Migne P.G. LXXVI, 536) Infinite distat creatura a Deo tamen nulla dantur intermedia, quodcumque enim non est Deus, est creatura (In Joannem I, 3; III, 31. Migne P.G. LXXIII 80, 272.) Opera Dei saepissime impenetrabilia sunt nobis; et nos non debemus quaerere rationes a Deo. Creavit Deus Adamum quamquam noverat eum peccaturum, elegit Judam quamquam noverat proditurum.

Talia mysteria voluntatis Dei debemus adorare in silentio (In Joannem XIII, 18; Migne P.G. LXXIV, 128.) Doctrina Cyrilli de homine sequentibus comprehendi potest iuxta J. Mahé. Creatio universi est praeparatio domicilii hominis, qui ultimus est creatus corona creaturae. (Migne P.G. LXIX, 20; LXXV, 281; LXVIII, 148). Deus dedit homini corpus materiale et animam spiritualem (LXVIII, 1) 876; LXXIII, 160, 744) Ipse fecit eum rationalem ut posset homo pulchritudinem creaturae percipere et cognoscere Creatorem (LXIX, 20; LXXVI, 636.) Homo est liber ac dominus suarum actionum, quapropter aptus est meriti (LXIX 20; LXVIII, 145) Deus creavit hominem perfectum, felicem a concupiscentia liberum, scientem omnia sibi scienda, non adstrictum ad discendum successive cum labore (LXXVI, 636, 641) Homo creatus est ad imaginem et similitudinem Dei, sapiens virtutibus plenus rex universi, donis supernaturalibus ornatus. (LXIX, 20; LXXVI, 1081; LXXIII, 204). Natura hominis sicut et caeterarum creaturarum corporum est corruptibilis, sed Deus infudit ei Spiritum divinum, qui eam vivificaret et faceret incorruptibilem. (LXIX, 20; LXXVI, 637; LXXIII, 160) Anima est multo superior corpore (LXXVII, 804), sed ipsa non est spiritus ille divinus qui insufflatus

1) His et in sequentibus iam censeo omittendam esse „Migne Patrologia Graeca". Numerus latinus significat volumen huius Patrologiae, numerus vero columnas columnarum.

fuit homini in momento creationis, nam haec insufflatio nihil aliud erat quam ipse Spiritus Sanctus. (L XVIII, 148; L XXIV, 277.) Anima non generatur a corpore, sed a Deo unitur corpori ex matre nato. (L XXVII, 22.) anima non praeexistebat in coelo sicut Origini videbatur L XXIII, 132-145; L XXVII, 373. L XXIV, 796), neque peccavit antequam corpori uniretur (L XXIII, 956). Hoc doctrinae caput, licet magis ad theologiam dogmaticam pertineat, censui esse referendum ideo, quod confert ad cognoscendas sententias Cyrilli de psychologia humana, quae a multis recensetur inter obiecta theologiae fundamentalis.

Magis directe ad hanc disciplinam nostram pertinet doctrina Cyrilli Alexandrini de Ecclesia, quam ipse dixit esse matrem fidelium, veram Christi sponsam (L XXI, 120; 92. 93), novam Jerusalem, veram Christi cunam (L XXI, 389. 209), navem quae undis huius saeculi iactatur, transvehens fideles in patriam sanctorum. Haec navis non timet procellas (L XIX, 1264). Ecclesia instituta est a Christo, qui est unus lapis angularis (L XX, 968), ipsa est fundata supra fidem Petri (L XXV, 868), qui constitutus est pastor fidelium (L XXII, 424). Apostoli sunt lapides fundamenti, supra quibus aedificati sunt fideles [illegible]

propagata est ecclesia in toto orbe terrarum (L XX, 1368), imprimis inter Judaeos, deinde inter gentes qui alacrius hanc doctrinam receperunt. (L XIX, 208; L XXIII 864). Initia ecclesiae parva fuerunt sed ipsa crevit celeriter (L XVIII, 293). Eam persequebantur et homines et daemonia (L XXI, 760), sed persecutiones hae causa fuerunt augmenti eius (L XX, 1372). Ecclesia semper vincet suos adversarios, licet fortissimos; ea est indefectibilis, quia Christus promisit victoriam de portis inferni (L XXI, 405; L XX, 569.) Sicut unus est Christus, una fides, unum baptisma, ita una est Ecclesia. Omnes fideles debent vinculo eiusdem fidei uniri. Haeretici, qui ab hac unitate discedunt, sibi ipsis interitum parant (L XIX, 552). Doctrina de unitate maxime clare prodit in opere "Quod unus est Christus" (L XXV, 1256). Ecclesia est apostolica, quia unum ministerium apostolis succedit, atque doctrinam praedicat apostolicam (L XVIII, 948, L XX, 805). Ecclesia est catholica, nam sua templa disseminata in toto orbe terrarum (L XX, 1193), omnes gentes vocantur ad intrandum in eam, sed nemo debet vi compelli in eam (L XX, 1336; L XXIV, 948). Ecclesia est sancta (L XX, 1369, 1373) et fons omnium gratiarum (L XXI, 405), necessaria ad obtinendam salutem (L XX, 1336). In omnibus maioris momenti negotiis recurrendum est ad episcopum romanum (L XXIV, 284

„Toute la conduite de Cyrille dans la controverse nestorienne est une preuve indiscutable de la croyance à la primauté du pape" ait I. Mahé (Tota agendi ratio Cyrilli in causa Nestorii indubitanter probat illum credidisse primatum papae. Vide „Dictionnaire de la theologie catholique. Paris Letouzey et Ané III vol. 1908, col 2578).

Hierarchiam Ecclesiae s. Cyrillus Alexandrinus docet constare episcopis, presbyteris, diaconis (LVIII, 848). Sacerdotes vigilare debent ut cultus Deo reddendus sit dignus Creatore (LXXII, 272) officium sacerdotum est praedicare mysteria divina omnibus fidelibus mulieribus non secus ac viris (LXXIII 347), nulla res satis gravis est, quae possit eos ab hoc officio avertere (LXX, 85) Neophytae non debent sacerdotis initiari (LXXIII, 240, 316). Ante ordinationem episcopus debet diligenter inquirere in vitam candidati, nam necesse est solos illos ordinare, qui digni sunt (LXXVII, 365.)

Gloria et auctoritas Cyrilli Alex. tanta fuit, ut haeretici vellent sua placita Cyrilli nomine tegere. Sic Eutyches 448 in synodo Constantinopolitana provocat ad opera s. Cyrilli, item monotheletae s. VII utebantur terminis suis. Catholici autem orthodoxi non permiserunt auctoritatem sancti patris in detrimentum fidei verti. Flavianus Constantinopolitanus probavit Cyrillum Eutychio non favere. S. Leo papa,

episcopi synodi Constantinopolitanae 448, imperator Theodosius II et omnes orthodoxae fidei defensores et citare opera Cyrilli consueverant et eorum orthodoxorum vindicare. Quintum concilium oecumenicum (553 an) s. Maximus Confessor et alii monothelitarum adversarii utebantur, profitebantur doctrinam Cyrilli, qui maxime propugnans unitatem personae Christi non negabat duplicem naturam nec duplicem voluntatem.

Tamen in Occidente Cyrillus minus notus erat quam in oriente, ac proinde in occidente rarius sua auctoritas interpellabatur, quam in occidente. S. Cyrillus Alex. pertinet ad maximos doctores Ecclesiae catholicae praesertim orientis. I. Mahé censet eum esse eiusdem ordinis ac sanctum Athanasium et Augustinum (Diction. de theol. cath. III 2526) Nota Cyrilli characteristica est suus continuus usus provocandi ad actoritatem Scripturae sacrae ac traditionis divinae. Anastasius Sinaita, a. dentissimus saeculi VII defensor orthodoxiae vocavit Cyrillum σφράγις τῶν πατέρων (sigillum patrum). Maxima merita Cyrilli sunt in defendenda et declaranda doctrina de incarnatione. In quaestionibus autem ad theologiam fundamentalem pertinentibus Cyrillus Alex. non potest comparari maximis apologeticis, tamen sua

merita notabilia sunt propter opus contra Julianum maximus autem pondus suum, quod etiam ad hanc diem integrum manet, consistit in clara doctrina de primatu Romani Pontificis.

Editiones operum s. Cyrilli Alexandrini.

Antiquissima omnium operum Cyrilli editio facta est ab Aubert, canonico Parisiensi 1638 in sex voluminibus. Cardinalis Mai edidit quaedam fragmenta incognita. Migne reproduxit editionem Auberti fragmentisque Mai auxit. Haec editio in Patrologiae Graecae cursu completo occupat tomos LXVIII – LXXVII ac prodiit Parisiis 1859. Notissimus professor regius Ph. Ed. Pusey praeparabat editionem operum Cyrilli, sed opus ad finem non perduxit, morte impeditus. Edidit quaedam singula opera Cyrilli. K. J. Neumann edidit „Scriptorum Graecorum qui christianam impugnaverunt religionem quae supersunt" Lipsiae 1880. In hac editione prodierunt fragmenta Juliani Apostatae. In hac editione in paginis 42-63 adiuncta sunt „Cyrilli Alexandrini librorum contra Julianum fragmenta syriaca, edidit E. Nestle. Ibidem in paginis 64-87 sunt „Cyrilli Alexandrini librorum contra Julianum XI-XX

fragmenta graeca et syriaca latine reddita" disposuit C. J. Neumann. Adsunt editiones partiales recentiores et recentissimae (1909 an.). Sat multae, quae tamen ad nos non pertinent cum tradent opera S. Cyrilli non apologetica.

Commentaria. Photius, Bibliotheca codices 49, 54, 136, 169, 229, 230; Marius Mercator, editio Baluze. Paris 1684. - Tillemont, Memoires pour servir à l'histoire ecclésiastique des six premiers siècles, Paris 1709. t. XIV p. 267-676, 747-795. Caillier, Histoire générale des auteurs sacrés t. XIII, 241-407; J. Mahé, Cyrille, patriarche d'Alexandrie (in Vacant Mangenot. Dictionnaire de théologie catholique, tome III. Paris Letouzey et Ané 1908 col. 2476-2527.) - Copiosam rem litterariam de Cyrillo invenies apud Ulisse Chevalier, Repertoire de sources historiques du moyen-âge. Bibliographie. t. I. Paris Picard et fils 1903-1904 col. 1094, 1095 unde sequentia desumimus: Acta Sanctorum. Bolland 1643, ianuari. II 843-854. (3a III 459-470.) - Natalis Alexander, Historia Ecclesiastica 1778 vol. V. 197-204. - Baronius, Annales 1593 multoties. - P. Batiffol, Literature Grecque 1897, 308-313. - Jos. Kopallik, Cyrillus von Alexandrien, eine Biographie nach den Quellen bearbeitet. Mainz 1881. - Theoph. Rutka, S. Cyrillus patriarcha alexan-

drinus summi pontificis romani Caelestini in concilio Ephesino vicarius, idemque Spiritus S. propugnator. Lublini 1692 in 4° p. 20-233. To samo przetłumaczone na polski przez autora w Lublinie 1697 str. 235 in 4°. - Annis 1908 et 1909 aut nihil de s. Cyrillo prodiit, aut saltem non est notatum in Theologischer Jahresbericht.

Theodoretus episcopus Cyrensis.

S. Cyrillo Alexandrino fortissime restitit valde doctus episcopus Cyri Theodoretus. Hic natus fuit Antiochiae 386-390 aut 393 anno ex nobilibus parentibus, educatus fuit a monachis suae civitatis natalis. Magistrum habuit s. Joannem Chrysostomum et Theodorum Mopsvestenum. Socios in schola habuit Nestorium celeberrimum haeresiarcham et Joannem qui postea fuit episcopus ~~Alexandriae~~ Antiochiae et aliquo tempore s. Cyrilli Alexandrini adversarius. Anno 423 Theodoretus factus est episcopus Cyri, parvi oppidi in provincia Hierapolitana, prope Antiochiam. In episcopatu Theodoretus magno zelo adlaborabat haereticis convertendis. Anno 449 scribebat s. Leoni I.: „Divina mihi cooperante gratia, supra mille animas Marcionis morbo liberavi, multasque alias ex Arii et Eunomii partibus ad Christum Dominum perduxi. Et octin-

gentarum ecclesiarum pastoralem curam sortitus sum, tot enim Cyrus habebat paraecias, in quibus precum vestrarum auxilio lolium nullum relictum est, sed omnibus haereticis erroribus grex noster ereptus est". Epistola 113 (Τῆς θείας μοι χάριτος συνεργησάσης πλείους μὲν ἢ χιλίας ψυχὰς ἠλευθέρωσα τῆς Μαρκίωνος νόσου, πολλοὺς δὲ ἄλλ ἐκ τῆς Ἀρείου καὶ Εὐνομίου συμμορίας προσήγαγον τῷ Δεσπότῃ Χριστῷ καὶ ἐν ὀκτακοσίαις Ἐκκλησίαις ἔλαχον ποιμαίνειν τοσαύτας γὰρ ἡ Κύρρος παροικίας ἔχει, ἐν αἷς οὐδὲ ἓν διὰ τὰς ὑμετέρας εὐχὰς μεμένηκε ζιζάνιον· ἀλλὰ πάσης αἱρετικῆς ἠλευθέρωται πλάνης τὸ ἡμέτερον ποίμνιον. Migne P. G. LXXXIII, 1316.)

Theodoretus eminebat caeteris non solum zelo, sed et scientia ac eruditione. Tamen ipse nimis imbutus erat nocivis et periculosis sententiis scholae Antiochenae, cuius magister quondam erat Paulus Samosatenus. His antiochenis sententiis maxime opponebatur doctrina Cyrilli Alexandrini, quam Theodoretus putavit esse erroneam et, pro suo zelo erga unitatem fidei impugnare coepit fortissime.

Nestorio in Concilio Ephesino damnato Theodoretus sententiae, contra suum condiscipulum latae se non subiecit. Pace inter Cyrillum et orientales inita 433 anno, Theodoretus pactionibus

consentire noluit, sed adlaboravit conficiendae formulae unionis fidei, quam probabiliter ipse exaravit. Anno 435 Joannes Antiochenus, pace cum Cyrillo inita non urgebat Nestorii fautores, ut suae damnationi assentirent, quapropter tunc et Theodoretus unioni sese addixit. Sed brevi post ortus est monophysitismus, cuius errores vel maxime adversabantur fidei et sententiis Theodoreti. Episcopus Cyrrensis fortiter coepit refutare monophysitas, quapropter passus est persecutionem. Dioscoro Alexandrino patriarcha agente in sic dicto latrocinio Ephesino Theodoretus depositus fuit. Imperator Theodosius II decretum depositionis confirmavit, Nestorii et Theodoreti scripta comburi iussit, Theodoretum expulit in confinia Apameae. Ex suo exilio contra iniustae depositionis sententiam Theodoretus apellavit ad episcopum romanum anno 449. Sanctus Leo I papa iniustitiam sententiae agnovit sed tranquillitatem Theodoreto reddere non potuit. Verum tamen 450 an. imperator Marcianus Theodoretum ex exilio revocavit et sedi Cyrrensi restituit.

Adfuit Theodorus in concilio Chalcedonensi an. 451 ibique sententiam damnationis in Nestorium subscripsit et hoc modo perfecta

fuius unio inter eum et magisterium Ecclesiae restituta est. Septem annis adhuc vixit Theodoretus curis pastoralibus suae dioecesis deditus et operibus edendis adlaborans. Mortuus est anno 458 in unione Ecclesiae.

Scripta Theodoreti possunt in sex classes dividi: apologetica, dogmatica, exegetica, historica, homilias et epistolas.

I. Garnerius (Garnier) affirmat anno 427 scriptum esse Theodoreti opus Ἑλληνικων θεραπευτικη παθηματων ἠ εὐαγγελικης αληθειας ἐξ ἑλληνικης φιλοσοφιας ἐπιγνωσις, scilicet Graecarum affectionum curatio, seu evangelicae veritatis ex gentilium philosophia cognitio. Opus hoc editum a Migne legitur in P. G. vol. LXXXIII col. 783-1152. Aliquot annis post Theodorus edidit Περι προνοιας λογοι δεκα – De providentia libri decem. Hi sunt editi apud Migne in eodem volumine col. 555-774.

Occasio scribendi Graecorum Affectionum curationem in proemio aperis ab ipso auctore indicatur. Quidam enim christianorum adversarii asserebant „nihil nos aliud quam meram credulitatem insinuare illis quos divinis rebus imbuendos accipimus; tum vero et apostolos inscitiae accusarent barbaros,

propterea nuncupantes, quod omni careant allocutionis ornatu; quin et ridiculum esse dicebant, quod honore martyres prosequamur, et insignis stultitiae servientes ab iis qui vita functi sunt ullum sibi commodum comparare contendant (Migne P. G. LXXXIII, 783, 784)

Harum et aliarum obiectionum solutionem Theodoretus proponet in duodecim libros divisam quorum argumentum ipse tradit in procemio. Optimum esse puto hoc argumentum vobis ipsius auctoris Zenobio Acciaolo interprete.

„Prima itaque disputatio de christianorum fide, apostolorumque iustitia respondet, argumentis submixta, quae de Graecis philosophis depromuntur. Secunda celeberrimorum apud graecos sapientum et eorum qui post hoc philosophi appellati sunt, de principiis rerum opinionem recensent, ac subinde Mosis, qui omnes illos antecessit, veram theologiam ex adverso constituens illorum mendacia falsitatemque refellit; Mosaicae vero doctrinae clarissimam veritatem ostendit. Tertia porro disputatio indicat cuiusmodi ea sint, quae Graeci de diis illis fabulantur, quos secundarios vocant,

qualia item quae de incorporeis, sec creatis naturis sacrae Litterae nos docent, ut hic quoque proposita comparatione appareat quantopere laudanda sint, quae nos pio cultu servamus, quamque abominabiles graecorum fabulae, quam turpes, quam putidae. Quarta autem disputatio circa rerum materiam mundumque versatur, ostenditque nostram de mundi origine sententiam magis rationi consentaneam esse, quam quae traditur a Platone, caeterisque philosophis. Quinta vero disputatio de natura hominis ~~dist~~ certamen suscepit, ostenditque super hac re graecorum christianorumque sententiis, docet quanta sit lucem inter ac tenebras differentia. Sextum disputationis locum sermo de Providentia sibi vindicat: par enim fuit ut caeteros sermones, qui de Deo creatisque a Deo rebus praecesserant, hic sermo sequeretur, qui Diagorae quidem impietatem refelleret, Epicurique blasphemiam et Aristotelis exilem de Providentia sententiam; comprobaret autem Platonis ac Plotini, caeterorumque qui cum illis sentiunt, de Providentia doctrinam: tum et rationibus ostenderat a natura petitis, hanc in mundi constitutione

spectari, singulisque in rebus, quae a Deo factae sunt esse conspicuam. Quia vero ostendendum etiam fuit superflua esse tot numero sacrificia, septima disputatio sibi hoc demonstrandum proposuit, philosophicis rationibus damnans gentium sacrificia, propheticis autem auctoritatibus docens quam puerilis fuerit legis iudaicae observatio. Octava illorum profert obiectiones qui nos accusant, quod honore martyres prosequamur, simulque defensionem complectitur philosophorum historicorumque ac poetarum testimoniis ostendens graecos non libamina solum, sed etiam sacrificia honorandis mortuis impendisse, quorum alios quidem deos alios vero semideos, heroes alios nuncuparent, eorumque plerosque magnis, dum vixerunt flagitiis inquinatos fuisse. Operae pretium me facturum existimavi, si cum celeberrimis apud graecos legumlatoribus nostros conferrem piscatores, inquam, et corriarium et publicanos, ut ex comparatione, quid inter se differant, innotescat, et quod illae quidem leges, una cum legislatoribus oblivioni ac tenebris datae sint; at piscatorum leges non solum apud graecos et romanos, sed apud

Scythas, Sauromatas, Persas, barbarosque illas nationes vigeant. Hanc vero comparationem nona complectitur disputatio.

Decima vero ostendit cuiusmodi illa fuerint, quae per divina oracula praedicta sunt, quam videlicet Deum decentia, quamque viris prudentibus consentanea, contra vero qualia illa fuerint, quae Pythius et Dodoneus aliique falsi vates gentium praedixerunt. In quibus et mendaces et futurorum ignari deprehensi sunt et talia vaticinati qualia nullus quidem, qui probus homo censeatur effari velit.

Cum vero et ignaros nosse conveniat quae ab ipsis, quaeque a nostris, de mundi fine indicioque doceantur, harum rerum doctrinam undecima disputatio lecturis suppeditat.

Sed et actuosae quoque virtutis

discrimen ostendendum putari, cum graecorum gentem de veritatibus philosophicis gloriari videam eorumque vitam laudibus efferre conari.

Quare duodecima disputatio vitam illorum non solum philosophis, sed laudatis quoque mancipiis indignam esse ostendit: cum apostolorum vita eorumque, qui apostolorum vestigia consectantur, humana conditione sit superior, iisque qui corporis vinculis exsoluti coelestes incolunt sedes persimiles" (Migne P.G. LXXXIII, 785–790)

De hoc opere Theodoreti Kihn (in Wetzer Welte's Kirchenlexicon 2 Aufl. XI Bd. 1534) dicit: "Das Werk gilt als die beste Apologie der alten Zeit" (opus hoc censetur esse optima apologia, quae antiquo tempore prodierit).

Idem repetit O. Bardenhewer:

„Theodoret schrieb die letzte und wohl auch die vollendetste der zahlreichen Apologien, welche das griechische Altertum hervorgebracht." (Theodoretus scripsit ultimam simul ac perfectissimam multarum illarum apologiarum, quas graeca antiquitas ediderit! – Patrologie. – Freiburg. – Herder – 1901 p. 327).

Ad hoc opus elaborandum Theodoretus usus est optimis apologiis anterioribus, praesertim vero Stromatibus Clementis Alexandrini et Praeparatione Evangelica Eusebii Caesarensis.

Anno probabiliter, 432 Theodoretus Antiochiae protulit decem sermones „De Providentia", quae postea in scriptis prodierunt.

Argumentum operis patet ex inscriptionibus singulorum sermonum. – Serm. I – Demonstratio

providentiae ex coelo, sole, luna et reliquis stellis. - S. II. eadem demonstratio ex aere, terra, mari, fluviis et fontibus. - S. III. ex humani corporis fabrica - S. IV. ex manibus humanibus et inventibus artibus. S. V. ex ipsa quod homini in bruta commissum est. - S. VI. Quod et divitiae et paupertas humanae vitae utiles sunt. - S. VII. Quod servitus herilis potestas ad humanam vitam utiliter constitutae sunt. - S. VIII. Quod hi ~~qui~~ sanae et bonae mentis sunt, nihil ex eo laedantur, quod pravis dominis serviant. - S. IX. Quod iustitiae studium infrugiferum non sit, etiamsi fructus eius in praesenti vita nullus appareat: tum resurrectio rationibus ex natura desumptis probatur. - S. X. Quod olim Deus non iudaeorum modo, sed omnium quoque hominum curam gesserit: et de Salvatoris incarnatione

Ad opera in historia theologiae fundamentalis mentionanda pertinet et epistola Theodoreti ad S. Leonem I episcopum romanum. Haec epistola sub numero 113 edita est apud Migne P. G. LXXXIII 1311-1318. Haec epistola non caret utilitate ad explicandam historiam primatus in Ecclesia. Theodoretus scripsit 449 anno contra iniustam conciliabuli Ephesini sententiam vi cuius deponebatur. Epistola incipit verbis: „Si Paulus, praeco veritatis, tuba Spiritus Sancti, ad magnum Petrum se contulit, ut iis qui Antiochiae de legali conversatione ambigebant, explicationem ab illo referret multo magis nos humiles et pusilli apostolicam sedem vestram accurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus remedium a vobis accipiamus. Vobis enim primas in omnibus tenere convenit. ~~Multis~~ Multis

Multis siquidem praerogativis ornatur sedes vestra." Roma excellit non solum incolarum multitudine et imperii dominatu, sed maxime fide ac sepulchris Petri et Pauli! Porro Theodoretus admiratur scripta Leonis contra manicheos et claram propositionem doctrinae de duabus naturis Salvatoris nostri. Postea conqueritur de actis in concilio Ephesino, in quo Flavianus constantinopolitanus depositus est et alii episcopi et ipse Theodoretus non vocatus in ius nec auditus. Deinde commemorat Theodoretus sua merita de haeresibus extirpandis per 26 annos episcopatus facta ac prosequitur: „At ego apostolicae vestrae sedis" exspecto sententiam, et oro atque obtestor sanctitatem tuam, ut mihi ad rectum et iustum tribunal vestrum provo-

canti causa opem ferat, iubeatque ad vos venire et doctrinam meam apostolicis vestigiis inhaerentem ostendere" (Ἐγὼ δὲ τοῦ ἀποστολικοῦ ὑμῶν θρόνου περιμένω τὴν ψῆφον καὶ ἱκετεύω, καὶ ἀντιβολῶ τὴν σὴν ἁγιότητα, ἐπαμῦναι μοι τὸ ὀρθὸν ὑμῶν καὶ δίκαιον ἐπικαλουμένῳ κριτήριον, καὶ κελεῦσαι δραμεῖν πρὸς ὑμᾶς, καὶ ἐπιδεῖξαί μοι τὴν διδασκαλίαν τοῖς ἀποστολικοῖς ἴχνεσιν ἑπομένην. Migne PG. LXXXIII 1315-1318). Deinde enumerat principalia suorum operum argumenta. Deinde rogat oporteat ne in hac iniusta depositione acquiescere et dicit: „Quod si in iudicatis manere me iubeatis, maneo, neque ulli hominum deinceps molestus ero, sed rectum Dei Salvatorisque nostri iudicium exspectabo." (Κἂν κελεύσητε τοῖς καταψηφισαμένοις ἐμμεῖναι, ἐμμενῶ, καὶ οὐδενὶ ἀνθρώπων ἐνοχλήσω λοιπόν, ἀλλὰ μενῶ τὸ ἀκλινὲς τοῦ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν

κριτήριον). (Migne. LXXXIII 1317-1318). Porro innocentiam suam probat ac nocuitatem iniustae sententiae animabus eorum qui a Theodoreto ex haeresi ad fidem reversi sunt; tandem commendat romano Pontifici suos legatos et seipsum.

Responsum S. Leonis I papae ad Theodoretum legitur apud Migne P. G. LXXXIII p. 1319-1324).

Editiones. J. Sirmond. S. J. edidit: B. Theodoreti episcopi Cyri Opera Omnia. Parisiis. 1642. 4 vol. in 2º. Textui graeco hic addita versio latina. J. Garnier huic editioni adiunxit: Beati Theodoreti episcopi Cyri Auctarium sive operum tomus quinta - Parisiis 1684 (editio apparuit post mortem editoris 1682 secutam). Sirmondii et Garnerii editionem correxit, auxit iterumque ediderunt J. L. Schulze et J. A. Rösselt. Hallae — 1769-1774 quinque voluminibus in 8º.

Horum editionem reproduxit Migne in Patrologia Graeca LXXX - LXXXIV Parisiis 1860. — Graecarum affectionum curationem separatim edidit Th. Gaisford - Oxford 1839 in 8º. — J. Raeder 1904 edidit: Theodoreti Graecarum affectionum curatio p. XI + 333. Lipsiae Teubner. 6 Mk. Editioni huic praecesserunt diligentes labores, ea est confecta iuxta codicem Theodoreti Vaticanum, qui agitur est optimus. „Theol. Jahresbericht" (vol. 24 p. 343) laudat copiam locorum variantium et indiciorum litterariorum. Russicam operum Theodoreti versionem edere coepit Н. Глубоковский. Сочинения блаженнаго Феодорита, еп. Киррскаго. Сергиев Посадъ 1907 - 1908

Commentaria. C. Roos, De Theodoreto clementis et Eusebii compilatore. Halae 1883. - J. R. Asmus, Theodorets Therapeutik und ihr Verhält-

triss zu Julian (Byzantinische Zeitschrift 1894, III, 116-145). Asmus hic adducit multos et satis claros textus, ex quibus conici liceat, Theodoretum dato opera refutasse obiectiones Juliani. C. J. Neumann aliter censebat. — J. Raeder De Theodoreti Graecarum Affectionum Curatione quaestiones criticae. Hauniae 1900. — L. Kösters, Zur Datierung von Theodorets Ἑλληνικῶν θεραπευτικὴ παθημάτων (Zeitschrift für Katholische Theologie. Innsbruck 1906, vol XXX p. 349-356) Schulte, Das Verhältniss von Theodorets „Therapeutik" zu den Schriften Kaiser Julians (Theologische Quartalschrift Tübingen 1906 vol LXXXVIII p. 492 sq). N. Bonwetsch. Theodoret (Realencyclopedie für protestantische Theologie und Kirche – Leipzig 1907, XIX, 609-615).

Apologiae ignotorum auctorum et minorum apologetarum opera.

Inter opera s. Justini leguntur in antiquissimis codicibus quidam libri, qui evidenter non sunt scripti a philosopho martyri, sed ignorantur, cuinam auctori attribui debeant.

1. Itaque inprimis est opus Ἀνατροπὴ δογμάτων τινῶν Ἀριστοτελικῶν (Confutatio Dogmatum quorundam Aristotelicorum), dedicatum cuidam presbytero Paulo. Intentio auctoris est ope materia ex physicis Aristotelis sumptae demonstrare sententias philosophorum graecorum de Deo et de creatione esse maximis contradictionibus intricatas.

Opus hoc attribuebatur Justino, quia Photius testatus est sanctum Martyrem scripsisse contra duos priores libros Physicorum Aristotelis

(Photius Bibliotheca cod. 125). Confutatio tamen vertitur non solum contra duos priores Aristotelis libros sed etiam contra tertium. A. Harnack censet hoc opus esse scriptum a Diodoro Tarsensi, qui mortuus est anno 394 ac fuit magnus philosophiae Aristotelicae adversarius. Sed Bardenhewer de demonstratione Harnack'ii ait: „Die Gründe sind nicht zwingend, aber ansprechend" – (Argumenta non sunt peremtoria quidem, sed apta ad probabilitatem efficiendam).

2. Anno 1895 Petropoli prodiit Θεοδωρήτου ἐπισκόπου πόλεως Κύρρου πρὸς τὰς ἐπενεχθείσας αὐτῷ ἐρωτήσεις παρά τινος τῶν ἐξ Αἰγύπτου ἐπισκόπων ἀποκρίσεις, ἐκδιδόμεναι κατὰ κώδικα τῆς δεκάτης ἑκατονταετηρίδος ὑπὸ Α. Παπαδοπούλου Κεραμέως (Theodoreti episcopi urbis Cyri ad questiones sibi a quodam episcopo Aegyptiaco propositas responsiones, editae iuxta codicem saeculi decimi

ab A. Papadopulos-Cerameus).

Codex a doctissimo bibliothecario imperialis bibliothecae publicae Petropolitanae editus usque ad 1895 ignotus erat. Opus tamen iam erat satis cognitum ex codice Parisino, qui confectus est saeculo XIV et inscribebatur Ἀποκρίσεις πρὸς τοὺς ὀρθοδόξους περί τινων ἀναγκαίων ζητημάτων (Responsio ad orthodoxos de quibusdam necessariis questionibus). Breviter autem opus vocari solebat: „Questiones et responsiones ad orthodoxos"; ac fere communiter editionibus operum s. Justini Martyris adiungebatur.

Inter codicem Parisinum et codicem Constantinopolitanum, ex quo Papadopulos-Cerameus suam editionem fecit, sat magna intercedit differentia. In illo enim leguntur 146 questiones et responsiones, in hoc vero 161. In illo questiones et responsiones nullo ordine sequuntur, in hoc

vero adest quoddam studium ordinandi materiam iuxta argumentum. Non desunt rationes credendi codicem Parisinum, qui s. XIV scriptus est, dependere saltem mediate a codice Constantinopolitano, qui s. X est scriptus.

Liber, de quo agitur, continet questiones et responsiones de diversis rebus sacris et profanis, sacrae tamen praevalent profanis ac segregari possunt in res apologeticas, dogmaticas, exegeticas, morales, litturgicas. Tamen dubium non est, quin ab uno auctore omnes procedant, nam iisdem penetrantur principiis theologicis et philosophicis, item stylus et methodus in omnibus responsionibus eundem prodant auctorem. Questiones tamen ponuntur ex persona multorum ac variorum hominum, aut finguntur a variis poni.

In codice Parisino liber Responsionum attribuitur s. Justino

Martyri. Tamen critici, rationibus internis adducti, consentiunt opus non esse scriptum a Patre Apologetarum. Quidam censuerunt Responsiones esse opus Theodoreti Cyrensis. Eiusdem sententiae est et ultimus editor, nempe Papadopulos-Cerameus, qui in codice Constantinopolitano invenit indicatum questiones factas esse a quodam episcopo Aegyptiaco, responsiones vero datas a Theodoreto Cyrensi.

Huic hypothesi favent sequentia argumenta. Opus est scriptum temporibus Theodoreti, saltem saeculo V nondum finito, nam dicitur in eo mundum duraturum 6000 annorum, cum supponitur Christus natus esse 5500 annis post mundi originem. Porro auctor pertinet ad scholam antiochenam, quod clare colligitur ex modo interpretandi Scripturam Sacram. Deinde auctor responsionum in Syria vixit, quia utitur Syriaca versione Veteris Testamenti.

Tamen Maran (Migne P.G. VI, 1241 sq.) et Gass (Zeitschrift für die historische Theologie 1842 N°4 p 141 sq.) probarunt sententias responsionum omnino differre a sententiis Theodoreti de eisdem rebus propositis in suis operibus indubiis. Porro Theodoretus et episcopi sui temporis tam occupabantur quaestionibus Christologicis, ut omnino non sit verosimile eas omitti in opere Theodoreti. Nihilominus in „Responsionibus" Christologica fere desunt. Tandem non desunt indicia, ex quibus colligitur Responsiones esse scriptas circa 400 annum, scilicet eo tempore, quo Theodoretus nondum coeperat opera edere. His omnibus argumentis Papadopulos-Kerameus nullas opposuit responsiones.

Anno 1721 La Croze dicebat Responsiones probabiliter scriptas fuisse a Diodoro Tarsensi,

qui mortuus est 394 anno. A. Harnak (Dioder von Tarsus. Leipzig 1901) indicavit in Responsionibus confutari hellenismum sub eadem forma, sub qua propositus erat a Juliano Apostata. Sed Theodoretus in sua Historia Ecclesiastica laudat Diodorum, qui „tamquam rupes in mari" obstit conaminibus impii imperatoris. Porro auctor responsionum est magnus musicae ecclesiasticae promotor, Diodorus autem una cum Floriano Antiocheno multum meritus est de promovendo canto ecclesiastico. Deinde, licet pauca manserit scripta vel eorum fragmenta a Diodoro exorata, tamen eorum sententiae semper eadem referunt ac sententiae „Responsionum". Adhuc alia multa protulit Harnak, quibus commendatur hypothesis Diodorum Tarsensem esse auctorem Responsionum. Cui hypothesi favet et tempus a Harnak stabilitum nempe 370-377, quo Responsiones probabiliter scriptae sunt.

His tamen non obstantibus quaestio de auctore Responsionum manet nondum dirempta. Argumenta Harnak'ii

faciunt maximam probabilitatem non vero certitudinem.

Responsiones istae ad theologiam fundamentalem nonnisi ex parte pertinent. Qu. 1-a de introductione novi cultus divini. 2-a de vaticiniis iudaicis, apostolicis et gentilibus. 3-a de meliore conditione baptisati in iudicio Dei. - 5-a de miraculis haereticorum. 10-a de allegorica interpretatione vaticiniorum et mythorum gentilium. - 11-12 de relatione inter Deum et mundum - 24 de miraculis Apollonii. - 25 De Moisis relatione ad sapientiam Aegyptiorum. - 31 de vi incantatorum in nubes et imbres. 33 De fato et Ezechia rege. 64- de putativa morte Christi. 66, 67. de generatione Christi - 68 de sanguine et anima. 72 De invidia Dei. 73. De Deo et mali origine. 74. De renascentia verae et falsae religionis. 77. De morte animae. 81. De Christianismo et daemoniis. 85- De miraculo resurrectionis corporum in passione Christi. 99 de sacrificiis humanis apud gentiles usitatis. 100. De non oblatis charismatibus Dei ab ecclesiis eorum qui a vera religione discesserunt. 101- cur prius dicimus perfectum evangelium

quam imperfectam legem antiquam. 102 de partibus corporis fine carentibus. 108 Cur iudaei poenas atroces luerunt qui Christum ignorantes crucifixerunt. 113- De mutatione Dei propter creationem. 114. cur Deus non fuit minor ante creationem quam post eam. 117. De vera resurrectione Christi et introitu ianuis clausis. 126. Cur Deus cumulavit bonis idololatros? 128- de malo quod subeunt animalia ratione carentia. 131. De duplici genealogia Christi. 133. item. 135 Cur Christus non habuit Emmanuelis nomen? 138 De Deo puniente innocuos propter delicta aliena. 143 Cur homo aliquando appellatur Deus. 144. De simplicitate Dei. 146 De vaticiniis gentilium et Deo vero.

Praeterea hic omnisi plurimas difficultates ex ratione petitas, quas auctor quaestionum opponit singulis religionis christianae veritatibus tam speculativis dogmatibus quam praeceptis moralibus et factis in infallibili Scriptura Sacra narratis. His omnibus obiectionibus auctor opponit ut plurimum claras et sufficientes

responsiones.

3. In Corpore Apologetarum Christianorum, edito ab equite de Otto inter spuria s. Iustini opera vol I p. 246-327 legitur Ἐρωτήσεις χριστιανικαὶ πρὸς τοὺς Ἕλληνας – Quaestiones christianae apud gentiles. I quaestio est de remedio miseriis mundi ad interitum vergentis ferendo vel non. II. de Deo et aeternitate mundi. III. Quomodo unus et simplex Deus diversarum substantiarum est conditor? IV. De coaeternitate mundi cum Deo. De habitatione Dei in mundo si hic supponitur non a Deo creatus.

Singula in hoc libro ita tractantur, ut initio proponatur quaestio, quae exprimit obiectionem christianam opinionibus gentilium, praesertim platonicorum et neoplatonicorum factam. Postea sequitur brevis responsio gentilium. Tandem additur longa analysis responsionis gentilis, cuius singulae sententiae abunde refutantur.

4. Item inter opera spuria s. Iustino attributa legitur Ἐρωτήσεις ἑλληνικαὶ πρὸς τοὺς χριστιανούς – Questiones gentiles

ad christianos. De Otto, Corpus Apologetarum I vol. 326-367. Hoc opusculum habet secundarium titulum: „De incorporeo, de Deo et de resurrectione mortuorum."

Initio ponuntur 15 breves quaestiones ex parte gentilium, deinde vero sequitur uberior earum explanatio ex parte christiana. Ultima quaestio erat de resurrectione. Responsionem ad eam christianus colligit in 48 puncta.

Utrumque opusculum, scilicet Quaestiones christianorum ad gentiles et Quaestiones gentilium ad christianos, eiusdem est auctoris. Videtur utrumque opusculum esse non ab auctore excogitatum, sed commercium scriptum inter christianum et gentilem, quod deinde publici iuris factum est. In utroque opusculo fere desunt indicia interna ex quibus colligi possit tempus quo prodierit. Sed styli similitudo et quaedam spiritus cognatio ostendunt haec duo opuscula ab eodem esse scripta qui et Responsiones ad orthodoxos excavavit. Si igitur admittitur horum auctor esse Diodorus Tarsensis, etiam illa opuscula Diodoro tribu-

possunt. Temporibus Photii opuscula iam s. Iustino tribuebantur, cuius erroris haec probabilis causa esse potuit, quod Martyr philosophus in secunda Apologia memorat suam disputationem cum Crescente philosopho.

5. *Macarius Magnes* ita vocatus ab urbe Magnesia. Sed duae urbes erant eiusdem nominis altera in Caria, in Lydia altera. Cuius episcopus fuerit Macarius ignoratur. Hic anno 403 aderat in conciliabulo ad Quercum, ibique accusationem movebat contra Heraclidem episcopum ephesinum, s. Joannis Chrisostomi amicum.

Opera Macarii Magnesii perierunt. Extant quaedam fragmenta commentariorum in Genesim. Sed C. Blondel anno 1876 edidit: Μακαρίου Μάγνητος Ἀποκριτικὸς ἢ Μονογενής. Macarii Magnetis quae supersunt in edito codice edidit C. Blondel. Paris. 1876.

Opus hoc componitur quinque libris et refert fictam auctoris disputationem cum philosopho gentili. Obiectum disputationis sunt varii loci Evangeliorum et Actuum apostolorum, quos philosophus impugnat aut irridet. Obiectiones, ut plurimum, desumptae sunt ex opere

Porphyrii, quod ad nos non pervenit.

Critici credunt hoc opus fuisse scriptum circa annum 410.

6. Apologetis minoribus potest fortasse adnumerari antiquissimus pater ecclesiae syriacae *Iacobus Aphraates* episcopus urbis Mar Matthaeus. Hic apud suos magna veneratione utebatur, ac „sapiens persa" vocabatur. Puro et correcto sermone syriaco annis 336/337 scripsit decem homilias, anno vero 343/344 his addidit duodecim alias, tandem ultimam unam 345 mense augusto.

Si ex titulis homiliarum de earum argumento iudicare licet, tres habent argumentum apologeticum: 17 enim demonstrat Christum esse Deum, 18 vertitur contra iudaeos praeterea agit de castitate ac sanctitate, tandem 19 refutat iudaeos qui affirmant futurum esse ut populus reiectus ex dispersione iterum congregetur.

Undeviginti homilias in armenicam linguam versas ex antiquo manuscripto edidit Nic. Antonelli anno 1756, falso attribuens eas Jacobo Nisibeno. Anno vero 1869 W. Wright invenit et edidit textum originalem syriacum in quo habebantur 23 homiliae. Ex eo potuit auctorem earum esse non Jacobum Nisibenum sed Jacobum, qui in [illegible]

vocabatur patrio sermone Afrahat, sed syriacum morem secutus, cum ad episcopatum electus fuisset nomen Iacobi accepit.

Editiones 1. Confutatio. In editione C. de Otto, Corpus Apologetarum Christianorum vol IV p. 100-223. Jenae 1880. - 2. Quaestiones et responsiones ad orthodoxos, C. de Otto, Corpus Apologetar. Christ. Jenae 1881 vol. V p. 2-248. Θεοδωρήτου ἐπισκόπου πόλεως Κύῤῥου πρὸς τὰς ἐπενεχθείσας αὐτῷ ἐρωτήσεις παρά τινος τῶν ἐξ Αἰγύπτου ἐπισκόπων ἀποκρίσεις ἐκδιδόμεναι κατὰ κώδικα τῆς δεκάτης εκατονταετηρίδος ὑπὸ Ἀ. Παπαδοπούλου - Κεραμέως. Ὑπομνημάτων τοῦ ἐν Πετροπόλει Αὐτοκρατορικοῦ Πανεπιστημίου τόμος τριακοστὸς ἕκτος. Ἐν Πετροπόλει 1895. - Migne. Patrologia Graeca VI. 3. Quaestiones Christianorum ad gentiles: De Otto, Corpus Apologetarum Christianorum. Jenae 1881, vol. V p. 246-327. 4. Quaestiones gentilium ad Christianos. Ibidem p.p. 326-367. 5. Macarius Magnes. Μακαρίου Μάγνητος Ἀποκριτικὸς ἢ Μονογενής. Macarii Magnetis quae supersunt ex inedito codice edidit C. Blondel. Paris. 1876. 6. Nicolaus Antonelli, S. patris N. Iacobi episcopi Nisibeni sermones cum praefacione, notis et dissertatione de ascetis. Romae 1756.

W. Wright, The Homelies of Aphraates, the persian Sage edited from syriac manuscripts of the V and VI centuries in the British Museum, with an english translation. Vol. I The Syriac Text London 1869 in 4°.

Commentaria. A. Harnack, Die Lieder von Fanus Leipzig. 1901. O. Bardenhever. Patrologie. Freiburg in Br. 1901 Herder. p. 48, 49, 331. Bardenhever, Geschichte der altkirchlichen Litteratur Freib. Br. Herder 1902. p. 222-226 (Bd I) - L. Duchesne De Macario Magnete et scriptis eius. Paris 1877. Batiffol, Litterature Grecque 1897 p. 313-314. Comptes rendues d'académie des inscriptions et des belles lettres 1867, III p. 138-141; ib. 1868 IV, 422. Crusius, Dissertatio historico-theologica, exhibens notiam et Θεολογούμενα Macarii Magnetis, ex fragmentis haetenus deperditi operis apologetici, pro christiana religione adversus gentiles conscripti, deprompta Goettingae 1737. - A. Geoffroy Révue de deux mondes 1876 vol. XVI p. 819. Alb. Dumont. Manuscrit de Macarius Magnes (Comptes rendues de l'académie des inscriptions et des belles lettres 1867, B III p. 138). J. Potra de Bordas. L'apocritique de Macaire Magnès (Revue du monde catholique 1877 XXXI 386-404.

Wagnemann (Jarbücher für die deutsche Theologie 1878, XXIII, 138-142. Th. Zahn, Zum Makarius von Magnesia (Zeitschrift für Kirchengeschichte 1878, II, 450-459. J. M. Schönfelder Aussund über Aphraates. Aphraates Deutung der siebzig Jahrwochen und der vier Weltreiche bei Daniel und Aphraates Christologie (Theologische Quartalschrift 1878 vol p 175-256. - J. Forget, De vita et scriptis Aphraatis, sapientis Persae dissertatio historico-theologica. Lovanii 1882.

Scriptores latini apologetici qui post edictum mediolanense floruerunt.

Firmicus Maternus.

In bibliotheca vaticana asservatur codex manuscriptus latinus s. X, cui codici desunt duo prima folia. Opus inscribitur: „De errore prophanarum religionum" et totum dirigitur contra polytheismum Romae. Auctor vertitur ad imperatores Constantium (337-361) et Constantem (337-350), ut ipsi idola ac templa eorum deleant. Ex hoc patet opus esse scriptum vivente et imperante Constante, scilicet inter annos 337 et 350.

Capite 29 legitur: „Post excidia templorum in maius Dei estis virtute provecti; vicistis hostes, propagastis imperium" (Migne P. L. XII, 1045). His verbis Firmicus alludit edictum Constantii et Constantis contra paganos 341 editum et ad victoriam Persis reportatam 347 ex quo colligi licet librum „De errore prophanarum religionum" prodiisse inter 347 et 350 annos.

Capite 7 Firmicus Maternus narrat fabulam de Proserpina rapta a Plutone prope Percum, quem dicit esse lacum in Hennae civitatis finibus positum. Descriptio huius laci (Migne. P. L. XII, 999) talis est ut ostendat auctorem sat longo tempore non procul ab hoc Siciliae lacu vixisse. Inde coniici solet auctorem libri „De errore prophanarum religionum" Siculum esse.

Sub nomine Julii Firmici Materni Siculi Junioris conservantur exemplaria manuscripta duo completa (s XV et XVI) ac duo incompleta (X et XII) operis Mathesis, quod non est nisi tractatus astrologicus ideis paganis imbutus. Doctissimus Th. Mommsen in ephemeridibus „Hermes" 1894 (t XXIX 468 s) opinionem utriusque operis eiusdem esse auctorem. Si hoc verum est, admitti debet auctor

libri „De errore prophanarum religionum" usque ad annum 337, quo „Mathesis" prodiit, ethnicum fuisse, deinde conversum esse ad christianismum. Recentem suam conversionem indicat et indoles libri, quae praesefert zelum imprudentem ac defectum amoris erga errantes. Hoc defectu opus Firmici Materni distinguitur a caeteris apologetarum christianorum operibus.

Totum opus constat proemio et triginta capitibus. Breviter eius argumentum sic exponi potest iuxta Bardenhewer (Patrologie p. 353). Imprimis Firmicus Maternus vituperat secreta paganorum mysteria, quibus obiicit crassam superstitionem et violationem regularum moralium quae ex natura fluunt (c.c. 6-17). Deinde dicit ea symbola vel signa quibus initiati mysteriorum participes distinguuntur a non initiatis, nihil aliud esse quam diabolicam corruptionem biblicorum ac praesertim propheticorum elogiorum (18-27). Capitibus 28, 29 demonstrat paganismum esse vi delendum.

Singulorum capitum hoc est argumentum iuxta editionem Migne. Elementa ponit esse principia rerum; cum vero haec diversa sint et potestate contraria, eorum

nullum esse summum numen (licet de igne tantum hoc loco loquatur, caeterorum cultu in sequentibus destructo), sed omnia Deum fabricatorem et moderatorem habere (c. 1). Aquae cultum apud Aegyptios refutat (c. 2) Terrae cultum apud Phryges refutat (c 3) Item aeris apud Assyrios et africanos populos nonnullos (c 4). Item ignis apud Persas. Horum mysteria fabulasque detegit, lascivos tristesque ritus detestatur, admixtis saepe e sacris christianorum cohortationibus, et ad finem capitis, ubi post secundam lacunam de anima humana loquitur, philosophico etiam de indissolubili animi anima ratiocinatio (c 5). Ab elementorum cultu ad alias superstitiones transit earumque secreta pandit, et prima quidem duorum liberorum. Cretensis quippe et Thebani historiam narrat (c. 6). Liberae vel proserpinae historiam exponit et Liberum pro sole, Liberam pro luna coli asserit (c. 7). Continet maximam partem prosopopaeam qua sol divinum, quem homines ipsi exhibebant, cultum oratione ad eos habita refutare atque detestari fingitur (c. 8.). Luctum de morte Adonidis a Marte in aprum

converso pereum perstringit, et narrationem evangelicam de eiecto daemonio paucis commemorat. (c.9.). Flagitia in cultu Veneris Paphiae exponit (10). Item flagitia Jovis Sabazii (c.11). Item et corybantum flagitia foedosque ritus (c.12). Narrationibus de deorum facinoribus quaevis flagitia hominibus commendari, et nomina hominibus inferiora atque deteriora pingi docet (c.13). – Serapidem eius nomen et sacra e Josephi patriarchae historia fictum esse contendit; et daemones in simulacris ex assiduis sacrificiis colligi et hostiarum sanguine nutriri. Serapidem humanis obedire iussis et nolentem ad loquendum adactum fuisse, ex Porphyrio probat; et idem hoc de omnibus reliquis gentilium diis, christianorum imperio obnoxii statuit (c 14). – De penatibus agit, quorum nomen ex « penu » derivat, et de Vesta, domestico tantummodo igne; rebus igitur hominibus gratis, utilibusque, quos deos fecerint (c. 15). Palladii originem exponit, eiusque numine neque Troiam, neque Romam ab incendio tutam fuisse, nec eius cultores in posterum

tutos futuros (c.16). De quinque Minervis agit. Quintae Pattanis filiae, Palladium dedicatum fuisse, cuius ut concremetur imago, deleanturque templa, hortatur, hortatur simul in sacrorum ritus, quibus homines precare docentur, turpes et cruentos invehitur, eosque abrogari postulat (c.17). Etymologias sive origines nominum, quae diis attribuebantur exponit. Symbola deinde et signa cultus deorum explanat, multis simul, ubi occasio ipsi ex genio saeculi atque sacrae scripturae interpretandae ratione ferre videbatur, locis Biblicis allatis. Et in quinque imprimis symbolis exponendis versatur (c 18). – In Eleusinio ἐκ τοῦ τυμπάνου βέβρωκα, etc., ubi multa habet de pane coelesti fortassis eucharistico (c 19.) – In Mithriaco forte: χαῖρε, νυμφίε· χαῖρε νέον φῶς qua occasione de Christo sponso mundique luce multa habet (c.20). – In alio certe Mithriaco, Θεὸς ἐκ Πέτρας: ubi multa congerit ex sacris scripturis de Christo lapide (c.21). In Bacchico Ἐλιλίκερος δέμορφοι, rectius Ἑλιξικέρως δίμορφε: quod de diabolo dracone intelligit, cuius cornua ad eru-

cem Christi trahit (c 22). In Isiacis re redivivo Osiride: Θαρρεῖτε μύσται ubi occasione unguenti quo fauces mystarum deliniebantur, de venenato unguento diaboli loquitur (c 23). De unguento loquitur quod Pater Filio tradidit, Filiusque credentibus largitur (c. 24). Excursu facto de misero hocce profanorum hominum errore graviter monet et regnum Christo datum hac unctione indicari docet, multis scripturarum allatis locis; simul descensum Christum ad inferos tangit (c. 25-). Breviter Ecclesiae de Christo cum Adamo comparato dogma exponit; quidquid Adamus perdidisset, eum, e Maria Virgine natum, invenisse. Redit in viam (c. 26). Ultimum Mithriadicorum initiorum symbolum, ταῦρος δράκοντος, καὶ δράκων ταῦρον πατήρ, exponit. Serpentis meminit, protoplastorum seductoris funestique eius cultus, draconemque eo die percussum esse, quo Christus apparuerit (c 27). Draconem fictorum numinum auctorem dicit, sacrorumque suorum per lignum instaurationem semper curasse. Sicut hic in sacris idolorum

abusum exemplis paucis ex sacris Phrygiis, Osiridis et Prosepinae petitio notat; crucis deinde ordinem expositurus, novi Testamenti offert, quos prisca Ecclesia atque illud verum de cruce interpretabatur. Atque ita expositis et refutatis praecipuis, quae in cultu idolorum sui temporis vigere, symbolis signisque ut imperatores ad quos hoc scripsit, eo confidentius ad idola eorumque sacra penitus delenda accederent, sententias colligit (c. 28).— Sententias colligit ex sacro Codice quae vanitatum idolorum testantur, de prospero et florente rei publicae statu iis regnantibus, deque maxime instantis impietatis ethnicae poena monet. (c. 29).— Denique divinum de idololatris exstirpandis mandatum (Deut. 13) imperatoribus inculpat, cur si morem gerant, et prosperum iis eventum et felix posthac imperium (c. 30).— Nota: quae immediate praecedunt, sunt capitum argumenta ex editione Migneana collecta et verbatenus descripta.

„ Apres que Lactance, contemporain

du triomphe du christianisme, a exposé les raison qui rendent cette doctrine superieure à toute autre croyance, il y a un pas de plus a faire, c'est de denoncer les cultes idololatres comme immoraux et dangereux. C'est ce que fait Firmicus Maternus, dans son opuscule sur l'Erreur des religions profanes, de die aux fils de Constantin. Firmicus est un esprit fort different de Lactance: autant celui ci est tranquille, modéré et conciliant, autant Firmicus se laisse emporter à une intransigeance implorable. Ne voulant pas admettre qu'il puisse rien y avoir de bon dans les croyances anciennes, il raille cruellement les efforts des philosophes qui cherchent à les interpréter dans un sens allegorique, pourquoi y ajoute-t-on des legendes impures? s'écrit-il; s'il s'agit seulement de presenter sous une forme symbolique des verites naturelles, pourquoi ces aventures calquées sur celles de l'humanité sur les plus basses et les plus repugnantes? ces incestes, adulteres, ces meurtres? Il s'attaque su[...] et aux cultes

orientaux, notamment à celui de Mithra, qui est en effet le plus grand ennemi du christianisme à ce moment, et d'autant plus redatable qu'il lui imprunte une partie de ses dogmes et de ses rites. Or ces religions orientales, si répandues, celles d'Isis et de Mithra, de Cybèle et du Sabazius, sont remplies d'emotions sensuelles et de mythes hardiement naturalistes. Firmicus n'a pas de peine à prouver l'influence corruptrice qu'elles exercent sur les moeurs. Dans un passage très vif et très précis en même temps, il montre que tous les crimes des hommes sont autorisés par l'exemple de dieux.

Dès lors, la conclusion s'impose pour un esprit aussi violemment logique: puisque le paganisme est un instrument de perversion, il faut le supprimer. Firmicus lance d'abord quelques insinuations; il célèbre la fermeté du Sénat interdisant les Bacchanales: „Nec tam diu vindices gladii consulis conquierunt, quamdiu hoc malum fuisset radicitus amputatum. O digna romano nomine animadversio, nec civibus suis consul parcere voluit, cum

ob purgandam patriam peregrina vitia corriguntur" 777/.

778/ Puis entraîné par la chaleur de la discussion, il parle plus net : „ Amputanda sunt haec penitus atque delenda, et severissimis edictorum vestrorum legibus corrigenda ne diutius romanum orbem praesumptionis istius error funestus commaculet".

Il prévit que les payens resisteront, mais comme il craint peu de violenter les gens pour leur bien et de les sauver malgré eux, il replique énerguiquement : „ subvenite miseris, liberate pereuntes... Aegrotantes delectant contraria". Pour justifier l'intervention des souverains en ces matières, il fait une theorie de leur mission divine : „ Ad hoc vobis Deus summus commisit imperium ut per vos vulneris istius plaga curetur... Pro salute hominum Christo pugnante vicistis.... Erigite vexillum fidei".

Là est la grande nouveauté de l'opuscule de Firmicus. Jusqu'alors tous les docteurs chretiens non seulement les doux,

comme Minucius et Lactance, mais les plus rudes comme Tertullian, proclamaient que l'Etat ne doit pas se mêler des choses religieuses et que c'est un crime de contraindre la croyance. 778./779. Firmicus retourne contre le paganisme les menaces de persecution dont on était servi contre le culte naissant. – L'evolution apologetique chrétienne est achevée. On a vu successivement le christianisme faire un appel passionné au droit et à la justice avec Tertullien, employer les procédés littéraires pour sa defence avec Minutius Felix, se constituer en doctrine de gouvernement avec saint Cyprien, lutter contre les philosophes avec Arnobius et Lactance, prendre l'offensive avec Firmicus et proscrire à son tour le paganisme vaincu. Un demisiecle plus tard, la litterature chretienne aura une floraison plus éclatante avec les grands docteurs du temps de Theodore sa periode de formation est desormais achevée.

René Pichon, Histoire de la litterature latine. 2e éd. Paris. Hachette 1898 p. 776 – 779.).

In citata sententia Remigii Pichon nimius valor tribuitur Firmico Materno, cuius eruditus non exprimebat spiritum christianorum illius temporis, quod patet ex eo, quod de Firmico apud recentiores fere nec mentio inveniatur. Apologeticus valor Firmici Materni consistit in eo, quod multas tradat notitias de cultu pagano in imperio romano saeculo IV ad finem vergente. Ad evolvendam ipsam doctrinam apologeticam Firmicus nihil contulit.

Editiones: Non adest nisi unum exemplar operis Firmici Materni „De errore profanarum religionum", conservatum in codice Vaticano-Palatino ex. s. X. Descriptionem codicis vide apud A. Reifferscheid, Bibliotheca Patrum Latinorum Italica I, 268, 269. — Editionem principem fecit M. Flaccius Illiricus Argentorati (Strassburg) 1562 a. — Eadem editio repetita est apud Gallandi, Bibliotheca veterum patrum V, 21 - 39. — Postea a Migne, P. L. XII, 971 - 1050. — Nova editio critica C. Bursian. Leipzig 1856. — Recentior C. Halm. Vindabonae 1867. (Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum II).

Konrad Ziegler, Firmicus Maternus, De errore profanarum religionum. (Bibliotheca Teubneriana). Leipzig Teubner 1907. —

Commentaria. Cl. H. Moore, Julius Firmicus Maternus, der Heide und der Christ. München 1897. — Th. Mommsen in ephemeridibus „Hermes" 1894 an. vol. XXIX pp. 468 - 472 et 618, 619 loquitur praesertim de tempore, quod scriptum est liber. — H. Dressel, Lexikalische Bemerkungen zu Firmicus Maternus, Zwickau 1882. — J. Mich. Herz, Dissertatio de Julio Firmico Materno eiusque inprimis „De errore profanarum religionum" libello Hafniae 1817. — H. Kroll et F. Skutsch. In Firmicum Sittelianum emendationum centuriae duae primae (Hermes 1894 vol XXIX pp 517 - 529). — Narbone, Bibliotheca Sicola 1850 vol I p. 78, 79. — F. Skutsch, Quis fuerit Firmicus? (Hermes 1896 vol XXXI, 646, 647). — C. Heyman, L'astrologie dans le „De errore" de Firmicus. (Revue hist.-litter. relig. 1898. III p. 383, 384. — Paulus Manutius und Firmicus Maternus (Bayerische Blätter für Gymnasialschulwesen 1894, XXX, 432.) — A. Müller, Zur Ueberlieferung der Apologie des Firmicus Maternus 1898. Tübingen. Heckenhauer IX + 95. — K. Ziegler, Zur Ueberlieferung der Apologie des Firmicus Maternus (Berliner Philologische Wochenschrift 1908 p. 1195 - 1200. —

S. Ambrosius.

S. Ambrosius natus est circa an. 340 Treviris in Gallia, cui praefectus erat suus pater. Hoc tamen brevi post mortem, mater profecta est Romam ibique Ambrosius optime educavit, bonis induens eum moribus et tradens optimis rhetoricae professoribus. Imperator Valentinus I anno 374 Ambrosium designavit gubernatorem Aemiliae et Liguriae cum sede Mediolani. Ambrosio ibi gubernante mortuus est s. Dionysius episcopus Mediolanensis orthodoxus et Auxentius usurpator arianus. Cum agebatur de electione successoris, magna turba orta est in ecclesia. Gubernator Ambrosius intravit in eam ut paci provideret, sed votis omnium acclamatus est ipse episcopus, licet nondum fuerit baptizatus. Baptismate et ordinibus acceptis totum se dedit studiis sacris et ecclesiae administrandae.

Eloquentia sua plurimos trahebat et Augustinum convertit. In multis consiliis doctrinam orthodoxam contra arianos maximo zelo defendit. Contra iniustitiam usurpatoris Maximi, qui Gratianum caesarem occiderat, iura iunioris Valentini II defendit. Huius matrem arianam Justinam ab ingressu ecclesiae arcuit. Theodosio imperatori introitum ecclesiae vetavit et poenitentiam publicam imposuit, opera scripsit exegetica, moralia, ascetica, dogmatica, sermones et epistolas, quae omnia et eloquentia eminent et spiritus ardore ac ingenii sublimitate. Mortuus est 4 die aprilis 397 anni.

Duo scripsit opera apologetica, nempe: „De sacramento regenerationis sive de philosophia, contra Julianum" et: „Ad Pansophium puerum." Utrumque hoc opus periit. De ultimo nihil praeter titulum notum est. Sub nomine Ambrosii ferebatur scriptum: „Altercatio divi Ambrosii contra eos qui animam non confitentur esse facturam, aut ex traduce esse dicunt." Tamen hoc opus certe non ab Ambrosio scriptum est.

In variis s. Ambrosii operum locibus inveniuntur non parva quae ad materias theologiae fundamentalis spectant. Haec revocari possunt ad haec potissimum capita, nempe de Ecclesia, de Romano Pontifice, de consiliis, et de Scriptura Sacra.

Ecclesiam s. Ambrosius dicit esse civitatem Dei ac custodem Scripturae Sacrae et Traditionis. (In psalmum 118 sermo 15 n. 35; Migne P.L. XV, 1422.) Qui ab ecclesiae se separant non habent misericordiam Dei (De poenitentia l. II, c. 4 n. 24; Migne P.L. XVI, 503.)

Epistula 42 n. 5. Ambrosius scribit „Credatur symbolo apostolorum quod ecclesia romana semper custodit et servat" (Migne P.L. XVI, 1125). Ex his verbis patet primatus ecclesiae romanae in maximis fidei negotiis.

Adhuc clarius primatum exprimit Ambrosius in opere „De poenitentia, ubi ait hominem non posse habere partem in haereditate Petri nisi sit unitus suae sedi (lib I c. 7 n. 33; Migne P.L. XVI, 476). Profitendo divinitatem Christi, Petrus meruit caeteris apostolis praeponi: „Ubi ergo Petrus, ibi ecclesia, ubi Ecclesia, ibi nulla mors; sed vita aeterna.

Et ideo addidit (scilicet Christus) „Et portae inferi non praevalebunt ei: et tibi dabo claves regni coelorum". Beatus Petrus, cui non inferorum porta praevaluit, non coeli porta se clausit; sed e contrario destruxit inferni vestibula, patefecit coelestia. In terris itaque positus coelum aperuit, infero clausit." (In psalmum XL n. 30; Migne P.L. XIV, 1082).

In officio Dominicae ad Laudes legitur hymnus a s. Ambrosio compositus, ubi legitur:

„Hoc (scilicet gallo), ipsa Petra Ecclesiae
Canente culpam diluit."

Verba sunt quidem brevia, sed magnum praeseferunt valorem, nam indicant solo nomine petrae apud Matth. 16, 18. non alium intellectum fuisse nisi Simonem filium Jonae eumque a Christo positum esse fundamentum Ecclesiae.[1]

In opere „De fide ad Gratianum Augustum libri quinque" s. Ambrosius clare proponit summam auctoritatem conciliorum

---

[1] Cfr. Hurter, Compendium Theol. dogmat. Oeniponte 1900 vol. I p. 364.

oecumenicorum in fidei definiendae negotiis. „De conciliis id potissimum sequar, quod trecenti decem et octo sacerdotes, tamquam Abrahae electi judicio, consona fidei virtute victores, velut tropaeum, toto orbe subactis perfidis, extulerunt, ut mihi videatur hoc esse divinum, quod eadem numero in conciliis fidei habemus, oraculum, quo in historia pietatis exemplum (l. I c. 1. n. 5; Migne P.L. XVI, 529)

De eodem concilio nicaeno in epistula vigesima prima ad Valentinianum imperatorem, Ambrosius dicit se nec morte nec gladio separari posse. Quam fidem etiam parens Valentiniani tenuit Theodosius, eamque tenent Hispaniae „et cum pia divini spiritus confessione custodiunt." (Migne P.L. XVI, 1005, 1006).

Traditionis valorem sic exprimit contra arianos: „Servemus igitur praecepta maiorum, nec haereditaria signacula ausi rudis temeritate violemus. Librum signatum illum propheticum non Seniores, non Potestates, non Angeli, non Archangeli aperire ausi sunt: soli Christo explanandi eius praerogativa est servata. Librum sacerdotalem quis nostrum reserare audeat,

signatum a confessoribus, et multorum iam martyrio consecratum? Quem qui resignare coacti sunt, postea tamen damnata fraude, signarunt: qui violare non ausi sunt, confessores et martyres extiterunt. Quomodo fidem eorum possumus denegare, quorum victoriam denegamus" (De fide l. III, c. 15 n. 128; Migne P.L. XVI, 614, 615).

De Scriptura sacra s. Ambrosius docet eam esse verbum Dei. Haeretici omnino iniuste usurpant hoc verbum, et, interpretando illud iuxta sua placita, corrumpunt. (In Lucam l. IV n. 25, 26; Migne P.L. XV, 1619. — Gesta concilii Aquileensis; Migne P.L. XVI, 927. — De fide l. V c. 15; Migne P.L. XVI, 587). Dolendum tamen est librum apocryphum, scilicet Quartum Esdrae, a sancto doctore Mediolanensi adnumeratum fuisse canonicis scripturis et multoties citatum inter sacra eloquia. Hoc tamen non est valde mirandum, quia liber non praesefert errores, ac magnam spirat pietatem. Saeculo autem quarto exeunte canon Scripturarum Sacrarum nondum erat definitivae stabilitatis in tota Ecclesia.

Cum s. Ambrosius non sit adnumerandus proprie dictis scriptoribus apologeticis, ideo hic omittimus notitiam de editionibus operum eius et operum de eo scriptorum, remittendo laborem ad Patrologiam Bardenhewer, ad articulus Ambroise, sat scriptum ab A. Largent. in Dictionaire de Theologie Catholique I 942-951. et tandem ad Chevalier: Repertoire des sources historiques de Moyen Age. Bibliographie... 186-189.

Ad apologeticam Ambrosii activitatem fortasse spectant sequentia opera: Franciscus Bittner, De ciceronianis et ambrosianis officiorum libris commentatio. Brunsbergae B. 1849.– Joan. Draesecke, M. Tulli Ciceronis et Ambrosii episcopi mediolanensis „De officiis" libri interse comparantur (Rivista di filologica instruzzione classica 1875, IV 121-164. — F. Hassler, Ueber das Verhältnis der heidnischen und christlichen Ethik auf Grund einer Vergleichung des ciceronianischen Buches „De officiis" mit dem gleichnamigen des hl. Ambrosius. München 1866. – Domin. Leitmair, Apologie der Christlichen Moral. Darstellung.... nach einer vergleichung de ciceronischen

Buches „De officiis" und dem gleichnamigen des hl. Ambrosius. München 1866.– Fred Spach, Etude sur le traité de s. Ambroise „de officiis ministrorum" Strassburg. 1859.– R. Thamin, S. Ambroise et la morale chretienne au IV s. Etude comparée des traites „de devoirs" de Cicero et de s. Ambroise. Paris. 1895.– Aug. Tagliovetti. S. Ambrosio et l'infallibilita pontificia. Milano 1871.

Carmina polemica.

Anno 392 Romae rerum potitus est usurpator Eugenius. Cooperante urbis praefecto Nicomacho Flaviano abolita est tunc Romae religio christiana et politheismus iterum ad dominationem rediit. Sed haec dominatio non duravit nisi ad annum 394. Haec iterata abolitio polytheismi occasionem dedit cuidam carmini, quod apud eruditos „Carmen adversus paganos" vocari solet et constat 122 hexametris. Hoc carmen conservatum est in codice operum Prudentii, qui codex scriptus est s. VI et vocatur Puteaneus.

In eodem codice invenitur adhuc aliud carmen 85 hexametris compositum, quod inscribitur: „AD QUENDAM SENATOREM EX CHRISTIANA RELIGIONE AD IDOLORUM SERVITUTEM CONVERSUM". Eugenio nempe usurpatore quidam senator christianus Cybelen et Isin colere coepit. Usurpatore expulso carminis auctor acute irridet senatorem apostatam.

Utriusque carminis valor apologeticus et dogmaticus est fere nullus.

EDITIONES ET COMMENTARIA. „CARMEN ADVERSUS PAGANOS" primus edidit L. Deliole in Bibliotheque de l'ecole des Chartes. Serie 6 vol. III., p. 297-303, anno 1867. Iterum idem carmen editum est a Theodoro Mammsen in ephemeride Hermes anno 1870, vol. IV p. 350-363. —

Secundum carmen tribuebatur aliquando s. Cypriano, non quidem episcopo cartaginensi, sed alio Cypriano recentiori Gallo. Quapropter hoc carmen adversus senatorem apostatam editum fuit a R. Peiper, Cypriani Galli poetae Heptateuchos p. 227-230. Leipzig. Freitag 1891. —

Hartel edendo opera s. Cypriani Carthaginensis, adiunxit eis et carmen Ad senatorem apostatam (vol. III p. 302-305).

Dissertationem de carmine adversus paganos scripsit G. Dobbelstein, De carmine christiano codicis parisini 8084 contra fautores paganae superstitionis ultimos. Dissertatio philologica. Lovanii 1879. Copiosam rem litterariam tradunt Teuffel-Schwabe in Geschichte der römischen Litteratur, 5 Auflage p. 41, 1216, 1217, 1228 et Manitius in Geschichte der Christlich lateinischen Poesie p. 127-130.

S. Pacianus.

Ab anno 360 ad 390 ecclesiam Barcelonensem in Catalonia rexit s. Pacianus episcopus „castigatae eloquentiae (vir)... et tam vita quam sermone clarus" (s. Hieronymus, De viris illustribus c. 106). Pacianus scripsit „varia opuscula, de quibus est cervus et contra Novatianos" (ibid.).

Opus a s. Hieronymo vocatum „Cervus" ipse Pacianus vocat „Cervulum". In hoc opere vituperabatur mos paganos prima ineuntis anni die varios ludos facere, in quibus procul dubio non pauca moribus christianis adversa inveniebantur, praecipue vero in ludo, qui Cervus

dicebatur. Haec tamen coniectura non est certa quia opus Paciani Cervus seu Cervulus ad nos non pervenit.

Conservatae restant solummodo tres epistolae sancti episcopi Barcelonensis ad Sympronianum Novatianum. Duae priores agunt de catholicitate Ecclesiae, ultima vero de iure Ecclesiae remittendi omnia peccata.

Prima epistola inscribitur „De catholico nomine" ac in septem solet dividi capita. Argumentum epistola continetur in hoc notissimo effato: „Nec tamen aestues, frater: Christianus mihi nomen est, catholicus vero cognomen" (c. IV; Migne P.L. XIII 1055)

In prooemio secundae epistolae s. Pacianus conqueritur Sympronianum fraude et malitia usum esse, deinde breviter respondet ad obiectiones, quas Sympronianus fecit priori epistolae Paciani.

Sympronianus adiecerat suae epistolae etiam tractatum, in quo errorem Novati defendebat. Hunc tractatum (in quo errorem Novati defendebat) Pacianus refutat in tertia epistola probans Ecclesiae ius omnia peccata remittendi.

Tres epistolae Paciani ad Sympronianum, certe nihil aliud sunt nisi opus contra Nova-

tianos a s. Hieronymo mentionatum. Hoc opus seu haec epistolae scriptae sunt post annum 377, quia mentionem faciunt apollinaristarum (ep. I c. 3; Migne P.L. XIII, 1054)

Editiones et Commentaria. Editio princeps J. Tillius. Parisiis 1538, quod reproductum est in Gallandi, Bibliotheca veterum Patrum VII, 257-276. Migne, Patrol. Latin. XIII, 1051-1094. – Ph. H. Peyrot, Paciani Barcelonensis episcopi opuscula edita et illustrata. Utrecht. Zwolle 1896.–

Bardenhewer in Wetzer et Welte's Kirchenlexikon. Freiburg in Br. Herder 1895 p. 1230-1231.

Aurelius Prudentius Clemens.

Pauca et insufficientia novimus de vita et gestis Prudentii, quae omnia prodeunt ex praefatione collectioni suorum operum poëticorum a se praemissa.

Opera sua Prudentius edebat 405 anno, suae autem aetatis tunc agebat 57 annum: „Aetas prima crepantibus flevit sub ferulis: mox docuit toga infectum vitiis falsa loqui, non sine crimine. Tum lasciva protervitas, et luxus petulans foedavit iuvenem nequitiae, sordibus ac luto. Exin iurgia turbidos armarunt animos, et male pertinax vincendi studium subiacuit casibus asperis" (Migne P.L. LIX 769)

non sunt ementita, sed ab humili aucto-
re ac poenitente de sua iuventute dicta non nimis ad literam sunt sumenda. Nam quae ipsi poenitenti crimina esse videbantur et lutum, benignior iudex iuvenilem excessum appellaret.

Non inaniter supponitur a quibusdam[1] Prudentium initio rhetor fuisse, hoc enim innuit sui sermonis elegantia et probat perfecta artis metricae cognitio ac usus.

Porro fatetur Prudentius se bis provinciae, probabiliter suae natalis Cataloniae, gubernatorem fuisse: „Bis legum moderamine frenos nobilium reximus urbium, ius civile bonis reddidimus, terruimus reos" (ib.; Migne P.L. LIX, 770)

Tandem favor imperatoris Theodosii evexit poëtam ad summas dignitates „Tandem militiae gradu evectum pietas principis extulit, assumptum propius stare iubens ordine proximo" (l.c.) Quidam eruditi haec verba ita intelligunt, ut dicant Prudentium fuisse summum ducem militarem, alii vero probabilius contendunt allatis verbis mentionari summam dignitatem in curia caesarea poëtae concessam.

Sed non alligavit animum Christiani splendor dignitatum. Relicta imperialis curiae gloria

1) Pichon, Histoire de la litterature latine. Paris. Hachette 1898 s. 811.

Prudentius in terram rediit natalem, ibique praeparare se coepit ad mortem. Quod tempus vitae suae Prudentius sic describit:

Dicendum mihi: quisquis es
Mundum quem coluit, mens tua perdidit.
Non sunt illa Dei, quae studuit, cuius haberis
Atqui fine sub ultimo
Peccatrix anima stultitiam exuet
Saltem voce Deum concelebret, si meritis nequit.
Hymnis continuet dies,
Nec nox ulla vacet, quin Dominum canat:
Pugnet contra haereses, catholicam discutiat fidem,
Conculcet sacra gentium,
Labem, Roma, tuis inferat idolis:
Carmen martiribus devoveat, laudet apostolos.

Annus mortis ignoratur; Bardenhewer et Roester ponunt indiscriminatius in tempus post annum 405, Pichon vero credit Prudentium mortuum esse circa annum 410.

Duo poëtae Christiani latini vixerunt ante saeculi IV exitum, nempe Commodianus et Iuvencus. Sed ille stylo utebatur barbaro et nihil fere poëtici in suis carminibus invenitur. Hic vero tam erat exemplaribus poëtarum ethnicorum addictus, ut vix aliquid Christiani in suis poëmatibus proderet. „Ecrivant pour des

classes lettrées, lettré lui-même et ancien rhéteur, il ne rompt pas violemment avec les traditions de la litterature romaine; mais chrétien sincère, pénitent fervent, penseur profond, il ne sacrifie rien d'essentiel dans ses croyences. Il ne s'amuse pas à effaroucher les gens, comme Commodien et n'a pas l'air de cacher peureusement son christianisme comme Juvencus. Il est artiste sans cesser d'être chrétien" (René Pichon, Histoire de la litterature latine. Paris. Hachette 1898 p. 881).

Copia et profunditate sententiarum Prudentius similis est Augustino, poësis vero illius non minus abundat praeclaris cordi~~bus~~ motibus, quam sententiis (La poesie de Prudence...n'est pas moins riche de sentiments que d'idées. Pichon l.c. p. 884).

Prudentius non timet intrare in discussiones doctrinales, licet sciat his suam poësim reddi posse minus amoenam, nam veritatibus non utitur ad ornandam poësim, sed poësi utitur ad proferendam veritatem. Ipse credit, quae dicit, et agit quae credit. Hac connexione poëseos cum vita Prudentius similis est Lucretio.

Post Horatium vix aliquis poëtarum apud romanos colebat lyricum scribendi genus. Prudentius hoc regeneravit condendo seriem

hymnorum ad omnes diei horas. In his sicut in dogmaticis versibus Prudentius perfecta utitur arte (Là, comme dans ses poésies dogmatiques, il se montre artiste consommé. R. Pichon l.c. p. 885). Diversitas metrorum, usitata ab Horatio redit apud Prudentium quibusdam novis mensuris ditata. Eadem ars singula adstruendi ideae principali apud utrumque apparet poëtam. Sicut Horatius ita novit et Prudentius dialogos poëticos ita vivide componere, ut dramatici fiunt.

Pindarus ex mentionatis rebus praesentibus transire solebat ad mentionanda antiqua. Hac re Prudentius fere magis excelluit antiquus graecorum poëta, gloriosiorem enim et copiosiorem habuit materiam in Antiquo Testamento, ad quod inducebat Prudentium sua pietas ac fides christiana. Digressiones in Antiquum Testamentum non nocent operum Prudentii quia non fiunt nisi in tantum, in quantum serviunt veritati principali clarius exprimendae.

Quatuor carminum collectiones scripsit Prudentius ad defendendam veram fidem christianam, nempe: 1) Apotheosin, in qua divinitatem Christi asserit contra patripassianos, sabellianos

iudaeos; deinde 2) Hamartigenia, ubi originem malorum in mundo deducit ex abusu liberae voluntatis creaturarum; porro 3) duobus libris Contra Symmachum impugnat polytheismum generatim et speciatim vertitur contra fractionem gentilem senatus Romani. Tandem 4) Psychomachia, quae sub forma allegorica repraesentat pugnam inter vitia et virtutes de anima humana subiuganda. Inter adversarios, qui pugnant, inveniuntur fides et idololatria.

Fere omnium horum operum tituli sunt graeci. Eruditi disputarunt quondam de forma titulorum latina, sed haec res minoris est momenti.

In Apotheosi sermo est de divinitate Christi, quam satis multi haeretici et iudaei praesertim in Hispania negabant. Licet Apotheosis est opus poëticum, tamen obiectiones adversariorum et explicationes fidelium tam accurate exponit ac si esset prosa scriptum. Opus constat 1085 versibus.

Hamartigeniorum titulus graecus significat originem peccatorum. Heinsius censebat hoc opus esse secundum librum Apotheoseos. Ratio id asserendi duplex est, nam et contra eosdem fidei adversarios diriguntur Hamartigenia contra quos scripta est Apotheosis, et etiam ideo quod in nonnullis (Thuanensi) codicibus manuscriptis post absolutam Apotheosim ponitur: „Incipit Hamartigenia liber secundus."–

Error Marcionis altas miserat in Hispania radices. Martionistae affirmabant duos esse deos, bonum nempe et malum, totiusque mali et omnium peccatorum originem deducentes a malo deo. Itaque Prudentius et Dei unitatem propugnat et Jesum Christum esse Deum demonstrat, quapropter licet contra haereticos scribat, tamen ea fundamentalia dogmata defendit quae praecipue ab infidelibus negabantur. Ideo etiam ad historiam theologiae fundamentalis pertinet utrumque opus

Augustus post Actiacam pugnam curiam Iuliam in honorem Julii Caesaris exstruxit in eaque collocavit statuam et aram Victoriae, ut senatores illuc convenientes thure ac mero supplicarent. Primus Constantius Constantini Magni filius eam aram diruit: non ita multo post reposuit Julianus Apostata, nec Jovianus et Valentinianus senior, christiani imperatores, removerunt. Gratianus, Valentiniani Senioris filius, non solum eiusmodi aram diruit, verum etiam sacerdotibus gentilibus romanis ac virginibus vestalibus emolumenta praestari solita negavit. Symmachus anno 382 gentilium senatorum nomine aram Victoriae et emolumenta sacerdotum restitui a Gratiano postulavit; sed Damasus, pontifex romanus ad Ambrosium, Mediolanensem episcopum, libellum plurium senatorum christianorum misit, qui nihil se tale

mandare affirmabat. Itaque agente Ambrosio, Symmachus ne auditus quidem fuit. Sed post Gratiani obitum Symmachus Valentiniano Juniori, Gratiani fratri, relationem suam pro ara Victoriae sacerdotumque privilegiis obtulit; quam Ambrosius memor legationis biennio ante sibi a Damaso mandatae, duplici libello refutavit. „Valentinianus Ambrosii consilium secutus est, neque aliter profecto fecit Theodosius, cui postea intimata fuit senatus legatio huiusmodi, oblata, ut ex his verbis Ambrossii colligitur, eadem relatione Symmachi vel summa rationum, quibus innitebatur. Iterum Valentiniano legatio missa in Gallias, nihil extorquere potuit etiam absente Ambrosio. Postea vero Eugenius tyrannus, cum gentilium petitioni semel et iterum restitisset, tamen tertio postulantibus annuit. Theodosius, Eugenio anno 394 profligato, eius acta pro superstitione pagana rescidit. Sub Honorio, saeculo quinto ineunte cum Gothi Italiam invasissent, Symmachus, occasione hinc arrepta, iisdem rationibus, quibus prius usus fuerat, de ara Victoriae repetenda agere coepit, cuius conatus Prudentius penitus repressit. Colligitur autem ex Prudentio, statuam Victoriae tamquam Urbis ornamentum diutius permansisse, quod confirmat Claudianus in Panegyrico de sexto consulatu Honorii," scribit Faustinus Arevalus in commentario ad praefationem Pru-

dentii in libros Contra Symmachum (Migne P.L. LX, 117, 118). Prudentius primo libro idololatriam impugnat, altero Symmachi rationes diluit (ib. p. 117.)

Sub respectu pulchritudinis poëticae infimum inter opera Prudentii locum occupat Psychomachia, cuius titulum latine varii varie reddiderunt, alii appelantes „De pugna animi", alii „De certamine virtutum et vitiorum", alii „Pugna spiritualis."

„Prudentius certamen inter virtutes et vitia descripturus, exemplum vincendi nobis proponit Abrahamum senem fidelem. Primas enim partes ac postremas pariter habet fides in hoc triumpho," ait idem R. Arevalus (Migne P.L. LX, 12). Itaque Psychomachia ex eo capite operibus apologeticis adnumerari potest, quod fidem christianam ideo commendet, quod haec sit valde utilis ad vitia pellenda acquirendasque virtutes. – Codex operum Prudentii, Thuaneus, saeculo IX scriptus, cum Hamartigenia partem Apotheoseos esse innuat, statim post Hamartigenia ponit: „Finit Hamartigenia liber II. Incipit Psychomachia liber III." Si haec inscriptio ab ipso Prudentio prodiret, tunc manifestum esset Apotheosim, Hamartigenia et Psychomachiam esse trilogiam seu omne opus tribus partibus compositum. Quidquid est de intentione ipsius auctoris, tamen negari non potest quoddam unitatis vinculum in argumento trium librorum. Apotheosis

probat divinitatem Christi, Hamartigenia peccata non a Deo sed ex creatura orta esse dicit, existentiam dei mali negat, ac proinde negativam partem prioris operis constituit, tandem Psychomachia ulterius procedit quam Hamartigenia, ostendendo Christi fidem esse remedium contra peccata.

Influxus Prudentii in posteriores fuit admodum magnus. Sua Psychomachia valde amabatur a monachis, qui eam frequentissime transcribebant etiam separatam ab aliis Prudentii operibus, quapropter huius operis plurimi exstant codices manuscripti. F. Arevalus etiam censet titulum operis ascetici „Pugna Spiritualis" a Scupoli exaratí fuisse a Prudentio inspiratum. Influxus Prudentii faciliorem reddebat haec circumstantia, quod sua carmina plurima in lithurgiam Ecclesiae catholicae, scilicet in horas canonicas recepta sunt. Rössler indicat quae carmina Prudentii ex opere suo Cathemerinon quando legantur in Breviario Romano tamquam hymni (Vide: Kirchenlexikon. Freib. i. Br. Herder 1897 vol. X col. 579). – In opere Peristephanon quattuordecim leguntur hymni quibus laudatur martyrum constantia et commendatur veritas religionis, pro qua passi sunt.

Codices, editiones et commentaria. Propter magnum influxum, quem Prudentius exercebat

in animos medio aevo, plurimi adsunt operum Prudentii codices manuscripti; inter omnes tamen principalem locum obtinet codex manuscriptus Puteaneus dictus, qui Parisiis conservatur in Bibliotheca Nationali sub n. 8084 et confectus est saeculo VI: Arevalus describit viginti codices in sola bibliotheca vaticana conservatos preterea mentionem facit plurimorum aliorum codicum. De codicibus praeter Arevalum tractat Dressel in sua editione operum Prudentii et R. Stettiner in opere „Die illustrierten Prudentius-Handschriften" Berlin 1895. – Neue Prudentiushandschriften (Berliner Philolog. Wochenschrift) 1898 vol. XVI, 27. – Neue Prudentiushandschriften von hohem Wert und Alter (Eranos 1896 I, III–6). – S. Bergmann, De codicum Prudentianorum generibus et virtute (Sitzungsberichte der Akademie der Wissenschaften zu Wien 157, 5 Abh. 1908.

Fabricius in Bibliotheca Veter. Latin. asserit se vidisse antiquam operum Prudentii editionem sine anni locive nota. Arevalus putat fieri posse, ut haec editio sit omnium antiquissima (elligne P.L. LIX p. 640). Aliae sex editiones prodierunt saeculo XV et plurimae recentiore tempore. Inter optimas adnumeranda est edito Arevali, quae duobus voluminibus prodiit Romae 1788 et 1789. Eadem est reproducta apud Migne in Patrologia Latin... vol LIX

et LX anno 1847 – Item eximia est editio A. Dressel Lipsiae 1860. – Vinc. Lafranchius, Aurelius Prudentius Clemens. Opera. Ad Bodonianam editionem exegit et variis lectionibus atque adnotationibus illustr. Augustae Taurinorum 1896.

Paul Allard, La polémique contre le paganisme au IV siecle, d'après les poèmes de Prudence (Contemporain 1884 vol. III p. 619-648. – P. Allard, L'hagiographie au IV siecle ... d'après les poèmes de Prudence (Contemporain 1885 p. 353-405). – Ant. Bayle, Etude sur Prudence. Paris 1868. – Gaston Boissier, Etudes d'histoire religieuse: le poète Prudence (Révue de deux Mondes 1889 vol. XCI p. 357-390). – V. Both, Prudentius Schrift gegen Symmachus. Rastatt. 1882. – Cl. Bockhaus, Aurelius Prudentius Clemens in seiner Bedeutung für die Kirche seiner Zeit. Leipzig 1872. – Brys, Etude sur la vie et les ecrits de Prudence. Louvain 1855. – Otto Hoefer, De Prudentii poëtae Psychomachia et carminum chronologia. Marburg 1895. – Aug. Erazm Kantecki, De Aurelii Prudentii Clementis genere dicendi quaestiones. Münster 1874. – Köster, Prudentius. – Jean Le Clerc, Vie de Prudence, avec la critique de ses ouvrages. Amsterdam 1689. – Joann. Petr von Ludewig, Dissertatio de vita Aurelii Prudentii Clementis. Witteberge 1692. – M. Manitius in Sitzungsberichte der

Akademie der Wissenschaften. Wien 1888-1889 CXVII, 25-37. – Seb. Merkle, Prudentius und Priscillian (Theologische Quartalschrift 1894, LXXVI, 77-125. – S. Merkle, Neue Prudentius Studien (Theologische Quartalschrift 1896 LXXVIII 251-275). – Aimé Puech Prudence, Etude sur la poèsie latine chrétienne au IV siecle. Paris 1887. – A. Roesler, Der Katholische Dichter Aurelius Prudentius Clemens. Ein Beitrag zur Kirchen und Dogmengeschichte des 4 und 5 Jahrhunderts. Freiburg i. Br. 1886. – V. Roth des christlichen Dichters Prudentius Schrift gegen Symmachus. Rastadt 1882. – J. M. Stowasser, Wiener Studien 1885, VII. – L. Valentin, La Psychomachie de Prudence et celle de St. Bernard (Bulletin de l'institut catholique de Toulouse 1895, VI, 307-311. – De la Vinaza, Aurelio Prudencio Clemente, ensago biographico critico.... Madrit 1887. – Aug. Zaniol, Aurelio Prudenzio Clemente, poeta cristiano, lettura Venezia 1889. – G. Krüger, Prudentius (Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche. Leipzig 1905 vol. XVI, 184-186). – Frz. Drexel, Des Prudentius Verhältniss zu Vergil. Metten 1906. – F. Ermini Prudenzio. Condizioni o vicende della vita del poeta (Rivista storico critica di scienze Theologiche Roma 1909, 5, 835-847). —

S. Augustinus.

Aurelius Augustinus natus est Tagastae in Numidia die 13 novembris 354 anni. Patrem habuit ethnicum Patricium, matrem autem sanctam Monicam. In tenere iuventute Augustinus frequentavit scholam Tagastae, deinde profectus est Madauram et post an. 371, quo suus pater conversus est ad christianismum et mortuus est, transiit Carthaginam.

Iuventus Augustini non fuit a vitiis aliena. Anno 372 ex concubina natus est sibi filius Adeodatus. Sed cor iuvenis mansit rebus praeclaris addictum. Ex lectura libri „Hortensius" a Cicerone scripti exarsit amore erga sapientiam. A tenerrima autem aetate persuaserat Augustino Monica Christum et sapientiam separari non posse. Sed Scripturae Sacrae displicebant iuveni rhetori, quia sermo earum erat inculta. Anno 374 Augustinus factus est manichaeus. Ipse enim credebat obiectioni, quam manichaei catholicis faciebant; quam obiectionem ipse Augustinus postea scripto notavit: „Nos superstitione terreri et fidem nobis ante rationem imperari .... se autem nullum premere ad fidem nisi prius discussa enodata veritate" (Augustinus, De utilitate credendi 1,2; Migne P.L. XLII, 66). —

Absolutis studiis Carthagine Augustinus rediit Tagastam, ut ibi rhetoricam profiteretur. Sed carissimo amico mortuo probabiliter eodem 374 anno rediit Augustinus Carthaginem, ut doloris oblivisceretur, ibique multos nactus est discipulos. Proconsul Vindicianus adiudicavit Augustino coronam agonisticam pro poesi et factus est suus amicus. Praeter rhetoricam amabat Augustinus ardenter scientiam legum naturalium quapropter addictissimus erat astronomiae investigator. Vindicianus et alius amicus Nebridius mentem Augustini a rebus astrologicis avertere voluerunt, sed nihil effecerunt. Nam inter causas, quae eum ad manichaeismum perduxerunt, et haec fuit, quod manichaei assererent nullum esse mysterium naturae quod non iam explicatum esset a Fausto, episcopo manichaeo Milevitano.

Augustino Carthagine rhetoricam docente venit Carthaginem et Faustus. Augustinus in colloquio cum eo comperit, illum non solum profundiore scientia naturali carere, sed esse val-

garem rhetorem. Praeterea compertum habuit Augustinus sic dictos electos manichaeorum reapse turpissimis vitiis indulgere. Porro viderat Augustinus ex parte manichaeorum nulla paria argumenta catholicis opponi, illorumque doctrinam totam consistere in evertendis catholicorum assertis, non vero in veritate positive adstruenda. Neque originem mali, quae res plusquam caetera cordi erat, manichaei sufficienter explicare poterant, licet solemniter promisissent. Propter has causas animus Augustini alienatus est a Manichaeismo.
Accessit etiam et haec circumstantia, quod ipse inter manichaeos nunquam „electis" adnumeratus fuit, sed mansit „auditor," scillicet quasi cathechumenus. Nihilominus etiam in errorem tantam iam habuit animi virtutem, ut non statim externa vincula cum manichaeis ruperit, sed novem annis inter eos manserit.
Fide in veritatem manichaeismi perdita, periit et ardor animi religiosus mentemque tristitia invasit. Trigesi-

mum annum aetatis agens Augustinus 383 clam a matre profectus est Romam, ibique in morbum incidit. Sanitati redditus scholam erexit eloquentiae multosque discipulos congregavit, sed expertus est ignobiles dolos discipulorum qui noluerint solvere pecuniam de qua convenerant. Agente urbis praefecto Symmacho accepit munus professoris rhetoricae Mediolani.
Ab anno 383 Augustinus tria subiit stadia mutationum interiorum. Initio de manichaeismi veritate valde dubitans societate Manichaeorum non valedicebat, imo Romae apud quemdam manichaeum habitabat. Sed philosophia Manis male contentus, in sceptitismum lapsus est. „Itaque academicorum more, sicut existimantur, dubitans de omnibus atque inter omnia fluctuans, manichaeos quidem relinquendos decrevi. Statui ergo tamdiu esse cathechumenus in catholica ecclesia mihi a parentibus commendata, donec aliquid certi eluceret quo cursum dirigerem." (Confessiones V, 25; Migne P.L. XXXII, 718).
Mediolanum profectus Augustinus sese dedit operibus Platonis et Plotinii legen-

dis. Systema philosophiae neoplatonicae respondebat et opinionibus Augustini de Deo, de malo, de Verbo et generatim altitudini suae mentis, quapropter credidit Augustinus se tandem veritatem invenisse ac proinde ardor veri in suo animo renatus est. Augustinus voluit reiicere omnes suas occupationes et societatem efficere virorum puro amore solius veritatis quaerendae ardentium, qui communem coelibemque vitam agerent. Etiam concubinam suam, Adeodati matrem, removit a se. Sed huic concubinae successit alia. S. Monica venit Mediolanum ad filium suum eique suadebat connubium, sed Augustinus coniugium non iniit dicendo virginem sibi a matre commendatam esse nimis iuvenem. His tamen omnibus rebus id effectum est, ut sole clarius pateret contradictio inter vitam Augustini eiusque desideria.

Eloquentia S. Ambrosii trahebat Augustinum. Hic iam frequenter legebat Scripturas, nec impediebatur barbarie sermonis earum; imo inveniebat in eis duas veritates sibi maxime necessarias, neoplato-

nicis vero omnino ignotas, nempe: Christum esse solam viam ad veritatem et salutem, gratiam autem necessariam ad bene et salutariter agendum. Quadam die Augustinus colloquium habuit cum Simpliciano presbytero et magis confirmatus est in veritate christiana; imo audivit conversionem neoplatonici Victorini, celeberrimi rhetoris. His itaque rebus rediit gradatim ad fidem catholicam. Tandem quadam septembris die anni 386 in horto mediolanensi vocem audivit „Tolle, lege". Accepit volumen Bibliorum et oculus casu adspexit ad haec s. Pauli ad Romanos verba: „Sicut in die honeste ambulemus: non in commessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et aemulatione, sed induimini Dominum Iesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis (Ad Rom. 13, 13-14). Haec verba quasi essent ad solum Augustinum directa, sic suum intellectum illustrarunt. Gratia autem Dei eodem momento tantas suppeditavit vires, quae sufficerent ad omnia vincula terrena rumpenda, quae accessum ad veritatem et

salutem impediebant.
Feriis autumnalibus 386 anni instantibus Augustinus deposuit munus professoris rhetoricae ac cum suis amicis recessit Cassiciacum, in villam scilicet prope Mediolanum positam. Ibi se ipsum et iuniores se amicos suos veritatibus christianis instruebat. Sic praeparatus una cum suo filio Adeodato et amico Alypio nocte ex 24 ad 25 aprilis 387 anni baptizatus est Augustinus Mediolani a s. Ambrosio episcopo. Post baptisma Augustinus voluit statim redire in Africam. Iam aggressus est iter, sed sua mater s. Monica mortua est Ostiae 387 an. Quapropter Augustinus iter interrupit et fere integrum annum Romae commoratus est, investigationibus scientificis deditus. In Africam rediit 388 anno.

Haec pars vitae Augustini, quae minus gloriosa videri potest ab ipso sancto patre descripta est in suis Confessionibus. Quae sequuntur tradita sunt posteritati a suo amico et discipulo Possidio, episcopo Calamae, qui vitam Augustini scripsit anno circiter 432.

Postquam in Africam rediisset, Augustinus vendidit omnia bona sua et pretium distribuit pauperibus unam sibi reliquens iam venditam villam prope Tagastam ibique una cum filio suo et aliquot amicis vitam duxit poene coenobiticam tribus circiter annis continuo in scientia religionis et eximiis virtutibus proficiendo. Anno 391 quidam amicus, qui Hipponae degebat, apellavit Augustinum qui suae saluti provideret. Augustinus venit ad sublevandum animum amici. Sed eodem tempore Valerius, senex episcopus Hipponensis, Augustino praesente in ecclesia movit causam novae ordinationis sacerdotalis. Populus fortiter clamavit Augustinum ad sacerdotium, Augustinus vero solebat eas urbes vitare, ubi electiones fiebant, ne eligeretur ad episcopatum, quapropter hic insperate electus lacrimare coepit. Sed cedere debuit ac cessit ordinatusque est sacerdos. Invite suscepti presbyteratus officia Augustinus optime adimplerit, Valerius voluit eum magis ecclesiae Hypponensi alligare, quapropter rogavit Megalium episcopum Calamae

et Numidiae primatem, qui Augustinum coepiscopum Hipponensem consecraret. Megalius id fecit anno 394. Anno vero sequente aut 396 mortuus est Valerius, ac Augustinus factus est episcopus Hipponensis.

Magna deberet scribere volumina qui vellet accurate exponere merita, quae Augustinus fecit triginta quattuor sui episcopatus annorum spatio. Hic tamen ea brevissime mentionanda sunt. Imprimis cleri sui pietatem ad altissimum erexit gradum, nam non solum castitatem ab eis exigebat, sed et paupertatem, atque communem cum clericis Hypponensibus agebat vitam, ita ut crederetur ordinis monastici institutor. Porro plurimas magnasque illius temporis profligavit haereses. Manichaeismum, imprimis, non (solum) cessavit impugnare inde a conversione sua ad fidem catholicam, deinde donatismi exstitit adversarius maximus et victor; porro liberavit ecclesiam a pelagianismo et semipelagianismo. Tandem arianismi ultimos destruxit errores. Maximum tandem Augustini meritum est

doctrinae catholicae positiva declaratio et propagatio. In sua ecclesia cathedrali populum instruebat homiliis et concionibus non raro quinque diebus consecutivis; deinde litterae ad Augustinum mittebantur ex omnibus fere mundi partibus. His litteris respondendo episcopus hipponensis varias gravissimasque fidei quaestiones explicabat. Ipse participabat in quattuor saltem conciliis carthaginensibus, duobus Milevitanis ac suo spiritu dirigebat multas alias synodos. Augustini ingenio animabatur vita intellectualis totius Ecclesiae universalis saeculo quarto exeunte et quinto ineunte. Augustini doctrina informabatur theologia catholica per quindecim centenaria et informabitur usque ad consummationem saeculi. Senex s. Hieronymus merito exclamavit ad s. Augustinum: „Macte virtute; in orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquae rursum fidei venerantur atque suscipiunt, et quod signum maioris gloriae est, omnes haeretici detestantur." (Ep. 195; Migne P.L. XXXIII, 891).

Paulinus Nolanus, cum perlegisset

quinque Augustini opera ab Evodio accepta in laudem Augustini sic exclamavit: „Ore sol terrae, quo praecordia nostra, ne possint saeculi vanescere errore, condiuntur! O lucerna digne super candelabrum Ecclesiae posita, quae late catholicis urbibus de septiformi lychno pastum oleo laetitiae lumen effundens, densas licet haereticorum caligines discutis, et lucem veritatis a confusione tenebrarum, splendore clarifici sermonis enubilas!" (Inter Epistolas s. Augustini XXV n. 1; Migne P. L. XXXIII, 101). Licet summa sint haec encomia, tamen veritatis magnitudinem non excedunt.

Augustinus dolore afficiebatur videns continuo turbas fieri in ecclesiis occasione electionum episcopalium. Ut Hipponem ab hoc malo post suam mortem liberaret, electionem sui coadiutoris, qui succedere sibi deberet, instituit anno 426. Electus est diaconus Heraclius, cui Augustinus cessit administrationem ecclesiae exteriorem.

Anno autem sequente, scilicet 427 proconsul Africae Bonifacius seditionem fecit contra puerulum imperatorem Va-

lentinianum III. Imperatrix, Placida, quae tunc temporis imperium regebat loco filii sui 419 anno nati, contra Bonifacium misit fideles sibi gothos. Bonifacius autem in adiutorium sibi vocavit vandalos. Sed vandali et gothi ariani erant. Hae duae nationes non solum varii generis miseriis corporalibus Africam inundarunt, sed et arianismum, quem Augustinus impugnaverat in eorum sibi Africam intulerunt propagaruntque. Ut regiones suas ab utroque malo liberaret aetate provectissimus sanctus doctor Ecclesiae, Bonifacium imperatrici reconciliare studuit. Tamen gaudium inde non habuit. Bonifacius ab exercitu legitimae potestatis pressus Hipponem confugit, quae urbs ad mare posita fuit et fortiter armata. Exercitus imperatricis obsidionem fecit. Tunc Hippo experta est omnia obsidionis mala. Augustinus vero in morbum incidit et post aliquot menses dolorum obiit anno 430, septuagesimum sextum annum aetatis agens.

De operibus s. Augustini suus antiquissimus biographus Possidius 432 anno scri-

bebat: „Tanta autem ab eodem dictata et edita sunt, tantaque in Ecclesia disputata, excepta atque emendata, vel adversus haereticos conscripta, vel ex canonicis libris exposita ad aedificationem sanctorum Ecclesiae filiorum, ut ea omnia vix quisquam studiosorum perlegere et nosse sufficiat" (c. 18; Migne P. L. XXXII, 49). Haec verba etiam recentissimo tempore omnino vera esse inveniuntur. Bardenhewer scriptis Augustini sex diversas inscribit demonstrationes genericas, quaedam autem opera extra has demonstrationes commemorat (Patrologie 2 Aufl. p. 420-434) et addit: Nemo latinorum Ecclesiae patrum tot tantaque reliquit nobis opera sicut Augustinus. Inter graecos solus fortasse Chrysostomus tantam litterarum beneficium nobis praestasse probari potest." (l. c. p. 435). Portalié autem opera Sancti Patris hipponensis in novem dividit classes, quarum duae ultimae considerari non debent, nam ad eas referuntur opera spuria et perdita. Septem autem priores sequentes sunt: 1° autobiographica et epistolae, 2° philosophia et artes, 3° apologia universalis

et polemica contra infideles, 4° polemica contra haereticos, 5° exegetica Scripturarum sacrarum, 6° expositio dogmatica et moralis, 7° theologia pastoralis et conciones.[1]

Maxima pars philosophicae classis tractat de quaestionibus ad theologiam fundamentalem spectantibus, sicut et tota classis apologiae universalis una cum polemica contra infideles. Ex polemicis contra haereticos ad fundamentalia theologica spectant opera, vel eorum partes, contra manichaeos scripta, ubi exponitur doctrina de Deo, providentia et malo.

Sicut in historia totius theologiae Christianae, ita et in historia theologiae fundamentalis s. Augustinus principalem occupat locum. Maximum autem inter opera apologetica et Augustini et totius antiquitatis est: „De civitate Dei libri viginti duo". Hoc opus spatio tredecim annorum scribebatur, inceptum est anno 413, liber decimus prodiit 415, libri vero ul-

1) Augustin (saint) in Dictionnaire de théologie catholique, Vacant-Mangenot. t. I Paris 1889-1903 col. 2286.

timi, scilicet XX–XXII apparuerunt 426.

Anno 410 Roma vastata fuit a barbaris. Ethnici dicebant causam calamitatis in eo esse, quod dii, qui antea urbem et rem publicam ac imperium protegebant, introducto cultu christiano, derelicti sunt ab hominibus, dereliquerunt homines ac ipsi; sine patrocinio autem eorum salus publica stare non potest, sed omnis generis mala irruunt in omnes. Sicut alii multi ita Volusianus vir quidam illustris, hac quaestione interius torquebatur. Hic sua dubia religiosa proposuit Augustino, non tamen directe, sed mediante tribuno Marcellino. Hic transmittens Augustino dubia illius, adiunxit „Haec ergo omnia ipsi posse adiungi aestimat quaestioni, in tantum ut per christianos principes, christianam religionem maxima ex parte servantes, tanta (etiamsi ipse de hac parte taceat) reipublicae mala evenisse manifestum sit." (Migne P. L. XXXIII, 515). Augustinus, postquam respondisset quaestionibus a ipso Volusiano clare propositis, ad instar „postscripti" addidit: „Scio enim excel-

lentiam tuam, quorundam perpeti obstinacissimas contradictiones, qui propterea putant vel putari volunt christianam doctrinam utilitati non convenire reipublicae, quia nolunt stare rempublicam firmitate virtutum, sed impunitate vitiorum" (Ep. 137 c. 5 n 20; Migne XXXIII 525). Deinde addit nullum peccatum manere a Deo inultum, omnem autem virtutem recepturam praemium non quidem in hac vita, sed in superna illa civitate coelesti. Haec tamen aliquot versibus constans responsio utique non correspondebat obiectati gravitati neque mentem Augustini sufficienter patefaciebat. Quapropter brevi post adiit praesul Hipponensis hanc quaestionem ex professo tractandam in opere de civitate Dei.

Obiectio senescentis paganismi movebat quaestionem de vigilantia providentiae divinae super rempublicam romanam. Augustinus autem dilucidando hanc quaestionem dilatavit eam, posuitque quaestionem universalem de cura scilicet paterna Creatoris erga totum genus exercita atque de consensu omnipotentiae

Dei adiuvantis ad bonum cum libertate creaturae, quae non caret inclinatione ad malum. Religio revelata est hoc continuum adiutorium ex initio mundi usque ad Christum et a Christo usque ad consummationem saeculi hominibus praestitum fortiter a Deo salva tamen semper libertate creaturarum, quae est origo mali et civitas Deo adversa.

Itaque iuxta Augustinum duae sunt civitates: alia enim civitas Dei, quam constituunt omnes qui Deo obediunt ex omni loco, lingua et natione, alia autem civitas terrestris, cuius membra sunt omnes inimici Dei. Harum duarum continuum luctamen historiam facit totius generis humani. Ante Augustinum nemo sic intelligebat civitatem, ut eam diceret esse universalem in toto mundo, ex hominibus diversi idiomatis compositam [1].

[1] Augustin hat dem Worte Staat, civitas einen völlig neuen Sinn unterlegt. (G. v. Hertling, Augustin. Der Untergang der antiken Kultur. "Weltgeschichte in Karakterbildern. Mainz. Kirchheim 1911. p. 100.

Praelectiones ex historia apologeticae prof. F. Buczys.

Argumentum operis ipse Augustinus in „Retractationum" libr. II c. 43. breviter sic proposuit: „Quorum (librorum) quinque primi eos repellunt, qui res humanas ita prosperari volunt, ut ad hoc multorum deorum cultum quos pagani colere consueverunt, necessarium esse arbitrentur; et, quia prohibetur, mala ista exoriri atque abundare contendunt. Sequentes autem quinque adversus eos loquuntur, qui fatentur haec mala nec defuisse unquam nec defutura mortalibus, et ea nunc magna, nunc parva, locis, temporibus, personisque variari: sed deorum multorum cultum, quo eis sacrificatur, propter vitam post mortem futuram esse utilem disputant.

His ergo decem libris duae istae vanae opiniones religioni christianae adversariae refelluntur.

Sed ne quisquam nos aliena tantum redarguisse, non autem nostra asseruisse reprehenderet; id agit pars altera operis huius, quae libris duodecim continetur. — Quamquam ubi opus est, et in prioribus decem quae nostra sunt asseramus, et in duodecim posterioribus redarguamus adversa.

Duodecim ergo librorum sequentium primi quattuor continent exortum duarum civitatum, quarum est una Dei altera huius mundi. –

Secundi quattuor, excursum earum sive procursum. Tertii vero, qui et postremi, debitos fines. Ita omnes viginti et duo libri cum sint de utroque civitate conscripti, titulum tamen a meliore acceperunt, ut de civitate Dei potius vocarentur." (Migne. P. L. XXXII, 648).

Homo religioni christianae extraneus Réné Pichon hoc protulit de opere Augustini iudicium: Il y a de tant dans ce livre colossal: une philosophie de l'histoire, une apologie du christianisme, une métaphysique, une morale, une demonstration de la Providence, tout cela est appuyé sur une masse de reinsegnements historiques, de souvenirs d'érudition, soit profane, soit sacrée, tout cela dans un style d'une force et d'une vivacité prodigieuse, d'une éloquence tantôt melancolique, s'il faut depeindre les malheurs de l'humanite, tantôt enthousiaste, s'il s'agit de chanter le triomphe de la relizion et d'exhorter les ames aux belles esperances.

Saint Augustin, dans ce prodigieuse ouvrage, a faite plus qu' exprimer une doctrine; il a créé une conception de la vie, car le moyen age, avec sa « chretienté » opposée aux infidéles, n'ai qu'un essai d'application practique de la « Cité de Dieu »." 1)

Idem auctor dicit: „...... Saint Augustin compose sa « Cite de Dieu », le plus considerable, les plus neuf de ses ouvrages, celui, qui montre te mieux la tendace philosophique de son génie. L'actualite n'est qu'une occa-

1) Omnia inveniuntur in hac giganteo opere: philosophica historiae tractatio, apologia fidei christianae, metaphysica, doctrina morum, Providentiae divinae demonstratio, omnia ista superstructa copiosissimo materiali historico, profanae ac sacrae eruditionis copia aucta expositaque stilo, cuius vigor ac fervor admirationem excitant, cuius eloquentia tristitiam praefert profundam quando de calamitatibus generis humani loquitur, vel exaltatione aplaudet quando religionis victoriam celebrat animosve ad preclaram excitat spem. Non solum doctrinam proponebat Augustinus in hoc admirabili opere, sed etiam novam condidit rationem vitae tractande; medium enim aevum condendo sic dictam

sion; tres vite, il agrandit le debat pour aboutir à toute une philosophie de ~~l'histoire~~." l'histoire." 2)

Caetera Augustini opera apologetica dividi possunt in tres partes:
1° ea, quae potius tractant de questionibus philosophicis ad theologiae fundamentalis systema nunc pertinentibus,
2° stricte apologetica contra infideles
et 3° polemica contra haereticos, qui quaedam capita doctrinae ad theolo-

civitatem christianam infidelium societatibus oppositam nihil aliud est nisi aliquod tentamen actis adimplendi id quod in „Civitate Dei" verbis proferebatur. — — Rene Pichon. Histoire de la litterature latine. Paris. Hachette 1898 p. 869.

2) S. Augustinus composuit suum „De Civitate Dei" novissimum gravissimumque opus ex quo optime pateat suae ingeniosae mentis philosophica directio. Nova et contemporanea in eo nonnisi occasionem praestant scribendi; auctor enim statim dilatat quaestionem de qua agebatur pervenitque ad condendam philosophiam historiae." Ibidem. p. 868.

giam fundamentalem pertinentia negabant.

1° Opera Augustini philosophica de religiosis quaestionibus praecipue scripta sunt statim post suam conversionem, quando scilicet Cassiciaci prope Mediolanum degebat. Haec opera licet simplicitatem praeseferant, tamen haec simplicitas maximae artis effectus et indicium est. Lingua horum operum est exquisitissima. Haec sermonis pulchritudo senescenti iam Augustino postea videbatur vitium fuisse, scribebat enim in prologo Retractationum: „Nec illa sane praetereo, quae cathechumenus iam, licet relicta spe quam terrenam gerebam, sed adhuc secularium litterarum inflatus consuetudine scripsi." (Migne P. Lat. XXXII 585, 586.).

Primum Augustini opus ex hoc genere est Contra Academicos libri tres. —

Plato ut notum est solebat docere in nemore Heri Academi, quapropter sui discipuli vocari coeperunt Academici. Temporis cursu variae scholae

philosophicae vocari coeperunt Academiae. Antiquitas quinque numerat academias: antiquam nempe, ad quam pertinebant Speusippus, Xenocrates, Crates Polemon, Crantor, deinde mediam seu Arcesilai scholam (341 – 315 ante Chr. nat.), postea iuniorem, cuius magister est Carneades (230 – 214 ante chr. nat.), porro quartam, cui praeerat Philo Larissensis Ciceronis (anno 87 a. Chr.) magister et tandem quintam, cuius princeps fuit Antiochus Ascalonensis, mortuus probabiliter circa a. 68 ante christum.

Academia vetus seu antiqua eclecticismi rationem sequebatur, sed praecipue Platonis et Pythagorae placita ulterius evolvebat.

Academiae autem Acesilai et Carneadis, scilicet media et iunior praecipue scepticismum sequebatur.

Licet recentiores academici potius dogmatismum sequerentur, tamen quarto etiam christianae religionis saeculo inter neoplatonicos et alios philosophos extra christianismum positos non pauci erant, qui negabant veritatem cum certitudine cognosci posse. Horum

opera nihil attulerunt ad philosophiam evolvendam, ut maximum, non pervenerunt ad nos, quapropter nec in historiis philosophiae nominantur.

Sed hi sceptici saeculi quarti academici vocabantur more antiquorum. Apud eos Augustinus a manicheismo se avertens sperabat solamen animi invenire sed non invenit; religioni autem catholicae redditus scepticismum eorum impugnavit in opere cuius titulum modo mentionavimus.

Contra Academicos libri tres scripti sunt autumno 386 anni ac dati sunt suo amico Romaniano, cuius duo filii apud Augustinum degebant discendi causa. Liber primus demonstrat felicitatem sitam esse non in quaerenda veritate sed in possidenda. Libris II et III Augustinus docet animum posse pervenire ad certitudinem veri et debere.

En summa capitum operis iuxta editionem Migne (P. L. XXXII) verbotenus.

Liber primus. Romanianus ad philosophiam incitatur proemio libri huius, in quo eius filius Licentius cum Trigetio per tres disputationes congreditur. Ille pro Academicis

beatam vitam ipsa inquisitione veri, hic contra nonnisi veri compreheusione constare propugnet. Venit in contentionem definitio erroris, necnon definitio sapientiae, quae luculenter explicatur.

Romanianus ad veram philosophiam exhortatur (c. 1.) Disputatio prima. An ad beatam vitam necessaria sit veri comprehensio, an sola eius inquisitio (c. 2). – Beatitatem in investigatione veri sitam esse pro academicis propugnatur (c. 3). – Quid sit error (c. 4) – Quidnam sit sapientia (c. 5). – Sapientiae definitio datur et impugnatur. Albicerii divinationes (c. 6). – Vindicatur data sapientiae definitio (c. 7). Hariolus an sapiens et quid sit sapiens. Sapientiae descriptio tuendae Academicorum opinioni accommodata (c. 8) Epilogus (c. 9).

Liber secundus. Romanianum mecenatem suum ad amplectendam philosophiam rursus cum grati animi significatione hortatur, tresque illi describit collationes, in quarum prima explicantur placita academicorum, in secunda novae ac veteris Academiae discrimina referuntur et exploditur scientia horum philosophorum, qui cum verum haud esse deprehendi putarent, veri tamen simile

ac saepi profiterentur. In tertia dicitur quod illi verisimile seu probabile appellarent. –

Contra Academicorum rationes Dei auxilio opus est (c. 1). – Romaniani grati animi obsequium exhibet eumque ad philosophiam hortatur (c. 2). – Philosolia et philosophia. Romanianum rursus ad philosophiam accendit (c. 3). Disputatio prima. Repetuntur in priore libro disputata (c. 4) – Academicorum placita (c. 5). – Disputatio secunda. Academiae novae et veteris discidium (c. 6). Adversus Academicos (c. 7) – Academicorum cavillatio (c. 8). – De academicorum sententia serio deinceps disputandum (c. 9) Verborum controversia non est, quae habetur cum Academicis, sed verum (c. 10) Disputatio tertia. Probabile quid sit. (c. 11) – Rursum de probabili et verisimili (c. 12) – An Academici dissimularint se scire verum. (c. 13.) –

Liber tertius. exhibet disputationes duos, quarum initio statuitur fortunam nihil sive adiumento sive impedimento esse sapienti. Mox Augustinus, repugnante pro susceptis partibus Alypio, probat nonnihil sciri a sapiente, utpote qui saltem sapientiam noverit. Deinde Zenonis definitionem discutit, et duo illa redar-

redarguit Academicorum placita: «Nihil percipi posse» et «Nulli rei debere assentiri». Dicit denuum videri sibi Academicos non ita sensisse uti vulgo existimantur. — Disputatio prima. Magnopere quaerenda veritas unde pendet vita beata (c.1). -An fortuna sapienti necessaria (c. 2) Differant sapiens et studiosus. Sapientem nonnihil scire, quia saltem scit sapientiam (c.3) Disputatio secunda. Rursus quod sapiens non est qui nihil scit (c.4). Academicorum inane suffragium praecluditur (c.5). Veritatem nisi divino ope non percipi (c.6) Augustinus Alypii hortatu habet deinceps orationem contra Academicos. Lepidus quidam locus Ciceronis refertur (c.7). Redarguitur locus e Cicerone allatus (c.8) Zenonis definitio discutitur (c.9) Duo Academicorum effata (c.10) Ex sensuum imbecillitate non effici ut nihil veri percipiatur. Neque ex somno et furore (c.11) Urget Academicos causare frustra sensuum vel somnii vel furoris deceptiones (c.12). - Multa percipi in dialectica (c.13) Sapientem oportet sapientiae saltem assentiri (c.14). An qui sequitur in agendo probabile etiam citra assensum, nefarium est (c.15). Facere quod videtur probabile etiam citra

assensum, nefarium est (c.16). Academici quare dissimularint suam sententiam (c.17). Qomodo probabile inductum ab Academicis (c.18). — Multiplex philosophiae genus (c.19). Conclusio operis (c.20). —

Ex eo quod Augustinus scripsit opus de cognoscenda veritate patet magnum epistemiologiae momentum ac necessitas ad construendum systema fidei christianae. Quapropter, qui epistemiologiam in systema theologiae fundamentalis introducit, merito ad Augustini opus „Contra Academicos" provocare potest. Recentissimo tempore Aloisius Schonid operibus suis apologeticis totam seriem gravissimarum investigationum epistemiologicarum praemisit. Ex his duobus tam distantibus ab invicem exemplis satis innui potest in natura rerum positam esse necessitatem veram adstruere doctrinam de cognoscenda veritate antequam accedatur ad motiva credibilitatis exponenda.

Similiter in Cassiciaco degens Augustinus scripsit librum unum „De beata vita". (Migne P.L. XXXII, 954-976) Occasio libri scribendi fuit grave colloquium, quod convictores Augustini et sua mater secum

habuerunt trigesimo tertio suo die natali in convivio 13 novembris 386 anni. Hoc colloquium deinceps, probabiliter, eodem anno ad finem vergente in scriptis redigit dedicavitque Manlio Theodoro, qui non frustra suspicatur esse idem cum Manlio mentionato in opere „De civitate Dei" l. 18 c. 54 ac consule anni 399.

Disputatio die natali inchoata tres perduravit dies, quibus singula in libro respondent capita. Cum autem disputationibus praemissa sit praefatio, ideo liber quattuor constat capitibus, quorum sequens est argumentum: Praefatio. Librum dicat Theodoro, eique aperit quibus veluti ventis ad christianae philosophiae portum impulsus sit. Occasio disputationis (c. 1) – Disputatio primae diei. Ex anima et corpore constamus. Cibus corpori necessarius. Animae quoque suus est cibus. Beatus non est, qui quod vult non habet. Nec tamen omnis, qui quod vult habet beatus est. Quid sibi homo comparare debet ut sit beatus. Quis Deum habeat. Academicus beatus esse non potest, ergo nec sapiens (c. 2) – Disputatio secundae diei. Quis Deum habeat eo

modo ut beatus sit. Spiritus immundus duobus modis appelari solet (c. 3). – Disputatio tertiae diei. De quaestione pridie proposita dicendum. Miser est omnis qui eget. Sapiens porro aliquo non eget. An omnis qui miser est, egeat. Animi egestas. Animi plenitudo. Quis demum sit beatus (c. 4). —

Omnis trium dierum dierum disputatio in id convergit, ut demonstraretur beatam vitam consistere nonnisi in perfecta cognitione Dei. Hanc ob causam „De vita beata" est quasi appendix ad libros „Contra Academicos." Idea principalis libri „De beata vita" logico nexu iungit librum philosophicum de cognitione veri cum tota serie posteriorum Augustini operum theologicorum. Immo beatitudo ex cognito Deo procedens quasi perficit et coronat disputationem de cognitione veritatis. Tamen logicus ille mentis notus nexus non caret defectu, qui loquitur de felicitate cognitionis Dei effectu antequam Dei existentiam demonstrasset. Augustinus hunc defectum admisit non obstante enorm

sui ingenii magnitudine quia construendo systemate theologiae fundamentalis nondum cogitavit, nec dubitavit, quia de existentia Dei dubitatio esse posset. —

In opere Retractationum Augustinus corrigendo librum „De vita beata" addidit perfectam felicitatem esse nonnisi in perfecta cognitione Dei, quae fuit in vita futurae (Retract. l. I c 2; Migne P. L. XXXII, 588).

Eodem 386 ad finem vergente Augustinus Cassiciaci scripsit adhuc duos libros De ordine, „in quibus, — ut ipse Augustinus docet, — magna quaestio versatur, utrum omnia bona et mala divinae providentiae ordo contineat." (Retract. l. I c. 3; Migne P. L. XXXII 588.).

Argumentum operis hic trado verbotenus iuxta editionem Migne P. L. XXXII 977—1020. Liber primus disputationes duas exibet, quarum prima docet omnia prorsus et bona et mala ordine divinae providentiae contineri. Secunda de ordinis praestantia et notione

nonnihil tangit; atque hic data occasione incompositos animi motus et pueriles glorialae obtentu rixas alumnorum suorum graviter carpit Augustinus tamque Monicam dicit ob sexum a philosophica disputatione minime arcendam esse. — Praefatio. Omnia divina providentia regi (c. 1). — Dedicat hoc opus Zenobio (c. 2.). — Disputatio prima. Occasio disputationis (c. 3). — Nihil omnino sine causa fieri (c. 4) Ordine cuncta Deus administrat (c. 5) — Ordo omnia complectitur (c. 6.) Deus non diligit mala licet ad ordinem pertineant (c. 7.) — Licentius philosophiae amore succensus. Reprehensus a Monica quod psalmi versiculum ad requisita naturae egressus cantitaret. (c) Liberalium disciplinarum utilitas (c. 8)

— Disputatio secunda. Ordo dux ad Deum (c. 9.) — Ordo quid. Ut certandi emulationis et inanis iactantiae motus in adolescentibus qui dant operam litteris (c. 10). Monica ob sexum non arcenda a philosophica disputatione (c. 11.)

Liber secundus. Disputationes hoc

libro duae continentur, quibus dum ordinis definitionem expendunt colloquentes, incidunt in varias quaestiones, scilicet: quomodo sapiens in Deo manet imotus, an etiam ea, quae perperam ab hominibus fiunt, ex Dei ordine agantur; utrum Deus imotus esset ante originem mali; utrum ex Dei ordine malum exortum sit. Agitur demum fusius de recto studendi ordine, qui postulat ut informatio rite moribus, et comparatis humanis disciplinis promoveatur animus ad altiora et divina percipienda. — Disputatio prima. Ordinis definitio expenditur (c. 1). Cum Deo esse quid sit. Quomodo sapiens cum Deo manet immotus (c. 2). — Stultitia an cum Deo sit (c. 3) Quae homo perperam agit, an ordine agat. Mala (ad, in ordinem redacta faciunt ad decorem universi (c. 4.) — Quomodo medendum errori credentium res nullo ordine geri (c. 5.) — Mens sapientis immobilis (c. 6). — Disputatio secunda (incipit medio capite sexto). Quomodo ordo fuerit cum malum esset.

(Praelectiones ex historia apologeticae prof. F. Buczys) (C. 7.)

Traduntur primum adolescentibus praecepta vitae, tum ordo eruditionibus (c 8). — Ad discendum auctoritate ducimur et ratione (c. 9). — Vitae praecepta pauci assequuntur (c. 10) — Ratio quid et huius in sensibilibus vestigia. Ut differunt rationale et irrationale (c. 11) Disciplinarum omnium excogitatrix ratio. Occasio vocabulorum. Occasio litterarum. Occasio numerorum. Occasio discretionis litterarum, syllabarum et verborum. Occasio historiae. (c. 12) — Dialecticas et rethoricas inventio (c 13). — Musica et poetica. Triplex sonus. Versus unde Rythmus (c 14) — Geometria et Astronomia (c 15) Disciplinae liberales afferunt ad divina intellectum (c 16) Arduas quaestiones ne attingant non instructi disciplinis (c 17) — Quo anima ordine provehitur ad cognitionem sui et ipsius unitatis. Omnia in unum tendunt (c 18) — Homo unde brutis praestantior, quomodo possit videre Deum Epilogus hortans ad bonam vitam (c 20)

Ex enumeratis capitum argumentis patet adesse in opere quaedam satis multa, quae fini operis sunt aliena. Augustinus nempe antequam scripsisset disputationes fecit cum discipulis suis de hac materia, in disputationibus autem patuit obiecti magnitudo, quae captum discipulorum excedebat. Quapropter necesse fuit tradere quaedam praecepta paedagogica dis-

putantibus discipulis utilia.
Liber de ordine scriptus est rogante et incitante Zenobio, cive medianalense, Augustini amico. Zenobius multoties rogavit Augustinum, ut scriberet de ordine. Augustinus negotiorum multitudine impediebatur. Tandem Zenobius carmine ad Augustinum scripto hoc opus provocavit.
Augustini opus „De ordine" adiungitur longae seriei aliorum operum apologeticorum de fato et providentia, tamen multa superat profunditate sententiarum ac intellectus acumine, difficultates feliciter dissolvente.
Anno 387 Augustinus scripsit Soliloquiorum libros duos. Ideo Soliloquia hoc opus appellatum est, quod refert dialogum auctoris cum semet ipsius mente. Opus excellet maximo desiderio cognoscendi Deum necnon eo, quod multas multasque virtutes requirit a sapiente.
En operis argumentum iuxta editionem Migne verbotenus. (Patr. Lat. XXXII, 869-904.)
Liber primus. Instituit se ipse Augustinus ad compessendam Dei et animae scientiam; ac primum divinam opem implorat, tum agnita illius quam concupiscit, scientiae praecellentia, colloquitur secum de animi sui sanitate promovenda, ut ad contemplendum Deum tuto demum assurgat.
Ad extremum libri colligit, ea, quae vere sunt immortalia esse. -- Praecatio ad Deum (c 1).

(Ad pulcherrimos Augustini operum locos et ad praeclaros fructus litterarum latinarum ac christianarum procul dubio adnumeranda est haec Augustini praecatio ad Deum initio Soliloquiorum posita.)
Quid amandum (c 2) - Cognitio Dei (c 3). - Certa scientia quae? (c 4). - Dissimilium eadem aut par scientia (c 5) - Sensus animae in quibus percipit Deum (c 6) - Fides, spes, caritas quousque necessariae (c 7). - Quae ad cognoscendum Deum necessaria (c 8) - Amor nostri (c 9). - Amor rerum corporis externorum. (c 10). Externa commoda non propter se, sed propter alia vera bona possunt admitti verius quam expeti (c. 11) - Nihil expetendum nisi quatenus conducit ad summum bonum, nihil horrendum nisi quatenus avocat (c 12). - Quomodo et quibus gradibus perspiciatur sapientia. Amor verus. (c 13). Ipsa sapientia sanetur oculi ut videri possit. (c 14). - Anima quomodo cognoscetur. Fiducia erga Deum. (c 15).
Liber secundus. Iis eo secum Augustinus de vero et falso copiose disputat, ut demum veritatis perpetuitate bene perspecta, animam ipsam hominis, quae veritatis sedes est, immortalem esse concludat. - De immortalitate hominis (c 1). - Veritas perpetua (c 2) - Si falsitas semper erit, et sine sensu esse non poterit, sequitur animam aliquam semper exstituram (c 3) - Ex falsitatis seu veritatis proprietate possitne colligi animae immortalitas (c 4).--

Verum quid sit (c 5). Unde falsitas et ubi (c 6; 6 u. 4
De vero et simili: Soliloquiae cur dicta. (c 7). – Unde verum ac falsum (c 8). – Quid falsum, quid fallax et quid mendax (c 9) – Quaedam eo vera et falsa (c 10). – Disciplinarum veritas. Fabula quid. Quid sit grammatica. (c 11). – Quot modis, quaenam sint in alio (c 12). Immortalitas animae colligitur (c 13). Excutitur superior syllogismus (c 14). – Veri et falsi natura (c 15). – An meliora deteriorum nominibus vocari possunt (c 16). – Num aliquid ex animi parte falsum sit aut verum (c 17) Anvere sit corpus (c 18) – Veritas immortalis arguit animae immortalitatem (c 19) – Quaedam vera creduntur, quaedam recordamur, quaedam nec sensu, nec phantasia, sed tantum ratione deprehenduntur (c 20) – Soliloquiorum opus est ex una parte continuatio epistemologicorum Augustini operum, quae agebant de veritate (Contra Academicos). Cum autem maxime occupetur studio cognoscendi Deum, est quasi ulterior evolutio operum „De vita beata", „de ordine" ubi sermo est de Deo eiusve existentia. Tandem Soliloquia, cum agant de animae immortalitate quae cognosci posse dicitur ex veritatis aeternitate, praeparatio sunt ad librum „De immortalitate animae" Mediolani an. 387 scriptum. Liber constat sedecim capitibus quarum sequens est argumentum iuxta editionem Migne (P. L. XXXII 1021–1034) verbotenus:

Prima ratio, quod anima sit immortalis, quia subiectum est disciplinae quae semper est (c 1). ——

Alia ratio quia subiectum est rationis quae non mutatur (c 2). – Viva substantia et immutabilis animus nec si aliquo modo mutabilis, propterea mortalis sit. (c 3) – Ars et ratio numerorum immutabilis quae animo non sine vita inhaerent (c 4) – Animus non mutatur ut desinat esse animus (c 5) – Ratio quae incommutabilis est, sive in animo sive cum animo sit, sive animus in ea, ab ipso eadem animo separari nequit (c. 6). – Nec si per substantiam ad defectum tendit animus, ob id interit (c. 7) – Ut corpori non potest auferri quo corpus sit, ita et animo quo animus est. (c. 8). – Animus vita est, sic vita carere non potest (c. 9). – Animus non est temperatio corporis (c. 10). – Animus nec per falsitatem perit veritati contrariam, et si animi est, causa veritas (c 11). Veritati a qua est animus quod est quatenus ipse est, nihil contrarium (c 12). – Animus nec in corpus convertitur (c 13). Nec somno nec huiusmodi affectione animae vim minui (c 14). – Rursum animam non posse in corpus mutari (15). – Ne in animam quidem irrationalem rationalis anima convertitur. Anima tota est in toto corpore et singulis partibus. Argumentum in libro „Soliloquiorum" et in libro „De immortalitate animae" propositum ad probandam hanc immortalitatem ipsi Augustino videbatur esse insufficiens. Ipse enim scribit in „Retractationibus" c. 5 n. 1:

„Qui (liber) primum ratiocinationum contortione et brevitate sic obscurus est ut fatigat, cum legitur, etiam intentionem meam, vixque intelligatur a meipso" (Migne P.L. XXXII, 590) Liber hic, testante ibidem Augustino praeter voluntatem auctoris publici iuris factus est. Huic operi Augustinus addidit & aliud opus psychologicum: „De quantitate animae". Hic liber scriptus est Romae, quia ipse Augustinus „Retractationum" c. 8 n. 1. dicit se hunc librum scripsisse „in eadem urbe", ac super libros „De moribus Manichaeorum" et „de moribus Ecclesiae Catholicae". Hos autem constat ex ipsius auctoris testimonio (Retract. c. 7, n. 1) Migne P.L. XXXII 591) scriptos esse Romae post baptisma Augustini. Liber refert dialogum Augustini cum iuvene. Quidam recentiores codices manuscripti interlocutoris nomen videntur ponere Adeodatum. Haec tamen lectio falsa, quia in antiquioribus manuscriptis deest hoc nomen, sed adest signum quoddam designans initia obiectionum collocutoris. Hoc signum copistae putarunt esse Adeodati nomen abbreviatum. Sed Adeodatus anno 188 fuit puer sedecim annorum et nondum capax philosophicae interlocutionis. Imo Augustinus in epist. a 162 n. 2 ad Evodium scripta consilium dat relegendi: „quae de conferente mecum ac sermocinante conscripsi sive De animae quantitate sive de libero arbitrio" (Migne XXXIII. 705)

...entum huius libri verbotenus ex Migne

(XXXII, 1035–1080). In hocce dialogo seu de anima quaestiones a collocutore proponuntur Augustino; quarum tertiam scilicet, quanta sit anima, penitus tractaturus distinguit in primis duplex quantitatis genus, unum a mole et loci spatio; alterum a potentia et virtute dictum: illud quidem proprium corporis ab anima, quae prorsus incorporari, excludi, hoc autem reperiri in illa docet deinde magnitudinis istius gradus septem assignat, ad quos revocat quidquid anima humana sive in corpore sive in seipsa, sive denique apud Deum valet. — Sex de anima quaestiones Evodius proponit. Unde sit anima. Animae patria Deus. Animae substantia propria et simplex (c 1) – Anima qualis sit (c 2) – Anima quanta sit (c 4). – Animam nonnihil esse, tametsi nec longa nec lata sit (c 4). – Infinita animae vis (5) – Longitudo mera et simplex (c 6) – Compendiosior et multitudini tutior ad veritatis perceptionem via per auctoritatem, quam per rationem (c 7) – De figuris mathematicis. Quot lineis figura fiat. Quomodo tribus lineis figura potest fieri (c 8) Quae figura praestantior. In triangulo quid angulo contrarietur. (c 9). – Summa aequalitas in figuris (c 10). Figurarum praestantia. Quid signum sit. Quid punctum (c 11). – Puncti potentia (c 12) – Animus incorporeus cernit incorporea. Animus quid sit (13). – Animus incorporeus quantum valeat (c 14) Obiicitur animam aetate crescere (c 15) – Respon-

ditur obiectioni et ostendatur animam sine corporeo incremento proficere (c 16). — Anima spatio temporis crescere dicitur metaphorice (c 17). — Loquendi facultas quam puer palatim assequitur, non tribuenda incrementis animae (c 18) — Anima quomodo crescere minuive dicatur (c 19) — Anima unum quid bene sciat (c 20). — Vires in maiori aetate ~~non~~ maiores non sunt argumentum crescentis animae (21) Unde vires corporis maiores (22) — Anima tametsi per totum corpus sentit, non idcirco est cum corpore extensa. Quid sensus et quomodo sit visio (c 23) Expenditur definitio sensus (c 24) Definitio quomodo examinanda (c 25) — Scientia et ratio num in bestiis (c 26) — Ratio et ratiocinatio (c 27) — Bestiae vim sentiendi habent non autem scientiam (c 28) — Scientia et sensus quid differant (c 29) — Anima quae ubique sentiat in corpore non id circo est per totum corpus diffusa (c. 30). — Vermiculi secti partes moventur. An argumentum sit animae per totum corpus extensae (c. 31). — Dissecto corpore anima non secatur. Frusta dissecti corporis vivere possunt, cum anima secta non sit. Deinceps de animae quantitate, ratione virtutis ac potentiae (c. 32) Vis animae in corpor~~a~~e, in seipsa et apud Deum,

septem eius magnitudinis gradus constituit (c. 33). — Anima solus Deus melior, adeoque solus ei colendus est (c. 34). — Actus animae iuxta septem praefatos gradus appelantur (c. 35). — Attinguntur reliquae de anima quaestiones. Quae sit religio vera (c. 36). —

Ex sententiis in libro „De quantitate animae" s. Augustinus, cum librum Retractionum scriberet, duas praecipue retractavit. Imprimis dixerat c. 20 „omnes artes animam secum attulisse...; nec aliud quidquam esse id quod dicitur discere, quam reminisciae recordari". Hoc Augustinus non sic intelligi vult ut animae praeexistentia admittatur. Nec ontologismum videtur Augustinus profiteri, licet in hoc reiiciendo aliquatenus obscuritur sit.

Porro retractat quandam obscuriorem locutionem ita explicans eius sententiam, ut poteat dicere voluisse hominem sibi ipsi magis esse reddendum esse Deo (Retract. l I c. 8; Migne XXXII 594). —

In libro „De qualitate animae" plures motae sunt quaestiones quam solutae. Tres quaestiones non solutas vult solvi posteriore tempore quia sperat se maiorem temporis copiam habiturum, sed conditionem ponit; si suus collocutor Evodius solverit.

De Magistro liber unus. „Annorum ferme quindecim" erat Adeodatus quando una cum patre suo Augustino baptisma accepit 387 anno, quod testatur ipse sanctus Doctor Confessionem l. IX c. 6 (Migne XXXII 769). Adeodatus „cum esset in annis sexdecim" collocutionem cum patre suo habuit, quod colloquium deinceps in librum redactum est (Confess. ibid). Scriptus tamen est hic liber post libros De Gnosi contra Manichaeos et De Musica qui circa an. 389 prodierunt. Itaque opus „De Magistro est ex anno 389.

Argumentum libri sic exprimitur ab editoribus in collectione Migne (P.L. XXXII, 1193–1220): „In quo (libro) de verborum vi atque officio disputatur copiose, quo demum non verbis quae foris homo personat, sed aeterna

virtute intus docente scientiam rerum obtineri evincitur. – Locutio ad quid instituta (c. 1). – Verborum significatus nonnisi verbis ab homine ostenditur (c. 2). – An res aliqua monstrari absque signo possit (c. 3). – An signa signis monstratur (c. 4). – Signa mutua (c. 5). Signa sui significativa (c. 6). – Epilogus praecedentium capitum (c. 7). – Non frustra haec disputari. Item signis auditis animum, ut interroganti respondeatur, ad res significatas esse referendum (c. 8). – An res quaeque, vel eius cognitio pluris habenda sit quam ipsius signa (c. 9). – An quaedam doceri sine signis queant. Res non discuntur per ipsa verba (c. 10). – Discimus non verbis foris sonantibus, sed docente intus veritate (c. 11). – Christus veritas intus docet (c. 12). – Verborum vi ne quidem animus loquentis aperitur (c. 13). – Christus intus docet, homo verbis foris admonet (c. 14). –

Ex maiore sua parte hic liber pertinet ad psichologica et epistemologica Augustini opere, tamen capita 12 et 14 ostendunt hunc librum pertinere ad systema Augustini

theologicum. Imo ipse Augustinus scopum ac ideam huius libri principalem indicavit Retractationum l. I c. 12: „Per idem tempus scripsi librum cuius est titulus De Magistro. in quo disputatur et quaeritur, et invenitur, magistrum non esse, qui docet hominem scientiam, nisi Deum secundum illud etiam quod in Evangelio scriptum est: Unus est Magister vester Christus (Math. 23, 10) Migne P.L. XXXII, 602).

2° Opera s. Augustini, quae aut positivae fidem christianam adstruunt aut negative contra paganismum vel iudaismum scripta sunt. Opera haec scripta sunt annis 389-410 excepto Tractatu contra Judaeos cuius tempus incertum est et repertur a quibusdam ad an. 428.

In libro Retractionum post mentionatum librum De Magistro anno 389 Tagastae scriptum s. Augustinus ait: „Tunc etiam De Vera Religione librum scripsi" (c. 13. Migne P.L. XXXII, 602). In Retractationibus hic liber positus est ultimo loco ante libros Hippone ab Augustino iam presbytero

scriptos. Presbyteratus ordinem suscepit et Hippone commorari coepit Augustinus 391, quapropter Portalié non indicat accurate annum originis huius libri, sed eum refert ad spatium trium annorum commorationis Augustini Tagastae, scilicet 389-391 (Dictionnaire de Théologie Catholique vol. I col. 2291). Sed editores in collectione Migni'ana (P.L. XXXIV, 121. 122) accuratius indicant annum 390, quo liber De Vera Religione scriptus est, nam hoc anno scripta est Augustini epistola 15 ta, in qua legitur: „Scripsi quiddam de catholica religione, quantum Dominus dare dignatus est, quod tibi volo ante adventum meum mittere, si charta interim non desit (Migne P.L. XXXIII, 81).–

Ex initio capitis septimi De Vera Religione potest hunc librum dedicatum esse Romaniano ubi Augustinus scribit: „Quamobrem, cum ante paucos annos promiserim tibi scribere, charissime mihi Romaniane, quid de vera religione sentirem, tempus nunc esse arbitratus sum, postquam tuas acerrimas interrogationes,

sine ullo certo fine fluctuare, ea charitate qua tibi obstrictus sum, diutius sustinere non possem" (Migne P.L. XXXIV, 128). Quaedam umbra promissionis deprehendi potest in II libro Contra Academicos c. 3 – 8, ubi Augustinus promittit Romaniano ac dispersurum reliquias dubium huius viri: „vel cum tibi aliquam inter nos disputationem de religione misero, vel cum praesens tecum multa contulero" (Migne P.L. XXXII, 923).

Argumentum libri iuxta editionem Migne hic verbotenus trado. „Praemisso veram religionem non reperiri apud paganos, neque in secta illa praeter quam in catholica Ecclesia; mox divinae oeconomiae erga humanam salutem historia (quod quidem christianae religionis caput ac fundamentum est) sic explicatur ut Manichaeorum de duabus praesertim naturis seu de mali origine et natura errores revincantur. Agitur de duplici via qua Deus hominibus consulit, auctoritate credentes ad salutem vocans, intelligentes ratione. Quippe ratione subnixus homo ex rebus inferibus ad Deum evehitur: imo ad

ipsum prosequendum admonetur ex ipsis vitiis, de quorum triplici genere prolixum hic sermonem instituit Augustinus, qui denique unum verum Deum, id est Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum vera religione colendum esse concludit". Nunc argumentum per singula capita ex eodem Migne P. L. XXXIV, 121–172. Philosophi de religione aliud in scholis docebant, aliud in templis profitebantur (c. 1). – De diis quid Socrates senserit. Mundus hic pro Deo habitus (c. 2). – Vera religio christiana, quae hi persuasit, quod illis persuaderi posse Plato non credidit (c. 3). – Philosophi qui sensibilibus toti haerent contemnandi (c. 4). – In quibus sectis vera religio. Munus divinum. Spiritus sanctus (c. 5). – Vera religio in sola Ecclesia catholica, quae omnibus errantibus utitur ad provectus suos. Boni nunquam ex Ecclesia per seditiosos expulsi (c. 6). – Catholicae Ecclesiae religio amplectenda. Quid illa profiteatur (c. 7) – Quae primo auctoritate ducti credidimus, postmodo ratione intelligimus. Haeretici prosunt Ecclesiae (c. 8). – Manichaeorum error de duobus principiis

et duabus animabus (c. 9). – Historiam divinae oeconomiae erga nostram salutem narraturus, ostendit primum unde error in religione contingat, et quomodo perfecta religio Deo subveniente instauretur (c. 10). – Omnis vita a Deo. Mors animae, nequitia (c. 11) – Lapsus et reparatio totius hominis (c. 12). – Angelorum differentia (c. 13). – A libero arbitrio peccatum (c. 14). – Poena ipsa peccati ad resipiscendum erudimur (c. 15). – Incarnato Verbo beneficentius homini consultum est (c. 16). – Doctrinae ratio in vera religione quam optima seu Vetus seu Novum Testamentum spectatur (c. 17). – Creaturae quare mutabiles (c. 18). – Bona sunt, sed non summa bona quae vitiari possunt (c. 19). Unde animae vitium (c. 20). – Anima seducitur, dum fugaces corporum pulchritudines consectatur (c. 21). – Rerum transeuntium administratio solis impiis displicet (c. 22). – Omnis substantia bona (c. 23). – Duplici via saluti hominis consulitur, auctoritate et ratione; ac primo de auctoritatis subsidio agitur usque ad caput 29 (c. 24). Quorum hominum seu librorum auctoritati

rerum experientia praepollent. Non ideo daemones praeponendos esse hominibus (c. 3). Mira quaedam etsi daemones faciunt, contemnendi (c. 4). – Unde daemones praenuntient ventura (c. 5). Divinatio daemonum quam distans ab altitudine prophetiae divinae. Daemones plerumque falli et fallere. Quomodo fallentur. Quomodo fallunt (c. 6). – Cur daemones ipsorum mala vel silent, vel praedicant interdum (c. 7). Daemones praedicere quaedam vera ex oraculis prophetarum potuisse, nihil tamen ausos dicere contra Deum verum (c. 8). Daemonum cultus unius Dei cultui censurus praedictum a prophetis (c. 9.) Paganorum reliquiae frustra iactant doctrinam et sapientiam suam (c. 10).

Hic libellus utilis est in theologia fundamentali, quia pertinet ad fontes ex quibus rem manticam ethnicorum cognoscere possimus. Cognitio autem huius manticae multum iuvat rectum iudicium de prophetiis messianicis, quae argumentum principale constituunt divinitatis Christi: In hoc libro patet acumen, celeritatem motus, diuturnamque experientiam inter causas referat, ob quas unius personae intellectus superare potest alterius personae intellectum atque hac superioritate abuti ad

efficiendum falsum vaticinium.

Quaedam epistolae s. Augustini tam sunt longae ut etiam opera dici debeant. Ad hoc genus operum in forma epistolari datorum pertinent:

Sex Quaestiones contra paganos expositae.

Ipse sanctus auctor in l. II. Retractationum c. 31 (Mig. XXXII. 643) tradit et occasionem scribendi et argumentum. „Inter haec (scilicet plus minusve eodem tempore, quo scribatur liber de Divinatione Daemonum) missae sunt mihi a Carthagine quaestiones sex, quas proposuit amicus quidam, quem cupiebam fieri christianum, ut contra paganos solverentur, praesertim quia nonnullas earum a Porphyrio philosopho propositas dixit. Sed non eum esse arbitror Porphyrium Siculum illum cuius celeberrima est fama. Harum quaestionum disputationes in unum librum contuli, non prolixum, cuius est titulus: Sex quaestiones contra paganos exposita.–

„Earum autem prima est de resurrectione; secunda de tempore christianae religionis; tertia de sacrificiorum distinctione; quarta de eo quod scriptum est „In qua mensura mensi fueritis remetietur vobis" Mat. 7, 2; quinta de Filio Dei secundum Salomonem; sexta de Iona Propheta".–

Has quaestiones paganus homo, Augustini amicus non ipse proposuit Augustino, sed sacerdoti carthaginensi, cuius nomen fuit Deogratias. Hic vero sacerdos eas misit Augustino, responsum postulans.–

Quaedam horum sex obiectionum nulla explicatione indigit. Obiectio autem tertia: „De sacrificiorum distinctione" in hoc consistebat, quod pagani dicerent a christianis ipsis adhiberi ritus sacro et thura et hostias quae anima Christi dicelae apud paganos vituperant. Augustinus negat paritatem rituum et sacrificiorum paganorum et christianorum. Obiectio ex Mat. 7, 2 formabatur. Dictum est contra aeternitatem poenarum infernalium, quae dicebantur debere absolvi definito temporis spatio sicut brevi consumatur tempore culpa. Augustinus dicit peccatum puniri in voluntate, voluntas autem hominis in peccato mortui aeternae manet peccato adiuncta ac proinde aeterna poena afficitur. Peccator sine misericordia iudicat et sine misericordia iudicatur. Quod semel iudicatum est a Deo hoc ~~tempore~~ semper manet iudicatum.–

In quinta obiectione asserebatur Salomonem dixisse « Filium Deus non habet » Augustinus negat factum et probat contrarium. Haec epistola scripta est circiter 408 anno. Sic enim censet Portalié, sed rationes definiendi hoc tempus nec ipse tradit, nec partes benedictini Operum Augustini editores.—

Ad Dioscorum paganum epistola 118. Anno circiter 410 ineunte quidam Athmicus Dioscorus scripsit Augustino epistolam in qua plurimos proposuit quaestiones praecipue profanas. „Augustinus, ut aiunt editores Migneani (P.L. XXXII, 431, 432), Dioscoro respondet eiusmodi quaestiones nec decōre tractari ab episcopo, nec utiliter disci a christiano. Disputat (tamen) de studiorum fine ac de summo bono, exhortans Dioscorum, ut Christianam sectatur philosophiam, quae sola divinae humilitatis exemplo proposito veritatem persuadere potuit. Illustrat demum (lo..) locus quosdam Ciceronis, philosophorum de Deo sententias reprehendentis.—

Portalié de hac epistola recte ait eam esse „un essai d'apologie indirecte en réponse à des questions de rhétorique profane qu'il écarte" (genus quoddam apologiae indirectae, quae fit per responsa ad quaestiones rhetoricae profanae, licet has quaestiones Augustinus neget se examinare velle. Dictionnaire de théologie catholique t. I col. 2291.

Tractatus adversus Iudaeos probabiliter fuit sermo prolatus de divina legatione Christi et de reprobatione populi iudaici. Portalié, licet dubitans, dicit hunc tractatum prodiisse 428 anno.

Argumentum tractatus verbotenus iuxta Migne P.L. XLII, 51-64. Severitatis Dei exemplum in excisione iudaeorum; bonitatis vero in insitione gentium. Iudaeorum caecitas ex scripturis Veteris Testamenti convincenda (c. 1). Instrumenti Veteris libro ad nos pertinere, eorumque praecepta per nos melius adimpleri (c. 2). Christus legem non evacuavit auferendo, sed implendo mutavit. Mutatio veterum sacramentorum praedicta in psalmis (c. 3). Christus in psalmo 44 praenuntiatus (c. 4). Titulo psalmi 68 qui de Christi passione scriptus est etiam mutatio

praedicitur (c. 5). Titulus quoque psalmi 79 praenuntiat mutationem. Mutationis faciendae testimonia contra iudaeos apertiora (c. 6). Iudaei prophetias quasdam pro se non recte interpretantes. Quae magis in iudaeos quadrant prophetarum voces (c. 7). Iudaeorum a Deo dimissio per Isaiam praenuntiata (c. 8). Dimissio iudaeorum clarius praedicta per Malachiam. Sacrificium christianorum ubique in terra et in coelo offertur (c. 9) - Qua charitate invitandi Iudaei ad fidem (c. 10). -

Opusculum valde utile ad illustrandas prophetias messianicas tamquam argumentum divinae missionis Christi. Tamen s. Augustinus videtur minimum valorem tribuisse verbo „mutatio", quod inscribitur quibusdam psalmis. Hoc verbum probabiliter non fuit nisi quaedam indicatio ad unum cantorum non ab ipso poeta sacro, sed cantus directo posit. -

3) Tertium genus operum apologeticorum s. Augustini praesertim consistit in operibus suis polemicis contra Manichaeos et Donatistas, qui negabant quasdam partes doctrinae christianae seu systema

theologiae fundamentalis pertinentes. Hoc genus operum propter materiae copiam nonnisi breviter perstringi debet, excepto opere de Libero arbitrio, quod inter summa scripta Augustini memorandum est.

Non est mirum Augustinum, qui initio manichaeorum sectae addictus fuit, deinceps quam plurima opera contra manichaeos scripsisse; et doctrinam eorum optime noverat et occasionem frequentissimam habuit agitandi huius doctrinae sententias.

Commoditatis gratia dividam hoc ultimum operum Augustini apologeticorum genus in tres classes, nempe: a) in eos qui loquuntur de quaestionibus theodiceae, b) de psychologia et c) de Ecclesia. Controversiam de Antiquo testamento omittimus, licet et ipsa aliquatenus ad nos pertinere possit.

Ad primam classem pertinent:

1) Acta seu disputatio contra Fortunatum manichaeorum, porro 2) Liber contra epistolam manichaei quam vocant «Fundamenti», postea 3) De actis cum Felice manichaeo

libri duo, item 4) Liber de natura boni contra manichaeos, ac 5) Liber contra Secundinum manichaeum. Tandem huic classi adnumeramus Refutationem cuiusdam operi manichaei, quae plurimas quaestiones tractat, nempe 6) Contra Faustum manichaeum libri triginta tres.

Acta seu disputatio contra Fortunatum Manichaeum. Opus editum est apud Migne P. L. XLII, 111-129. Ipse Augustinus de hoc opere loquitur Retractationum lib. I c. 16 (Migne P. L. XXXII, 612) "Quidam Fortunatus praesbyter manichaeus habitabat Hippone et multos ad manicheismum seducebat, ut propter illos ibi eum delectaret habitare. Quapropter Augustinus cum hoc Fortunato disputationem publicam instituit duobus conse-tivis diebus scilicet 28 et 29 augusti 392 anni, „Sed consequente die tandem conversus est Fortunatus nihil se adversus nos invenisse quod diceret.

Nec sane catholicus factus est, sed tamen ab Hippone discessit" (Retract. l. I c. 16 Migne P. L. XXXII, 612) Haec disputatio Augustino et Fortunato altercantibus excepta est. a notariis, veluti gesta conficerentur, nam et diem habet et consulem (Ret. l. c.). Disputationis obiectum fuit origo mali. Fortunatus eam dicebat esse adeo coaeternam, Augustinus vero repetebat ex libera creaturarum voluntatem.

<u>Liber contra epistolam manichaei quam vocant « Fundamenti »</u>, editus Migne P. L. XLII, 173-206, mentionatur ab Augustino Retract. l. II c. 2 (Migne P. L. XXXII, 631) Hic liber refutat librum Manichaeorum fundamentalem in quo principia fundatoris huius sectae exponebantur. Refutatio scripta est antea mortem Valerii Hipponensis, ab Augustino iam praesbytero, post disputationem cum Fortunato, scilicet annis 393-396.

De actis cum Felice manichaeo libri duo, editum est a Migne P. L. XLII 519-52.

et mentionatur ab Augustino in Retractationibus II, 8 (Migne P.L. XXXII, 633). Quidam Felix manichaeus, licet incultus litteris liberalibus, tamen versutior supra memorato Fortunato, venit Hipponem hic errores disseminaturus. Augustinus cum eo habuit disputationem publicam in ecclesia. Quae disputatio item a notariis excepta est et ad Acta ecclesiae apposita, tamen et operibus Augustini insecta. Haec disputatio fiebat anno 404; obiectum disputationis fuit inprimis missio Manetis, deinde vero libertas arbitrii. De immobilitate Dei et de origine mali. Felix victus est et etiam se victum esse confessus subscripsit anathema contra Manetem.

Liber de natura boni contra manichaeos, editus in collectione Migne XLII 551–572 ab ipso Augustino mentionatur. In hoc libro „ostenditur naturam incommutabilem Deum esse ac summum bonum, atque ab illo esse ceteras naturas sive spirituales sive corporales, atque omnes in quantum naturae sunt, bonas

esse, et quid vel unde sit malum, et quanta mala manichaei ponant in natura boni et quanta ~~(mala)~~ bona in natura mali, quas naturas finxit error ipsorum (Retract. II, 9; Migne P.L. XXXII 634) Liber hic scriptus est 405 anno. –

Liber contra Secundinum manichaeum, in editione Migne legitur P.L. XLII, 577–602, ab Augustino mentionatur in Retr. l. II, c. 10 (Migne P.L. XXXII 634). Quidam homo sincere manichaeismo adhaerens, lectis Augustini operibus contra manichaeismum, licet ignotus scripsit [illegible] epistolam reverenter obiurgans eum et incitans ut iterum manichaeus fieret. Augustinus S. respondit ei exponendo causas ob quas manichaeismum reliquerit et adhuc positive probat manichaeismi errorem refutans argumenta Secundini. „Quia in eiusdem opusculi capite, – ait Augustinus, – non posui quis cui scriberet, non in epistolis meis (hoc scriptum ad Secundinum), sed in libris habetur" (Retract. l. II c. 10. Mig. XXXII 634)

Contra Faustum manichaeum libri triginta tres: Initio huius libri

operi Augustinus tradit occasionem illius: „Faustus quidam fuit, gente Afer, civitate Milevitanus, eloquio suavis, ingenio callidus, secta manichaeus, ac per hoc nefando errore perversus. Noveram ipse hominem, quemadmodum eum commemoravi in libris Confessionum mearum. Hic quoddam volumen edidit adversus rectam christianam fidem, et catholicam veritatem. Quod cum venisset ad manus nostras, lectumque esset a fratribus: desideraverunt, et iure charitatis per quam eis servimus flagitaverunt, ut ei responderemus. Hoc aggrediar nunc in nomine atque adiutorio Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi" (l. I, c. I; Migne P. L. XLII, 207).-

In libro Confessionum quinto c. 3 scribit: „Iam venerat Carthaginem quidam manichaeorum episcopus, Faustus nomine, magnus laqueus diaboli: et multi implicabantur in eo per illecebram suaviloquentiae; quam ego tamen laudabam, discernebam tamen a veritate rerum, quarum discendarum avidus eram (Migne XXXII, 707). Item ex Confessionum capite 5 et 6 colligitur de eodem sermo esse, qui

apud manichaeos maximi habebatur, Augustini vero animus propter eum a manichaeismo sese avertit.

Augustinus adversarios suos solebat refutare, ut eorum libros sequeretur adamussim. Sic et in hoc casu fecit. Cum in opere Fausti confusio regnasset maxima, ideo et in libris Augustini contra illum deest ordo sententiarum. Fessler: edendo patrologiam Jungmanni secunda vice vol. II p. 295 tradidit systematicam materiam quae tractantur in opere S. Doctoris Hipponensis contra Faustum. Liber hic formam habet dialogicam inter Faustum et Augustinum.- Opus Fausti contra catholicos prodiit anno circiter 400, opus vero August. paulo post. Huius operis singulorum librorum parva est moles, licet magnus sit numerus. Opera quae s. August. scripsit de anima humana eiusque facultatibus, quando manichaeos impugnabat haec sunt: 1/ Liber de duabus animabus et 2/ de libero arbitrio libri tres;

3) Liber de duabus animabus editus in collectione Migne P. L. XLII, 93–112 ab Augustino memoratus in Retract. l. I c. 15 (Migne P. L. XXXII, 608–612) scriptus fuit ante disputationem cum Fortunato scilicet ante exitum mensis Augusti 392 anni. Manichaei docebant non solum principia humana esse duo: bonum et malum, sed etiam duas animas inesse singulis hominibus alteram esse emanationem boni Dei, alteram vero procedere ex summo principio malo. Augustinus autem probat esse animam utramque non procedere nisi a Deo. – Ratio admittendi malam animam fuit peccatum. Augustinus, non negans peccati factum dicit peccata ex voluntate libera procedere, quapropter disparet ratio admittendi malam animam malumque principium. –

De libero arbitrio libri tres, editi in Collectione Migne'ana P. L. XXXII 1219–1310. Augustinus in Retractat. l. I c. 9. 1 (Migne P. L. XXXII p. 595 ait: „Cum adhuc Romae demoraremur, voluimus disputando quaerere unde

sit malum.... Tres libri quos eadem disputatio peperit, appellati sunt De Libero Arbitrio. Quorum secundum et tertium in Africa, iam etiam Hippone Regio presbyter ordinatus, sicut tunc potui, terminavi." Porro in epistola 27 n 4 (Migne P. L. XXXIII, 109 scribit ineunte 395 anno Paulino ep. Nolensi: „Librorum autem nostrorum copiam facit Romanianus venerabili studio tuo: nam nescio me aliquid, sive ad eorum qui extra Ecclesiam Dei sunt, sive ad aures fratrum scripsisse, quod ipse non habeat." Postea vero ineunte a 396 s. Doctor scribit eodem Paulino: „Tres libros, atque utinam tam grandis quaestionis ita explicatores ut grandes, tanto minus metuens in te laborem legendi, quando amorem perspicio diligendi: misi sanctitati et charitati tuae; nam quaestio eorum de libero arbitrio est. Hos autem non habere, aut omnis non habere fratrem Romanianum scio, per quem prope omnia, quae quibus-

libet auribus accommodata perhibere potui, studio in nos tuo non apportanda dedi, sed legenda indicavi" (ep... 31 u. 7; Migne P.L. XXXIII, 125).–

Cum igitur opus de libero Arbitrio captum esset scribi Romae, cum secundus et tertius liber exarati esset Hippone ab Augustino presbytero, cum anno 395 ineunte nondum habiti a Romaniano, qui omnia Augustini opera habuit, cum tandem 396 ineunte iam absoluti Nolam missi, ideo dicendum est primum librum scriptum esse 388, secundum et tertium ac proinde opus totum absolutum 395 anno.–

Argumentum operis editores Migne sic breviter referunt: „In primo libro mota perdifficili quaestione illa, qua se olim vehementer agitatum atque in manichaeos impulsum fuisse confitetur Augustinus, unde scilicet malum exortum sit, explicat primum quid sit malo facere; tumque mala hominum facta nonnisi ex libero voluntatis arbitrio proficisci probat; quippe cum libidini, quae in omnibus malefactis dominatur, servire mens a nullo cogatur.–

„In libro secundo, difficultate quod libertas, qua peccatur, a Deo data sit emergente, tria haec disquiruntur. Qua ratione Deum esse manifestum sit; an ab ipso sint bona quaecumque; utrum in bonis sit libera voluntas.–

„In tertio disputatur unde iste motus existat quo ipsa voluntas ab incommutabili bono avertitur ad commutabile bonum; an invicem adversentur Dei praescientia et hominum peccatis, et hominum ignorantia in peccando libertas. Mox ostenditur nequaquam id creatori deputandum quod in creatura ita fieri necesse est, ut voluntate peccandum fiat; et prorsus de creaturae, quae peccato obnoxia sit, conditione ac supplicio laudandum esse Deum. Hinc ex originis vitium producta disputatione, declaratur quemadmodum hoc ipsum haud iniuste in Adae posteros demanarit; et deinceps difficultates nonnullae huc pertinentes enodantur" (Mig. P.L. XXXII, 1221, 1222).–

Praeter maximam utilitatem ad psychologiam christianam extruendam,

ad intellegenda dogmata catholica de gratia, de merito et caeteris, hoc opus nonnulla praestat non spernenda ad demonstrandam exsistentiam Dei, libro, scilicet, primo. —

Restat expendenda ea s. Augustini opera polemica, quae scribendo contra manichaeos vel donatistas, doctrinam de Ecclesia catholica illustravit. Unum tale opus exstat scriptum contra manichaeos, plura contra donatistas.

Opus contra manichaeos inscribitur: „De moribus Ecclesiae catholicae et de moribus manichaeorum. Hoc opus est editum in collectione Migne P.L. XXXII, 1309–1378, mentionatur in Retractation. l. I c. 7 (Migne P.L. XXXII, 591–599)

De tempore quo opus scriptum sit, sat gravi controversiae est locus, nam ex una parte, s. August. dicit „Jam baptizatus autem cum Romae essem, scripsi duos libros: unum de moribus Ecclesiae Catholicae, alterum de moribus Manichaeorum" (Retract. I c. 7 n. 1; Migne l.c. 591, 592. Ex altera autem parte ipse auctor suum opus de Moribus sic exorditur: „In aliis libris satis opinor egisse nos quemadmodum Manichaeorum invectionibus, quibus in Legem, quod Vetus Testamentum vocatur, imperite atque impie feruntur." Sed ante suum reditum in Africam Augu-

stinus nulla alia opera contra manichaeos scripsit, ac proinde etiam opus de Moribus dici debet, scriptum fuisse post reditum in Africam. Verba modo citata, quibus mentionantur anteriores libri contra manichaeos, manifeste alludunt ad opus „De Genesi contra manichaeos," quod quidem editum fuit post reditum in Africam (cfr. Retr. I, 10; Mig. XXXII, 599.) Item in opere: „De moribus." l. II c. 12 n. 26 Augustinus scribit: „Illud vero nondum dictum erat quod nuper apud Carthaginem audivi" (Mig. P.L. XXXII, 1356. Ergo iam in Africa Augustinus fuit quando haec scribebat. Ex his igitur omnibus conclusio oriri videtur, Augustinum errasse cum dicebat se opus de Moribus Romae scripsisse. Tamen haec conclusio praematura est. Non invicem opposita argumenta faciliter componuntur admisso quod Augustinus totum laborem scribendi Romae absolvit, sed opus nondum evulgatum secum in Africam attulit ac hic, quibusdam parvis emendationibus additis publici iuris fecit, anno reditus sui scilicet 388.

Argumentum libri iuxta Mign. (P.L. XXXII, 1309–1310).

In __libro primo__ De Moribus Catholicae Ecclesiae dicturus Augustinus statuit summum bonum, quo mores nostros referri oportet, non aliud esse praeter Deum. Ad ipsum porro summo amore contendendum esse, uti in catholica Ecclesia Testa-

menti Veteris aeque ac novi auctoritate docetur. Perstringit deinde officia charitatis in proximum; ac postremo refert exempla continentiae et morum vere christianorum, quae in Catholicae Ecclesiae alumnis eluxerunt. —

In secundo quem de Manichaeorum Moribus scripsit, refellit imprimis horum haereticorum errorem de mali origine et natura. Tum excutit tria illa oris, manuum et sinus, ut appellabant, signacula, quibus impios mores suos observabant. Superstitiosam eorundem abstinentiam redarguit. Tandemque deprehensa quaedam in iis flagitia commemorat. —

Liber utiliter legendus ab auditoribus theologiae fundamentalis quando agitur de sanctitate Ecclesiae. —

In operibus suis contra donatistas s. Augustinus praecipue evolvebat visibilitatem et universalitatem Ecclesiae. Haec opera satis multa sunt, sed ea praecipua prodierunt annis 400-412. —

Schisma donatisticum, ut notum est, ortum coepit Carthagine anno 311, quando episcopo Mensurio mortuo, in locum suum electus est Archidiaconus Caecilianus, quem noluit dives vidua Lucilla. Hanc viduam adiuvit Donatus episcopus Numidiae, quapropter ortum est scissio in Ecclesia. - Mox Donati partibus

sese adiunxerunt alii, et schisma factum est tam magnum in Ecclesia ut toto centum annorum spatio affligeret ecclesiam Africanam. Inter episcopos catholicos ac donatisticos aliquando colloquia contradictoria coram populo fiebant. Imperante Honorio coeptum est loqui de generali conventu catholicorum et donatisticorum episcoporum. Conventus reapse factus est Carthagine Iunii 411 anni. Venerunt 286 eppi catholici et 279 donatistici. Cum disputatio in tanta multitudine eodem tempore fieri non posset, electi sunt quidam ex utraque parte disputatores. Pars catholica feliciter vicit, quia ad disputandum cum adversariis elegerat Augustinum; donatistae autem ei non potuerunt opponere maiorem quam Petilianus, Primianus, Emeritus. Iudex ab imperatore constitutus fuit Marcellinus tribunus. Hic victoriam et iis tribuit catolicis. Imperator autem edidit severas leges contra donatistas. Harum legum vigore donatismus valde emarcuit, sed quaedam reliquiae eius manserunt usque saeculum septimum. Modo mentionatus Parmenianus episcopus donatista Carthaginensis circa an. 400 scripsit epistolam contra donatistam Tichonium, qui in suo opere emisit sententias de universalitate Ecclesiae sententiis catholicorum admodum

similis. Hanc conniventiam Tichonii erga catholicos vituperavit Parmenianus in epistola pastorali: Quam epistolam s. Augustinus refutavit brevi post, scilicet circa eundem 400 annum.-

Opus Augustini tribus constat libris, quorum primus „Occurrit criminationibus et iniustis Parmeniani contra catholicos querelis; ostenditque christianos principes pro officio ac iure suo poenas ad coercendos haereticos et schismaticos recte constituere (Mig. P. L. XLIII, 33. 34) In secundo vero„ expenduntur Scripturae testimonia, quorum perversa interpretatione donatistae decipere imperitos moliebantur (ib. p. 49, 50). In lib. tertio reliqua tractantur loca Scripturae, quae Parmenianus obiectabat (ib. p. 81, 82.)

Refutatio Augustini tendit ad demonstrandam ordinationem Caeciliani fuisse rectam, Ecclesiam autem Catholicam non perire et si mali homines in ea inveniantur.-

Contra litteras Petiliani donatistae episcopi Cirthensis libri tres.

Quidam iuvenis catholicus vi raptus fuit a donatistis, rebaptisatus, ordinatusque sacerdos. Hoc non obstante, cum creatus est donatistarum episcopus Cirthensis, factus esse acerrimus et fortissimus donatismi defensor et propugnator. ...tiam litteras pastorales contra catholicos

scripsit, quorum fragmenta allata sunt Augustino.- Quae in eis fragmentis legebantur contra catholicos dicta statim refutata sunt ab episcopo Hipponensi. Sic factus est liber primus contra Petilianum. Brevi post allata est ad Augustinum integra epistola Petiliani. Ex refutatis iis, quae non legebantur in fragmentis, factus est liber secundus. Interim refutatio Augustini pervenit ad Petilianum, qui contra Augustinum scripsit librum maledictionibus refertum. Augustinus et hunc refutavit. Sic ortus est liber tertius et ultimus contra Petilianum scriptus circa annum 400. Primus liber s. Augustini est epistola pastoralis ad fideles suae dioeceseos, quod patet ex inscriptione: „Dilectissimis fratribus ad nostrae dispensationis curam pertinentibus, Augustinus in Domino salutem." (Mig. XLIII, 245) In secundo s. Auctor colloquitur cum Petiliano tamquam cum praesente, eius verba sumens ex epistola contra catholicos eaque ponens initio singulorum capitum. In tertio libro Augustinus se non defendit a maledictis Petiliani, sed demonstrat hunc in causa quam susceperat defecisse, nec ad argumenta Augustini quidquam solidi respondisse. Obiectum principale circa quod versabatur dissensio litteraria inter Augustinum et Petilianum fuit validitas sacramentorum independens a dispensatione ministri. Ex hac parte opus est dogmatico

polemicum. Apologicum autem est id eo, quod agit de quaestione tolerantiae politicae in rebus religiosis ad occasionem legum Honorii imperatoris contra donatistas laterum 399 anno –

Contra Gaudentium donatistarum episcopum libri duo: Honorius multoties edebat leges contra donatistas, quae satis severe fuerunt. Donatistae ad suicidium compingendum se consulat. Gaudentius Tamugadensis donatistarum episcopus cum fecit Dulcitio tribuno et notario se in mente habere una cum asseclis suis in sua ecclesia voluntario incendio consumendum dari. Dulcitius litteras scripsit Gaudentio, exhortans eum ad unitatem catholicam dissuadens incendium. (Retract. II, 59; Migne P.L. XXXII 659). Gaudentius respondit duabus epistolis quarum una brevis erat propter properationem portatoris, altera autem prolixior et diligentior. Utramque epistolam Dulcitius remisit Augustino ad refutandum, quas ambas Augustinus uno libro redarguit. Quae cum in eiusdem Gaudentii pervenisset manus,

rescripsit quod ei visum est ad meipsum, – ait Augustinus nulla ratione respondens, sed magis se nec respondere, nec tacere potuisse declarans" (Retrac. l.c). Haec responsio Gaudentii valde exiguum fuit valoris, tamen Augustinus et eam refutavit et sic ortus est liber secundus contra Gaudentium.

Hoc opus est fere ultimum ex scriptis Augustini contra Donatistas, nam exortum anno circiter 420.

Argumentum libri praecipuum est severitas legum contra donatistas et suicidium. Opus est maximi momenti ad statuendam doctrinam Augustini de tolerantia politica falsarum religionum.

Gaudentius contra quem agit in hoc opere Augustinus unus fuit ex eis septem, qui anno 411 in conventu Carthaginiensi a donatistis electi erant, ut contra catholicos disputarent.

Una cum Gaudentio ex partibus donatistarum in conventu Carthaginiensi electus fuit orator contra catholicos etiam Emeritus, Caesareae in Africa episcopus. Hic causam dicit Augustino ad dua scripta conficienda, nempe:

1) De gestis cum Emerito caesareensi donatistarum episcopo liber unus et

2) Sermo ad Caesareensis ecclesiae plebem Emerito praesente habitus.

Occasio horum scriptorum haec fuit. Romanus Pontifex commisit opus quoddam perficiendum Caesareae. Opus erat secretum et notitia eius ad nos non pervenit. Augustinus venit Caesaream, Emeritus autem exiit obviam ut salutaret advenam hipponensem. Augustinus invitavit Emeritum secum ut iret in Ecclesiam Maiorem caesareensem ibique secum haberet disputationem publicam de veritate Ecclesiae. Emeritus consensit. Augustinus sermonem protulit, qui in collatione Migne legitur editus XLIII. 689-698. Emeritus nihil respondere voluit. Duobus diebus post iterum factus est publicus conventus catholicorum et donatistarum in eadem ecclesia. Augustinus protulit sermonem, qui in Gesta Ecclesiae Caesareensis est relatus et inter opera Augustini numeratur ac mentionatur ab eo in Retra-

ctationum l. II c. 51 (Migne P. L. XXXII 650.

Argumentum sermonis sui in primo conventu prolati ipse Augustinus sic tradit in „Gestis".

„Multa de pace, multa de charitate, multa de sanctae Ecclesiae catholicae, quam Deus promisit et praestitit, unitate" (Migne XLIII, 698). In secundo autem conventu Augustinus invitabat Emeritum, ut catholicae unitati sese adiungeret aut veritatem donatismi probaret. Emeritus iterum siluit.

Ad conventum carthaginensem iterum referuntur quaedam adhuc s. Augustini opuscula. Ita

Breviculus collationis cum donatistis.

Collatio haec carthaginensis fuit accurate scripta a notariis et in **Gestis** redacta. Haec tamen valde longa erant. Ne prolixitate fatigarent lectorem Augustinus ea redegit in brevem formam, sub titulo quem modo citavimus. Hoc fecit Augustinus probabiliter brevi post ann. 411 quo disputatio carthaginensis facta est.

Ad laicos donatistas in unitatem Ecclesiae reducendos Augustinus scripsit librum grandem, ut ipse ait, Retractationum l. II c. 40 (Migne P. L. XXXII, 646) nempe: **Liber ad donatistas post collationem** in quo resolvit omnes

quantum fieri poterat, obiectiones donatistarum.

Item ad restituendam unitatem Ecclesiae Augustinus scripsit Psalmum contra partem Donati.

In hoc longo psalmo, versibus scripto, invenitur breviter proposita historia schismatis, una cum refutatione errorum donatisticorum. Opus scriptum est ut faciliter posset a populo memoriae mandari, ac sic contra periculum fidei tunc temporis valde magnum praemunire.

In quatuor libris Contra Cresconium grammaticum partis Donati (Migne P.L XLIII. 445-494) inter ceteras quaestiones dogmaticas legitur exposita notio haereseos et schismatis. l. II c. 3-9.

Tandem ad hanc ultimam classem operum s. Augustini, quae nos spectant, pertinet "Ad catholicos epistola contra donatistas, seu de Unitate Ecclesiae liber unus".

Authentia huius libri valde suspecta est, nam non solum stylus differt ab Augustini stylo, non solum magna adest sententiarum obscuritas, quae in operibus s. Augustini certis deesse solent; sed etiam ingenium auctoris

prodit ab ingenio Augustini.

Leguntur enim verba declamatoria quibus non correspondet interior affectio. Et, quod maximum est ocurrunt sententiae sententiis Augustini oppositae. Ita ex. c. Augustinus duobus in locis, nempe epistola 23 n. 4 (Migne XXXIII, 97) et Contra Cresconium l. I c. 31 nn. 36-37 (Migne XLIII, 465) supponit samaritanos fuisse haereticos iudaeorum in Antiquo Testamento. In libro autem de Unitate Ecclesiae c. 13 n. 33 legitur: „Ideo nequaquam pars illa populi (decem tribus quae Israel vocabantur) haeresis fuisse deputanda est" (Migne XLIII, 417).

Tandem et ipse Augustinus in Retractationum opere hunc librum non novit.

Haec argumenta omnino sufficerent ad librum hunc inter spuria referendum, nisi quaedam sat gravia in contrarium vergerent.

Pro authentia enim huius libri stat id quod a Patribus Concilii Constantinopolitani an 553 citatur tamquam opus s. Augustini. Imo Possidius, Augustini biographus, librum de Unitate Ecclesiae inter opera s. Augustini refert.

Res sane hoc modo incerta manet,

nam potuit concilium citare pseudo-Augustinum loco Augustini. Possidius autem fortasse locutus est de alio quodam opere nobis ignoto, quia vix admitti potest contradictio sententiarum apud Augustinum, non correcta in Retractationibus.

Argumentum huius operis plus minusve sequens est. Vera Ecclesia Christi cognoscitur testimoniis Scripturarum Sacrarum; ea est, quae dicitur catholica ecclesia nostra. Vera ecclesia debet esse universalis. Quae a donatistis proponuntur testimonia ex Scripturis contra universalitatem et obscura sunt et male interpretata.

Praeterea tanguntur quaedam quaestiones minores et solvuntur. e.c de traditione, de persecutione de calumniis in catholicos.

Initio huius libri, interpretatur Petilianus, „ut vel eidem operi vel primis duobus contra ipsum epistolam libris Augustini respondeat", aiunt editores in Collectione Migne (XLIII, 389-390). Inde patet librum tertium contra Petilianum non fuisse editum. Opus ergo cuiusvis auctoris sit scriptum fuit anno 202.

Doctrina s. Augustini de capitibus ad theologiam fundamentalem pertinentibus.

Plurima et optima instant opera quae sententias s. Augustini ex omnibus eius operibus collatas in unum bene ordinatum systema redigant. Ex hoc autem systemate non ea sola selecturi sumus, quae mediate vel immediate servire possunt ad probandam veritatem religionis christianae, atque infallibilitatem Ecclesiae catholicae. Itaque has systematis doctrinalis s. Augustini partes, quae ad nostram disciplinam spectant in sequentia capita dividemus:

1° de cognitione veritatis.
2° de Deo eiusque opere anima humana nec non providentia
3° de Christo legato divino.
4° de Ecclesia.

Quaestiones de systemate Augustini in universum, de sua relatione ad neoplatonicos, de influxu in posteriores, de capitibus ad theologiam dogmaticam et moralem pertinentibus, de scriptura sacra interpretanda hic omittenda esse censemus.

1° Doctrina s. Augustini de cognitione veritatis.

Hoc caput in duas praecipuas divisimus partes, quarum prima exprimit expositionem epistemologiam s. Augustini, altera vero suas sententias de relatione inter philosophiam seu rationem et theologiam seu fidem christianam divinitus revelatam.

De dubio et certitudine. Portalier iuste dicit Augustinum praecucurisse Cartesio. Augustinus intelligit ex actibus mentis etiam pessimis certitudinem, sicut est error cochndit existentiam subiecti cogitantis. „De manifestissimis capiamus exordium: utrum tu ipse sis. An tu fortasse metuis, ne in hac interrogatione fallaris, cum utique si non esses, falli omnino non posses." (De libero arbitrio l. II, c. 3 n. 7; Migne P. L. XXXII, 1243.) „Quoniam non solum scire, sed etiam nescire viventis est" (Enchiridion c. 20 n. 7; Migne P. L. XL, 243).

Sicut caeteri actus intellectus ita et dubium eo ipso quod existit certitudinem adstruit: „Omnis qui se dubitantem intelligit, verum intelligit, et de hac re quam intelligit certus est" (De vera religione c. 39 n. 73; Migne XXXIV, 154.)

Certitudinis existentiam maxime et optime affirmat Augustinus contra Academicos. Praesertim principii contradictionis evidentiam provocat l. III c. 10 v. 23. „Certum enim habeo, aut unum esse mundum aut non unum; et si non unum, aut finiti numeri aut infiniti. Istam sententiam Carneades falsae esse similem doceat. Item scio mundum istum nostrum, aut natura corporum aut aliqua providentia sic esse dispositum; eumque aut semper fuisse et fore, aut coepisse esse minime desiturum: aut ortum ex tempore non habere, sed habiturum esse finem; aut et manere coepisse, et non perpetuo esse mansurum et innumerabilia physica hoc modo novi. Vera enim ista sunt disiuncta, nec similitudine aliqua falsi ea potest quisquam confundere" (Migne P. L. XXXII, 946). Porro Augustinus provocat ad testimonium conscientiae ipsius adversarii, qui contradictoria simul falsa asserere nequit. Tamen formulam principii contradictionis Augustinus hoc loco non profert, licet rem affirmat apertissime.

Item negat Augustinus possibilitatem dubii in simplicibus veritatibus mathematicis „Nam

per terna novem esse, et quadratum intelligibilium numerorum necesse est vel genere humano stertente esse verum." (Contra Academicos l. III c. 11 n. 25; Migne XXXII, 947). Augustinus novit sensuum fallacias in somno et deceptionem visus quando remus in aquam missus apparet confractus et alia similia. Ut error in his evitetur, oportet iudicium restringere ad phaenomenon et abstineri a proferenda sententia de obiecto: „Noli plus assentiri quam ut ita tibi apparere persuadeas et nulla deceptio est." (Contra Acad. l. III. c. 11 n. 26; Migne P.L. XXXII. 947). Non enim sensuum imagines sed intellectus pervenit ad sapientiam. Ad hanc autem non somnians neque furens, neque tunc quando sensuum perceptio violatur, sed quando in omnibus recte constitutus est, tunc debet eligere summum bonum, in quo eligendo sapientia sita est. Scientia autem est intellectu „Aut enim amittitur furore sapientia, et iam non erit sapiens, quem vero ignorare clamatis: aut scientia eius manet in intellectu, etiamsi pars animi caetera id quod accepit a sensibus velut in somniis imaginetur." (Contra Acad.

l. III c. 12 n. 28; Migne P.L. XXXII; 948. 949).

Certitudinem Augustinus dicit esse fundamentum dialecticae „Verum ille sapiens aut haec negligit, aut si profecto dialectica ipsa scientia veritatis est, sic illam novit istorum mendacissimam calumniam « si verum est falsum est; si falsum est verum est » contemnendo et non miserando fame enecet" (l. c. cap. 13 n. 29; Migne l. c. p. 949). Imo certitudo est fundamentum fidei „At si tollatur assensio, fides tollitur, quia sine assensione nihil creditur" (Enchiridion c. 20 n. 7; Migne XL, 242).

Limites certitudinis

Apud eruditos non inveni locos ex operibus Augustini collectos, qui patefaciant doctorem Hipponensem apertis verbis limites cognitionis intellectualis assignasse. Tamen non est dubitandum, quin capacitatem mentis nostrae in cognoscenda veritate limitatam esse affirmaverit Sanctus Pater. Nam inter causas, propter quas fidei adhae-

sit et haec fuit ut auctoritate verum disceret. Inde orta est eius sententia verum duplici via cognosci: auctoritate scilicet et ratione: „Nulli autem dubium est gemino pondere nos impelli ad discendum, auctoritatis et rationis". (Contra Acad. III c. 20 n. 43; Migne P. L. XXXII, 957).

Porro doctrina de infinita Dei natura sponte sua cogebat ad asserendum infinitum non posse totaliter cognosci a finito, ac exinde sequebatur non omnia pervia esse rationi humanae. Itaque cum scribit de Deo praecipue commemorat Augustinus parvitatem virium nostrae rationis. „Proinde substantiam Dei sine ulla sui commutatione mutabilia facientem, et sine ullo sui temporali motu temporalia creantem, intueri et plene nosse difficile est, et ideo necessaria est purgatio mentis nostrae, qua illud ineffabile ineffabiliter videri possit; qua nondum praediti, fide nutrimur, et per quaedam tollerabiliora, ut ad illud capiendum apti et habiles efficiamur, itinera ducimur." (De Trinitate l. I c. 1 n. 3; Migne XLII, 821).

Non solum in dogmatibus, sed etiam in rebus

alias rationi perviis non debet iuxta Augustinum, mens nostra nimia argumenta desiderare, nec quaerere ut sibi probatur quod manifestum est. Propter hunc nimium criticismum sui ipsius iuventutem vituperat in Confessionibus l. VI c. 4 n. 6. „Volebam enim eorum quae non viderem ita me certum fieri, ut certus essem, ut quod septem et tria decem sint." (Migne P. L. XXXII, 722).

Existentiam Dei Augustinus ponebat inter ea, quae cum certitudine probantur intellectu. Sic enim in Soliloquiis l. I c. 6 n. 12 scribit: „Promittit enim ratio quae tecum loquitur ita se demonstraturam Deum tuae menti, ut oculis sol demonstratur. (Migne P. L. XXXII, 875). Nihilominus etiam hanc maximam claritatem non esse talem, quae necessario moveat hominem ad agnoscendam Dei ~~est~~ existentiam. Ut veritas certe cognoscatur pietas, castitas, diligentia requiruntur: „Fieri autem non potest quadam Divina providentia, ut religiosis animis seipsos et Deum suum, id est, veritatem, pie, caste ac diligenter quaerentibus, in-

veniendi facultas desit." (De quantitate animae c. 14 n. 24; Migne P.L. XXXII, 1049). „Tanto fructuosius cogitabis, quanto magis pie cogitaveris" (De Gratia Novi Testamenti seu epistola 140 c. 19 n. 48; Migne P.L. XXXIII, 558). „Verum videre velle ut animum purges, cum ideo purgetur ut videas, perversum certe atque praeposterum est" (De utilitate credendi c. 16 n. 34; Migne P.L. XLII, 90).

Cognitio intellectualis.

Inter eruditos maxime disputatur de modo quo cognitio intellectualis fiat. S. Augustinus distinguit inter scientiam et sapientiam. Sensibus percipitur scientia, intellectus autem elevatur ad sapientiam. ~~Sensibus~~ Haec toto coelo distat ab illa, quam eminenter superat. In hac quaestione perdifficili initio Augustinus admittebat ideas separatas seu mundum intellectualem extra Deum, deinde vero sanctus doctor hanc sententiam Platonis reiecit, sed tunc censuit hunc mundum intellectualem nihil aliud esse nisi

ideas ipsius sapientiae Divinae.

De modo quo veritates aeternae in Deo existentes ab hominibus cognoscuntur Augustinus sequentia protulit, quae hic ordine chronologico ponuntur: Anno 387 in Soliloquiis Augustinus dicit Deum esse animae sol (l. I c. 8; Migne P.L. XXXII, 877). Anno 389–391 in opere De Magistro, et in epistola 13 ad Nebridium (Migne P.L. XXXIII, 78) docet Deum esse solum animae magistrum, qui intus docet. Anima autem intelligit Deum consulendo. Anno 393 in opere de Genesi ad litteram l. XII, c. 31 n. 59 dicit Deum esse lumen animae (Migne P.L. XXXIV, 479), idem repetit in opere „De peccatorum meritis et remissione l. I c. 25 n. 38 (Migne P.L. XXXIV, 130).

In opere „De Civitate Dei" post annum 415 libro X c. 2, etiam naturali cognitione loquens Augustinus dicit Verbum esse lumen omnis animae (Migne P.L. XLI, 279). Eodem tempore in opere „De Trinitate" l. XII. c. 15 n. 24 dicit „... sed potius credendum est mentis intellectualis ita conditam esse naturam, ut rebus intellegibilibus naturali ordine, disponente Conditore

subinnela sic ista videat in quadam luce sui generis incorporea" (Migne P.L. XLII, 1011)

Itaque certum est Augustinum admisisse veritatem aeternam et lumen quoddam divinum, quo veritas illa cognoscatur.

Sed haec duplex assertio ulteriore explicatione indiget. S. Thomas ita hanc doctrinam Augustini interpretatus est, ut Augustinus videretur nihil aliud asseruisse nisi Deum esse intellectus Creatorem (Summa Theol. I q. 84 a 5; ib. q. 88, a. 3). Sed talis explicatio, ut censet Portalié (Diction. de theol. cath. I, 2335) non est nisi assertio Augustinum ne accessisse quidem ad solvendum problema illud maximum; assertioni obstant textus.

Mentem Augustini in hac difficillima quaestione ipse Portalié ad hoc reducit: Anima nostra non potest percipere veritatem sine imperceptibili quodam adiutorio Dei; quod adiutorium non consistit in eo, ut Deus manifestetur nobis eo modo quo obiecta oculis occurrunt, sed consistit in causatione imaginum intellectualium (specierum intellegibilium), per quas mens nostra ad cognoscendas veritates determinatur. In lin-

guam scholasticam redacta haec s. Augustini sententia sic exprimi potest. Deus agit vices intellectus agentis, qui mente producit species impressas, quibus veritates aeternae repraesantentur. Quapropter Deus est causa efficiens (cogita) cognitionis nostrae.

Hoc modo intellecta sententia s. Augustini eo distinguitur ab Averroismo, quod ideas in homine non repetit ab intellectu separato et universali, qui iuxta philosophos arabes dat Deus pantheistico modo repraesantatus. Pantheismum enim Augustinus semper impugnabat. Imo Augustinus similitudinem videt inter naturalem ordinem cognitionis, in quo lumen divinum illustrat mentem ad cognoscendam veritatem et ordinem supernaturalem, in quo gratia efficit meritum. Sententiam Augustini supra expositam secuti sunt multi theologi orthodoxi s. XIII. et etiam Suarez. Haec sententia quae dicitur illuminationis semper dicebatur et dicitur non obesse orthodoxiae ac inter opiniones liberas numerari apud theologos catholicos

Relatio inter philosophiam et fidem.

Harnack censet s. Augustinum primum fuisse inter sanctos patres, qui senserit necessitatem construendi fidem in fundamentis rationabilibus. Nam licet alexandrini agitassent quaestiones has fidei praevias, tamen non noverant distinctionem inter elementum fidei formale, cur credatur et elementum fidei materiale quid credendum sit. (Lehrbuch der Dogmengeschichte vol III p. 97) Portalié huic sententiae addit: „Nous ajouterons que le système si clair et si net du grand docteur sur l'union de la foi et de la raison, s'il avait été mieux compris, aurait préservé les theologiens du XVII siècle des subtelités nuageuses dont l'analyse de la foi se degage aujourdhuis avec tant de peine" (Addemus, quodsi, clarum et concisum ~~(est)~~ systema magni doctoris de concordia fidei et rationis, melius cognitum fuisset a theologis s. XVII praeservasset eos a nebulosis subtilitatibus, in quibus fidei analysis nonnisi summo cum labore percipi potest (Dictionnaire de theologie catholique I 2334).

Determinatio relationis fidei et rationis dependet a bona definitione utriusque. Naturam fidei clare exponit Augustinus in epistola 147 ad Paulinam cc. 2 et 3, 7 et 8: Creduntur ergo illa quae absunt a sensibus nostris, si videtur idoneum, quod eis testimonium perhibetur." (Migne XXXIII 599.) Fides ergo non est vagus animi sensus adhaerens propositionibus, quae sibi placent, seu assensus intellectus accipiens verum id, de cuius veritate adest sufficiens iudicium. Ratio igitur assentiendi veritatibus non est interna visio seu intuitio, sed est externi testimonii valor. Testimonium hoc sane debet esse verificatum Assensus fidei distinguitur ab assensu scientiae eo, quod hic fundetur in motivis internis, rationibus se. quae immediate propositionem accipiendam demonstrat esse veram, ille vero provocatur a motivis externis, qui non probant propositionis veritatem, sed, sed fontis, ex quo propositiones summuntur infallibilitatem.

Augustinus in quibusdam locis scribit fidem anteriorem esse ratione: „Ad discendum dupliciter ducimur auctoritate atque ratione Tempore auctoritas re autem ratio prior est (De ordine l II c qu 26; Migne XXXII, 1007.) Prius autem quam ~~(credamus)~~ intelligamus cre-

dere debemus, vigilandumque nobis est ne ficta sit fides nostra" (De Trinitate l VIII c 5 n 8 Migne PL XLII 952). „Credimus enim ut cognoscamus non cognoscimus ut credamus" (In Joannis evangel. tractatus XL, c. 8 n 9; Migne PL XXXV, 1690) Imo etiam ait: „Certa enim fides utcunque inchoat rationem; cognitio vero certa non perficitur nisi post hanc vitam cum videbimus facie ad faciem" (De Trinitate l. IX c 1 n 1; Migne PL XLII, 961) Ex his tamen omnibus non sequitur quidam Augustinum fideismo indulsisse. Suus ingeniosus intellectus iam distinguebat sane multas diversasque res, quae in actum fidei concurrunt. Imprimis ipse novit vigilandum esse, ne fides nostra ficta sit ac ideo dicit re rationem priorem esse fide. Sed ipsum non latuit difficultas scientiae motivorum credibilitatis, quae scientiae ut acquiratur exigit et tempus longum et laborem magnum et ingenium satis excultum. Imo ne occupantur quidem cognitione motivorum credibilitatis qui non credunt. Quapropter tempore fides prior est ratione. Cum autem haec fides in sola auctoritate fundata cor hominis purificet et sine puro corde impossibile sit Deum cognosci, ideo prius credere debemus quam intelligamus. Hoc tamen maxime locum

habet in illo campo veritatum, qui mysteriis constat. Assensus mysteriis in vigilantis rationis motivis fundatus, sc. motivis credibilitatis superstructus facit fidem certam. Certa autem fides concedit maximam quam fieri potest mysteriorum cognitionem. Plenam autem horum cognitionem nec dat in hac vita nec promittit nisi in vita futura.

Rationis officium in praeparanda fide et in praecavendo homine ab acceptione superstitionis loco fidei verae est, ut probet testantis seu revelantis veracitatem, non tamen internam revelatarum seu testatarum rerum veritatem. „Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum" (De praedistinatione sanctorum liber ad Prosperum et Hilarium primus c 2 n 5; Migne PL XLIV 962). „Auctoritas fidem flagitat et rationi praeparat hominem. Ratio ad intellectum cognitionemque perducit. Quamquam nec auctoritatem ratio penitus deserit, cum consideratur, cui sit credendum; et certe summa est ipsius iam cognitae et perspicuae veritatis auctoritas" (De vera religione c 24 n 45 Migne PL XXXIV, 141.) „Nostrum est considerare, quibus vel hominibus vel libris credendum sit ad colendum recte Deum, quae una salus est (ib. c 25 n 46 M. l. c. 142)

Notissimum et vulgatissimum s. Augustini effatum: „Etiam credere non possemus nisi rationales animas haberemus" depromptum est ex sua epistola 120 ad Consentium (c 1 n 3 Migne PL XXXIII, 453) In eadem epistola s. Augustinus docet: „Si igitur rationale est ut ad magna quaedam, quae capi non possunt fides praecedet rationem, procul dubio quantulacumque ratio quae hoc persuadet, etiam ipsa antecedit rationem" (ibidem) Fides omnino non destruit rationem, nam s. doctor ait: „Absit, inquam, ut ideo credamus, ne rationem accipiamus sive quaeramus" (ibid.). Credibilitate fontium fidei recte stabilita, non est expectandum, ut omnes difficultates ratione solvantur: „sunt enim innumerabiles, quae non sunt finiendae ante fidem ne finiatur vita sine fide" (epistola 102 ad sacerdotem Deogratias qu. 6 n 38 Migne PL XXXIII 386).

Etiam in ipso actu fidei perseverat rationis cooperatio, nam: „cogitat omnis qui credit, et credendo cogitat et cogitando credit" (De praedestinatione sanctorum c. 2 n 5; Migne PL XLIV, 963) Haec cogitatio consistit non solum in percipientis terminis ipsius dogmatis, sed etiam in percipienda veritate huius dogmatis: „habet namque fides oculos suos, quibus quodammodo videt

verum esse quod videt nondum, et quibus certissime videt nondum se videre quod credit" (epistola ad Consentium 120 c 2 n 8 Migne PL XXXIII 456)

Augustinus distinguit tria nomina rerum quibus mens nostra ditior evadit nempe (quibus) scientiam, visionem, fidem. Nomen scientiae est generale, in quo includuntur visio et fides tamquam species. Haec sententia Augustini admodum clare patet in sua epistola 147 ad Paulinam, ubi c 3 n 8 s doctor scribit: „Constat igitur nostra scientia ex visis rebus et creditis, sed in iis, quae vidimus vel videmus nos ipsi testes sumus; in his autem, quae credimus aliis testibus movemur ad fidem, cum earum rerum, quas nec vidisse nos recolimus nec videmus dantur signa vel in vocibus vel in litteris vel in quibusque documentis, quibus visis non visa creduntur" (Migne PL XXXIII, 600). Manifestum est nomine visionis hic intelligi cognitionem immediatam obiecti, quam nos hodie solemus vocare scientiam, nomine vero fidei venire cognitionem mediatam, quam nos etiam fidem apellamus, cum agitur de rebus supernaturalibus Itaque differentiam inter fidem et scientiam s. Augustinus in eo ponit, quod haec est immediata illa vero mediata cognitio.

Ex relatione inter fidem et rationem sequitur etiam modus construendi systema apologeticum. Officium defensoris fidei iuxta Augustinum in duobus consistit, nempe 1° in demonstranda veracitate auctoritatis, ex qua christiani fidem hauriant et 2° in refutandis obiectionibus adversariorum. „Nunc ergo ut quod instituimus, quantum adiuvamur, et quantum sinimur peragamus quaecunque nobis, quantum ad creaturam pertinet vel narrantur praeterita vel praenuntiantur futura, quae ad commendandam valeant integram religionem, excitando nos ad sincerissimam dilectionem Dei et proximi, sine dubitatione credenda sunt: adversus incredulos autem hactenus defendenda, ut vel mole auctoritatis infidelitas eorum obteratur, vel eis ostendatur, quantum potest, primo quia non sit stultum talia credere, deinde quam sit stultum talia non credere. Veruntamen falsam doctrinam non tam de praeteritis et futuris quam de praesentibus et maxime de incommutabilibus oportet refellere, et quantum datur perspicua ratione convincere. (De libero arbitrio lib. III c. 21 n 60 Migne PL. XXXII 1301)

Seriem autem veritatum ex qua constat systema apologeticum Augustinus sic ordinat

ut imprimis ponit providentiam divinam: „Si enim Dei providentia non providet rebus humanis, nihil est de religione satagendum" (De utilitate credendi n.34; Migne XLII, 89). Providentia autem evidenter includit affirmatam Dei existentiam. Itaque nos, qui loco providentiae in initio systematis ponimus existentiae Dei demonstrationem vix aliquid Augustino addimus. Imo ipse videtur plura exigere, nempe non solum existentiam sed et providentiam demonstrandam.

Porro in operibus „De fide rerum quae non videntur", „De civitate Dei", „De vera religione" evolvuntur argumenta, quibus stabiliatur divina auctoritas Christi. Haec argumenta delineata in opusculo „De utilitate credendi" (n.34; Migne XLII, 89). Haec argumenta sunt 1° miracula Christi: „Sanati languidi, mundati leprosi;" 2° prophetiae (cfr. 43 sermo, c.4 n. 5; Migne XXXVIII, 256), 3° „partim sequentium multitudo," sc. mira propagatio religionis christianae. (ep. 118 c 5, n.32; Migne PL XXXIII, 447) et praecipue „De utilitate credendi c. 36 n 34; Migne XLII, 89, 90)

Auctoritatem Ecclesiae s. Augustinus ita tractat, ut non sit separata ab tracta-

tione auctoritatis Christi, ex qua originem sumit. Mirabilis enim propagatio religionis christianae est mirabilis propagatio Ecclesiae. Haec communis propagatio testatur et divinitatem doctrinae Christi simul et divinitatem Ecclesiae.

In sermone 45, c. 5, n. 6 (Migne XXXVIII, 256, 257) divinam Ecclesiae originem s. Augustinus docet ex eo, quod ad eam fundandam electi sunt non oratores, neque senatores, neque imperatores, sed imperiti piscatores. Hac occasione Augustinus provocat ad verba s. Pauli „Infirma mundi elegit Deus ut confundat sapientes" (1 Cor. 1, 27). Sanctitatem Ecclesiae tractat passim in opere: „De moribus Ecclesiae Catholicae. In opusculo „De utilitate credendi" s. Augustinus c. 17 n. 35 docet morum candorem optimum esse ad obtinendas hominum mentes (Migne PL. XLII, 90). Haec sanctitas Ecclesiae seu doctrinae christianae mundum universum renovavit. Si Plato vidisset tam sublimia de moribus et de veritate in persuasionem populorum transire qualia acceptari fecit ab omnibus religio christiana, „responderet, credo, ille non posse hoc ab homine fieri" (De vera religione c. 3, n. 3; Migne PL XXXIV, 124.) — Imo ipsa Ec-

clesia est ita visibilis sicut luna in coelo sicut mons: „Nonne aperta, nonne manifesta, nonne tenuit omnes gentes?" (In Epistolam Joannis ad parthos tr. I n. 13; Migne P.L. XXXV, 1988). Universalitatem Ecclesiae tamquam argumentum divinae auctoritatis eius Augustinus considerat fere in omnibus suis operibus contra donatistas, praesertim in „Contra Parmenianum."

Ad systema apologeticum s. Augustini referenda est sua doctrina de fontibus revelationis, quos sanctus doctor hypponensis enumerat tres, nempe Scripturam Sacram, Traditionem et magisterium Ecclesiae.

De Scriptura Sacra tamquam de fonte revelationis Augustinus loquitur: „Solis canonicis (libris) scriptis debeo sine ulla recusatione consensum." (De natura et gratia, c. 61, n. 71; Migne XLIV, 282). Hic textus non potest intelligi de reiecta traditionis vel magisterii auctoritate nam Augustinus modo citatis verbis usus est, ut argumentum Pelagii ex auctoritate Lactantii, Hilarii, Ambrosii, Hieronymi ipsiusque Augustini sumptum negaret esse indiscutabilis valoris sicut testimonium Scripturarum. Vide totum caput 61, ubi verba s. Augustini inveniuntur. Scripturam sacram

non esse solum revelationis fontem s. Augustinus docet cum ait: „Sunt multa, quae universa tenet Ecclesia et ob hoc ab apostolis praecepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiuntur" (De baptismo contra donatistas l. V c 23, n 31.; Migne XLIII, 192) Universalitas traditionis est indicium apostolicitatis eius „ Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur" (op. cit l IV, c 24 n 31; Migne l.c. p 174). Sacrarum Litterarum interpres, quando verba earum ambigua sunt, debet intente textum examinare. „ Cum ergo adhibita intentia incertum esse perviderit, quomodo distinguendum aut quomodo pronuntiandum sit, consulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis et Ecclesiae auctoritate percepit (De doctrina christiana lib III, c. 2, n. 2; Migne PL XXXIV, 65). Augustinus <u>hanc regulam fidei</u> tam frequenter interpretatus est, ut ex eius operibus doctissimus Hahn extrahere potuisset totum illius Regulae textum, et quidem duplicem invenit, alterum mediolanensem alterum africanum. In hoc ultima verba sunt: ..„vitam aeternam per <u>sanctam Ecclesiam</u>"

(Hahn Bibliothek der Symbole, 3 ed. §§ 33, 47 pp. 38, 59) Ecclesia: ad vitam aeternam ducit per fidem cuius regulam instituit. Quapropter Augustinus tria breviter memorat, quibus fides instruatur: Scripturam, non scripta et Ecclesiam.

Ecclesiae auctoritas in materia fidei tanta est, ut etiam auctoritas Scripturarum per eam pateat„. Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas" (Contra epist. Manichaei c. 5 n. 6; Migne XLII, 176) „Quaerendi dubitatio catholicae fidei notas excedere non debet" (De Genesi ad litteram liber imperfectus c. 1, n 1; Migne P.L XXXIV 221) Quam sententiam diversis aliis verbis in multis locis exprimit s. Augustinus. In opere De baptismo contra donatistas l. II c 3, n. 4. Augustinus dicit concilia provincilia plenariorum auctoritati cedere „ ipsaque plenaria saepe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat et cognoscitur, quod latebat (Migne P.L. XLIII 129). Tamen statim infra dicit non licere contradicere universae Ecclesiae concordissimae auctoritati cui et Cyprianus cederet„ si iam illo tempore quaestionis huius veritas eliquata et declarata per plenarium

concilium solidaretur" (ibd c 4, n 5; Migne l.c.) Tota igitur mens Augustini de regula et genesi fidei sic exprimi potest. Ex magnis miraculis, quae institutionem Ecclesiae a Christo atque propagationem concomitarunt probatur divina huius Ecclesiae auctoritas a Christo Deo accepta. Ex testimonio Ecclesiae discimus Scripturam Sacram esse infallibile opus divinum, homo autem Scripturae lector debet eam interpretari iuxta regulam fidei in Ecclesia receptam.

Sententias s. Augustini de Scripturis sacris et de earum inspiratione hic omissas facimus transimus autem ad uberius evolvendum caput de Deo.

Theodicea s. Augustini.

Hoc caput distinguemus in tres partes: 1º Existentia Dei Eiusque natura, 2º providentia et origo mali 3º de anima humana. Quaestio de anima potest sane in separatum caput poni, sed hic eam tractare volo, propter eius nexum cum Deo, Quem cognoscere debet, Cui per religionem iungitur.

Gratry credebat Augustinum in intuitione immediata cognitionem Dei fundasse. Citato enim Confessionum l. IV c. 10, n 15 clamat: „Voila l'intuition immediate à un degré que n'a jamais Platon" (A. Gratry, De la connaissance de Dieu VIII ed. Paris Thiqui 1903 p. 210). Hoc tamen minus verum est, nam Augustinus non admittebat ideas innatas sine admissione quarum vix cogitari potest directa seu immediata cognitio Dei. Gratry, qui ipse ontologismi fautor fuit, credidit et Augustinum huic sententiae patrocinasse. S. Augustinus non quidem evolvebat, sed saltem mentionabat fere omnia argumenta, quibus existentia Dei demonstrari solet. Sat magnum valorem ipse tribuit consensui omnium populorum „Nam quod Deus dicitur universae creaturae, etiam omnibus gentibus antequam in Christum crederent, non omni modo potuit esse hoc nomen ignotum. Haec est enim vis verae divinitatis, ut creaturae rationali iam ratione utenti non omnino ac penitus possit abscondi. Exceptis enim paucis in quibus natura nimium depravata est universum genus humanum Deum mundi huius fatetur auctorem." (In Joannis Evangelium tr. 106 n. 4; Migne P.L XXXV 1910) Quapropter Augustinus etiam censet atheismum esse insaniam paucorum „Pauci inveniuntur tantae impietatis, ut impleatur in eis quod

scriptum est: „Dixit stultus in corde suo: non est Deus" Insania ista paucorum est." (Sermo 69 c. 2 n 3; Migne XXXVIII, 441). In sermone 141 n 2 s. Augustinus commemorat argumentum theleologicum. Memoratis enim verbis s. Pauli „Revelatur ira Dei de coelo super omnem impietatem et iniustitiam hominum qui veritatem iniquitate detinent" (Rom 1, 18), s. Augustinus ponit obiectionem ethnicos fortasse non meruisse iram Dei, nam veritatem non detinebant iniquitate, sed ignorabant. Postea vero usus eiusdem Pauli verbis respondet obiectioni: „Audite quod sequitur et ostendit. „Quia quod notum est Dei, inquit, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit". Manifestavit illis quibus legem non dedit? Audi quomodo manifestavit. «Invisibilia enim eius per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur» Interroga mundum, ornatum coeli, fulgorem dispositionemque siderum, solem diei sufficientem, lunam noctis solatium: interroga terram fructificantem herbis et lignis, animalibus plenam hominibus exornatam: interroga mare, quantis et qualibus natatilibus plenum: interroga aera quantis volatilibus viget: interroga omnia, et vide si non sensu suo tamquam tibi respondent. Deus nos fecit. Haec et philosophi nobiles quaesierunt et ex arte artificem cognoverunt" (Ser. 141 c 2, n 2.; Migne XXXVIII, 776).

Argumentum cosmologicum tangit Confessionum libro XI, c 4. n. 6: „Ecce sunt coelum et terra: clamant quod facta sint; mutantur enim atque variantur. Quidquid autem factum non est, et tamen est, non est in eo quidquam quod ante non erat, quod est mutari atque variari. Clamant etiam quod se ipsa non fecerint: ideo sumus quia facta sumus; non ergo eramus antequam essemus ut fieri possemus a nobis. Et vox dicentium est ipsa evidentia. Tu ergo, Domine fecisti ea, qui pulcher es, pulchra sunt enim; qui bonus es bona sunt enim; qui es, sunt enim. Nec ita pulchra sunt, nec ita bona sunt, nec ita sunt, sicut tu, Conditor eorum, cui comparata, nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt. Scimus haec, gratias tibi. Et scientia nostra scientiae tuae comparata ignorantia est" (Migne P. L. XXXII, 811.)

Magis quam caeteras demonstrationes existentiae Dei Augustinus amabat sequentem argumentationem, quam frequenter proponebat saltem ex parte. Mens humana aut angelica est perfectior caeteris

entibus in hoc mundo, si ergo haec mens percipit aliquem superiorem se, hic Deus esse debet. Sed mens mea percipit veritatem superiorem se, aeternam immutabilem. Quae veritas non creatur ratione sed contemplatur; non est mea, quia non est me, nam et alii eam contemplantur. Quapropter veritas et in me est et extra me. Haec igitur veritas aut ipse Deus est, aut mens altior humana veritati subiecta. Si hoc secundum verum est tunc et haec mens altior supra se videt veritatem aeternam et immutabilem internam simul et externam quae tandem Deus esse debet. Haec argumentatio maxime evoluta est in libro De diversis quaestionibus, quaestio 54; (Migne P.L. XL, 38), De libero arbitrio l. II n. 7-33 (Migne XXXII, 1243-1263) Confessionum libro VII c. 10 n. 16 (Migne l.c. 742) correcta Retractationum l. I c. 26 (Migne l.c. 627.) Quibusdam videbatur (Martin, St. Augustin 101-108) in hoc argumento augustiniano fuisse germen argumenti ontologici a s. Anselmo serius propositi. Portalié tamen iuste censet essentialem interesse differentiam inter Augustinum et Anselmum, nam non ex idea Dei concludit Augustinus ad existentiam

Eius, sed ex existentia veritatis ad existentiam fontis eius, seu Veritatis Absolutae.

Sicut omnis eius fons est Ens Absolutum, fons omnis boni, Bonum absolutum, ita et omnis veri Veritas absoluta. Deus enim iuxta Augustinum est „causa subsistendi, ratio intelligendi et ordo vivendi" (De civitate Dei l. VIII c. 4; Migne XLI, 228, 229.) Lege Portalié. Dictionnaire de theologie catholique. Paris Letouzey et Ané 1903 t. I, 2345.

In doctrina s. Augustini de natura Dei haec praeprimis mentionanda sunt: cognoscibilitas, simplicitas, scientia, quia de his attributis divinis Sanctus quaedam sibi propria protulit.

Non defuit sane occasio Augustinum annumerare praecursoribus agnosticismi, scripsit enim: „Si comprehendis, non est Deus" (Sermo 117 n. 5; Migne P.L. XXXVIII, 663 et in alio loco: „Deus ineffabilis est, facilius dicimus quid non sit, quam quid sit" (In psalmum 85 n. 12; Migne P.L. XXXVII, 1090). „Omnia possunt dici de Deo, et nihil digne dicitur de Deo" (In Evang. s. Joannis tr. 13 n. 5; Migne P.L. XXXV, 1495) Haec tamen, si primus locus hic citatus excipitur, nonnisi tunc possunt sensu agnostico interpretari si violentia textui infertur. Sed ne primum quidem accipi potest sensu agnostico, nam agnosticismus nullo modo componi potest cum fide in Tri-

nitatem, Incarnationem et cum pluribus attributis divinis, quae Augustinus et credidit et docuit. Itaque loci citati et alii, nihil aliud volunt dicere, quam id, quod Deus est maior quam intellectus humanus.

In asserenda simplicitate Dei s. Augustinus multum insistit, docens Creatorem esse actum purum in quo nullus est transitus ex potentia ad actum. Omnis enim actus, omnis scilicet perfectio in Deo est ab aeterno neque deesse potest. Nulla datur in Deo distinctio attributorum, quorum quaedam magis sibi sint propria alia vero minus. Quapropter nomen vocis „substantia" minus rectum esse si agitur de Deo. „Deus si subsistit ut substantia dici possit, inest in eo aliquid tamquam in subiecto et non est simplex, cui hoc sit esse esse quod illi est quidquid aliud de illo ad illud dicitur, sicut magnus, omnipotens, bonus et si huiusmodi de Deo non incongrue dicitur: nefas est autem dicere ut subsistat et subsit Deus bonitati suae, atque illa bonitas non substantia sit vel potius essentia neque ipse Deus sit bonitas sua, sed in illo sit tamquam in subiecto: unde manifestum est Deum abusive substantia vocari, ut nomine usitatiore ~~vocari~~ intelliga-

tur essentia, quod vere ac proprie dicitur; ita ut fortasse solum Deum dici oporteat essentiam" (De Trinitate l. VII c. 5. n. 10; Migne P.L. XLII 942)

Ex hac simplicitate et identitate attributorum omnium Dei, in unum esse convenientium, quod esse plenissimum et perfectissimum est, fluit immutabilitas Dei. „Est enim vere solus quia incommutabilis est, idque nomen suum famulo suo Moysi enuntiavit cum ait: „Ego sum, qui sum"; et „dices ad eos: Qui est misit me ad vos" (ibidem). Ubi non est mutatio ne tempus esse potest, nam „tempus est creaturae motus ex alio in aliud" (De Genesi ad litteram l. V. c 5, n 12; Migne XXXIV 325.) Itaque Deus est extra tempus.

Scientia Dei non circumscribitur neque restringitur ad praeterita et praesentia, sed futura etiam novit. Uno aeterno actu luminis sui Deus contemplatur omnia quae sunt et possunt esse. Quapropter non latent Deum et futura conditionata, quae numquam futura sunt, sed possent fieri si conditio quaedam accederet. Hanc sententiam Augustinus profert in libro De praedestinatione sanctorum c. 9. 17. (Migne P.L. XLIV, 973.) Semipelagiani inde deduxerunt falsas conclusiones

in materia gratiae. Augustinus conclusiones reiecit sed sententiam de praevisione futurorum conditionatorum non negavit. (De dono perseverantiae c. 9. n. 23; Migne P. L. XLV 1005-1006.)

Caetera attributa divina a s. Augustino celebrata et mentionata aeternitatem scilicet, sanctitatem, bonitatem, immensitatem, hic omittimus. Omnipotentiam tamen Dei Augustinus manifestat ex sua dominatione in legibus naturae. „Omnis iste naturae usitatissimus cursus habet quasdam naturales leges suas, secundum quas et spiritus vitae, qui creatura est habet quasdam appetitus suos, quos etiam mala voluntas non possit excedere. Et elementa mundi huius corporei habent definitam vim qualitatemque suam, quid unumquodque valeat vel non valeat, quid de quo fieri possit vel non possit. Ex his velut primordiis rerum, omnia quae gignuntur, suo quoque tempore exortus processusque sumunt, finesque et decessiones sui cuiusque generis. Unde fit ut de grano tritici non nascatur faba, vel de faba triticum, vel de pecore homo, vel de homine pecus. Super hunc autem motum cursumque rerum naturalem, potestas Creatoris habet apud se posse de his omnibus facere aliud,

quam eorum quasi seminales rationes habent non tamen id quod in eis posuit ut de his fieri vel ab ipso possit. Neque enim potentia temeraria, sed sapientiae virtute omnipotens est; et hoc de unaquaque re in tempore facit, quod ante in ea fecit ut possit. Alius ergo est rerum modus quo illa herba sic germinat, illa sic; illa aetas parit illa non parit; homo loqui potest, pecus non potest.

Horum et talium modorum rationes rationes non tantum in Deo sunt, sed ab illo etiam rebus creatis inditae atque concreatae. Ut autem lignum de terra excisum, aridum, perpolitum, sine radice ulla, sine terra et aqua repente floreat, et fructum gignat, ut per iuventam sterilis femina in senecta pariat, ut asina loquatur, et si quid eiusmodi est, dedit quidem naturis, quas creavit, ut ex eis et haec fieri possent (neque enim ex eis vel ille faceret quod ex eis fieri non posse ipse praefigeret, quoniam se ipso non est nec ipse potentior): verumtamen alio modo dedit, ut non haec haberent in motu naturali, sed in eo quo ita creata essent, ut eorum natura voluntati potentiori amplius subiaceret" (De Genesi ad litteram l. IX c. 17. n. 32; Migne XXXIV. 406.)

Deus non solum Dominus est legum naturae,

sed et auctor ipsius naturae, cuius singula ex nihilo creata celebrat Confessionum l. II c. 4 n 6. quod supra citavimus, deinde vero prosequitur: „Quomodo autem fecisti coelum et terram, et quae machina tam grandis operationis tuae? Non enim sicut homo artifex formans corpus de corpore, arbitratu animae valentis imponere utcumque speciem quam cernit in semetipsa interno oculo. Et unde hoc valeret, nisi quia tu fecisti eam... Tu fabro corpus, tu animam membris imperitantem fecisti, tu materiam unde facit aliquid, tu ingenium quo artem capiat et videat intus quid faciat foris, tu sensum corporis quo traiciat ab animo ad materiam id quod facit, et renunciat animo quid factum sit, ut ille intus consulat praesidentem sibi veritatem, an bene factum sit. Te laudant haec omnia creatorem omnium" (Confessiones l. XI c. 5 n. 7; Migne P. L XXXII, 811. 812.)

In opere de Musica l. VI c. 17 n. 57 s. Augustinus eos qui possibilitatem creationis ex nihilo negant. Faber rationales numeros imprimere materiae, ut fiant sensuales numeri, semen arboris locales et temporales numeros stirpium et fructuum producere potest, „quando magis animalium corpora, in quibus intervalla membrorum

numerosam parilitatem multo magis aspectibus offerunt? An ista de elementis fieri possunt et ipsa elementa non potuerunt fieri de nihilo?" (Migne P. L. XXXII, 1191, 1912) et paulo inferius sanctus doctor concludit „Quocirca omnipotens Deus terram fecit et de nihilo terra facta est" (l.c. 1912). Haec creatio non ita est intelligenda quasi facta esset ex Dei natura, sed ex nihilo (De Genesi ad litteram 1, I c. 1 n 2 et 3; Migne P. L. XXXIV, 247). In libro De natura boni cc. 25 et 26 s. Augustinus refutat eos, qui credebant ipsum nihilum esse aliquid et hoc nihilo-aliquo creatum esse mundum. Porro c. 27 dicit mundum a Deo quidem creatum esse sed non de Deo: Ex ipso enim coelum et terra, quia ipse fecit ea, non autem de ipso, quia non de substantia sua (Migne P. L. XLII, 560).

In doctrina s. Augustini de Deo et creatione mundi magni momenti est sua sententia de rationibus seminalibus, quae in principio creatae simul a Deo deinde iuxta leges a Creatore sibi inditas evolvuntur et producunt miram creaturae varietatem atque pulchritudinem. „Ista quippe

originaliter ac primordialiter in quadam textura elementorum cuncta iam creata sunt; sed acceptis opportunitatibus prodeunt. Nam sicut matres gravidae sunt fetibus sic ipse mundus gravidus est causis nascentium: quae in illo non creantur, nisi ab Illa Summa Essentia, ubi nec oritur nec moritur aliquid, nec incipit esse nec desinit" (De Trinitate l. III c. 9 n. 16; Migne P. L. XLII, 877-878) In hac sententia quibusdam videbatur inclusa fuisse hypothesis de evolutione specierum vegetativarum et animalium. Exagerato sensu explicata haec opinio s. Augustini modernistis placuit. S. Thomas sensu orthodoxo et autentico eam intellexit. Nostris temporibus de hac opinione s. Augustini satis abundanter locutus est Thamiry in opere Les deux aspects de l'immanence et problème religieux Paris Bloud 1908 p. 127 sqq. Hanc doctrinam de rationibus seminalibus s. Augustinus non ipse excogitavit, sed a neoplatonicis accepit.

S. Augustinus negat aeternitatem mundi et reicit etiam hanc sententiam, quae mundum ab aeterno creari posse a Deo affirmat. Iuxta s. Doctorem aeternitas tempori contradicit. „Considerent nihil esse diuturnum in quo est aliquid extremum" (De civitate Dei l. XII c. 12, Migne XLI, 359). Cum tempus sit mutatio, atqui ante mundi ortum non existebat nisi solus immutabilis Deus, ergo ante mundum tempus esse non potuit. Obicientibus, cur Deus non creavit mundum maturius s. Augustinus respondet explicando hanc quaestionem inanem esse, nam quocumque puncto aeternitatis crearetur mundus, semper ante se haberet aeternitatis immensitatem et semper eadem quaestio aequo iure repeti posset (l. c).

De providentia Dei, iuxta Augustinum duplex est hominum error, alii enim eam negant, alii vero male confitentur. „Alii enim nullam divinam providentiam praeesse rebus humanis libenter opinantur dumque fortuitis committunt casibus et animos et corpora sua.... Alii vero quamquam negare non audent praesidere humanae vitae providentiam Dei, malunt tamen eam vel infirmam vel iniustam, vel malam nefario errore credere, quam sua peccata pietate supplici confiteri." (De libero arbitr. l. III c. 2. n. 5; Migne XXXII, 1273). Quidam autem „putaverant sublimes quidem mundi partes, id est a confinio corpulentioris

aeris huius et supra, divina providentia gubernari; hanc autem imam partem terrenam et humidam, aerisque huius vicinioris qui terrarum et aquarum exhalationibus humescit, in quo venti nubesque consurgunt, casibus potius et fortuitis motibus agitari" (De Genesi ad litteram l. V, c. 21 n 42; Migne XXXIV, 336). Ut ad rectam sententiam de providentia perveniatur opus est humili poenitentia (De libero arbitrio l. III c. 2 n 5; Migne P.L. XXXII, 1273.)

Positiva argumenta existentiam providentiae divinae probantia Augustinus spargit multis in locis. De Gen. ad litt. l. V c. 21 citat testimonium libri Sapientiae (6, 17), quae „ostendit se in viis hilariter, et in omni providentia occurrit illis." Capite autem 22 eiusdem V libri De Genesi ad litteram s. Augustinus dicit Deum multam solertiam manifestasse in componendis membris hominum animaliumque et prosequitur: „Et cum animae natura naturae corporis antecellat, quid est dementius quam putare nullum esse divinae providentiae indicium de moribus hominum,

cum in eorum carne tanta eius solertiae clareant et demonstrentur indicia (Migne. P.L. XXXIV, 337). Qui „nec ullam providentiam deputat; aut si deputat, ad eam se pertinere non putat", hic „proponit sibi peccandi licentiam" et venit „in profundum malorum" (Enarratio in psalmum 142 n 13; Migne P.L. XXXVII, 1853) - „Dicendum est nullam fuisse futuram iustitiam in hominibus, si res humanas non curet Deus" (De diversis quaestionibus, q. 82 n. 2; Migne P.L. XL, 98). Deus quidem dat bona etiam malis, sed ideo non est neganda providentia Dei, cuius consilia ignota esse possunt hominibus „ „Ergo Deus qui dat malis ista (terrena) bona, te docet concupiscere meliora" (scilicet spiritualia. Sermo 311 cc. 12, 13; Migne. P. L. XXXVIII, 1418). Deus permittit peccata, ex quo quidem concludunt providentiam non esse (Sermo 17; Migne XXXVIII, 126) sed nunc Deus indicat quaedam, non vero omnia, postea autem indicaturus est omnia (Sermo 18; Migne P. L. XXXVIII, 129) „Apud ethnicos et epicurei credebant, asserentes

res humanas ad deorum curam non pertinere, et stoici, qui contraria sentientes, eas regi atque muniri diis adiutoribus atque tutoribus disputabant" (De civitate Dei l. XVIII. c. 41. n. 2; Migne XLI, 601) "De providentia certe Plotinus platonicus disputat, eamque a Summo Deo, cuius est inintelligibilis atque ineffabilis pulchritudo, usque ad haec terrena et ima pertingere, flosculorum atque foliorum pulchritudine comprobat" (o. c. l. X, c. 14; Migne ib. p. 292).

Providentia Dei extenditur non solum ad omnes homines, sed etiam ad omnia imis atque ultimis non exceptis (De Ordine l. I c. 1 n 1; Migne XXXII, 978. Enarratio in psalmum 145 n. 13; Migne P.L. XXXVII, 1892. – Enar. in psal. 148 n. 10; Migne P.L. XXXVII, 1943, 1944). Nihil fit sine providentia (Sermo 8 c. 7; Migne P.L. XXXVIII, 70.) Divina providentia pertingit usque ad nos (Contra academicos l. I c. 1 n 1; Migne P.L. XXXII, 906) Nihil casu fit in mundo, sed omnia providentia reguntur (De diversis quaestionibus, c. 24; Migne P.L. XL, 17)

atque gubernantur (De agone christiano c. 8 n. 9; Migne P.L. XL, 295, 296). "Quidquid ergo hic accidit contra voluntatem nostram noveritis non accidere nisi de voluntate Dei, de providentia ipsius, de ordine ipsius: et si nos non intelligimus quid quare fiat, demus hoc providentiae ipsius quia non fit sine causa, et non blasphemabimus" (Enarratio in psalmum 148 n. 12. Migne P.L. XXXVII, 1946) Etiam voluntates humanae subest voluntati divinae (De civitate Dei l. V c. 10 n. 2; Migne XLI, 153.) Mores humani divinae providentiae subiciuntur (De Genesi ad litteram l. V c. 22 n 43; Migne XXXIV, 337). Omnes creaturae pessimis quibuscumque non exceptis velint nolint divinae providentiae serviunt (Epistolae ad Galatas expositio n. 32; Migne P.L. XXXV, 2128). "Fieri potest, ut per malum hominem divina providentia et puniat et opituletur (De diversis quaestionibus 27; Migne P.L. XL, 18). His itaque omnibus statuendum est providentiam Dei esse omnino universalem.

Porro docet s. Augustinus eam esse

occultam (De civitate Dei l. VII c. 35; Migne XLI, 224.) Licet divina consilia praetergrediantur humanum intellectum nihilominus prudentissima sunt (Sex quaestiones contra paganos, ep. 102 quaestio 2 n. 12; Migne P.L. XXXIII, 374, 375).

Sicut aurifex implet fornacem palea, ponit in ea aurum et ignem mittit, ut paleam comburendo aurum purificet, sic et Deus est aurifex, mali palea, boni vero aurum „Aurum non purgatur, si palea non uratur" (Sermo 15 c. 4; Migne P.L. XXXVIII, 118)„ Illa tria, aurum, palea, ignis in fornace; artifex ad fornacem" (ibidem)

De anima humana s. Augustinus tam multoties locutus est, ut omnino impossibile sit hic suas sententias singillatim recensere, aut etiam saltem eadem diligentia redefere, qua usi sumus in exponenda sua doctrina de providentia. Itaque in exponenda psychologia augustiniana sequemur ducem Portalié (Dictionnaire de Théologie Catholique I 2356 - 2361), omittendo res, quae ad theologiam fundamentalem

evidenter non pertinent. S. Augustinus optima arte novit omnes animi sui motus penetrare atque praeclarissimis verbis exprimere „Nul n'a parlé de la dignité de l'âme avec une admiration plus passionnée." (Nemo ardentius et sincerius locutus est de magno animi pretio quam Augustinus, ait Portalié l.c. col. 2357).

Animam humanam Augustinus dicit esse solo Deo interiorem. „Si quid ergo aliud est eorum, quae Deus creavit, quiddam est deterius, quiddam par; deterius ut anima; par ut angeli; melius autem, nihil." (De quantitate animae c. 34; Migne P.L. XXXII, 1078). „Deus igitur solus ei colendus est, qui solus eius est auctor." (ibidem).

DE NATURA ANIMAE. Augustinus scit quosdam dubitare, sitne anima corporalis an spiritualis (Ep. 166

ad Hieronymum n. 3 et 4; Migne XXXIII, 721, 722) „Incorpoream quoque esse animam, etsi difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum" (ib. n. 4; Migne XXXIII, 721). „Nunc tamen de anima ... nihil confirmo, nisi quia ex Deo sic est, ut non sit substantia Dei, et sit incorporea, id est, non sit corpus, sed spiritus" (De Genesi ad litteram l. VII c. 28 n. 43; Migne P.L. XXXIV, 372). Quidam scriptores animam dicebant esse corpus, sub nomine corporis intelligentes id, quod reapse est. Augustinus reprobat hunc modum dicendi (ep. cit. c. 15 n. 21; Migne l.c. 363). Spiritualitatem animae Augustinus probat argumentis ex Platone desumptis, quae tamen Portalie censet esse satis infirma. Optimum vero argumentum huius spiritualitatis est, quod desumitur ex cognitione non materialium ab anima.

Quod argumentum Augustinus proponit in opere De quantitate animae c. 13 n. 22 (Migne P.L. XXXII, 1047) et capitibus 27–29 nn. 52–58 (Migne l.c. 1065–1068) item De immortalitate animae c. 6 n. 10 (Migne P.L. XXXII, 1025–1026)

Praeterea anima est simplex, id est, non componitur ex materia et forma. Evodius Uzalensis docebat animam, post mortem hominis, manere coniunctam cuidam corpori aetero, ne sit una omnium (ep. 158 n. 5; Migne P.L. XXXIII, 695). Augustinus hanc sententiam fortiter reicit: „Si autem breviter vis audire quid mihi videatur, nullo modo arbitror animam e corpore exire cum corpore" (ep. 159. Migne l.c. 699.

De unione animae et corporis, seu de composito humano. — Plato et Origines essentiam hominis ponebant in sola anima, corpus

autem dicebant esse nonnisi involucrum, seu etiam carcerem animae. Augustinus vero scribit: „Quisquis a natura humana corpus alienare vult, desipit" (De anima et eius origine l. IV c. 2 n. 3; Migne P.L. XLIV, 525) - Imo Augustinus censet animam quodam apetitu naturali ferri in corpus (De Gen. ad lit. l. VII c. 27 n. 38; Migne XXXIV, 369).

S. Doctor multoties tradebat definitionem hominis. In antiquioribus (De quantitate animae c. 13 n. 22; Migne XXXII, 1048 et De moribus E-iae cath. l. I c. 27 n. 52; Migne l. c. 1332), anno scilicet 388 prodit influxum Platonis, qui credebat corpus esse passivum omnino erga animam activam. Sed in operibus posterioribus (De Trinitate l. XV c. 7 n. 11; Migne XLII, 1065) annis scilicet a 410 ad 416 iam utramque partem hominis, animam scilicet et corpus aequaliter

facit intrare in definitionem hominis, tandem dicit: „Homo est enim, sicut veteres definierunt, animal rationale mortale" (De Trinitate l. XV c. 7 n. 11; Migne P.L. XLII, 1065). Reactio contra errores manichaeorum videtur contulisse aliquid ad id, ut Augustinus debitum locum corpori in composito humano redderet. Pulchritudinem corporis humani Augustinus laudat in libro De Continentia c. 9 (Migne XL, 364).

Manichaei asserebant duas esse animas in homine: alteram bonam alteram autem malam. Contra hunc errorem Augustinus scripsit integrum librum De duabus animis. (Migne P.L. XLII. Non agnoscens nisi animam et corpus, Augustinus reiiciebat trichotomiam. Tamen difficultatem Augustino parabat usus loquendi Scrip-

de anima asserunt, aliquando autem spiritum in homine esse docent (De Genesi contra manich. l. II c. 8 n 11; Migne XXXIV, 202). - (De anima et eius origine l. IV c. 2 n 3; Migne P.L. XLIV, 525). Hanc difficultatem Augustinus sedavit, docuit enim spiritu hominem cogitare, spiritu corpus vivificari tandem spiritum esse principium omnium actorum vitalium in homine.

Unio inter animam et corpus est arcta profundaque. „Per animam ergo corpus subsistit et eo ipso est quo animatur... Tradit speciem anima corpori, ut sit corpus in quantum est" (De immortalitate animae c 15 n 24; Migne P.L. XXXII, 1033). Anima ita iungitur corpori, ut „tota singulis partibus simul adest, quae tota simul sentit in singulis." (op. cit. c. 16 n 25; Migne l. c. 1034).

Haec tamen arctissima unio non producit confusionem. Anima

constituit interiorem hominem, corpus autem exteriorem (De Trinitate l. IV c. 3 n. 5; Migne P. L. XLII, 890. - Contra Faust. l. XXIV, c. 2.; Migne P.L. XLII, 457). Contra errores suorum coaevorum, qui animam et corpus miscentes ex duobus his elementis dicebant fieri aliquod tertium, Augustinus scripsit: „Cum corpus et anima sit unus homo, quamvis corpus et anima non sit unum" (ep. 238 ad Pascentium c. 2 n. 12; Migne XXXIII, 1042). Haec formula non est nimis premenda, nam prodiit tamquam negatio erroris supra mentionati. Modum quo uniuntur corpus materiale et anima spiritualis s. Augustinus non explicavit. Hoc videtur esse mysterium captui intellectus mortalis impervium.

In doctrina s. Augustini de origine animae humanae duae distinguendae sunt partes: quaestio, scilicet, de origine spiritualis substan-

tiae in homine, seu de origine animae Adami et Hevae; secundo, quaestio de modo quo oriantur animae singulorum hominum, qui ab Adamo procedunt. De hac secunda quaestione s. Augustinus novit fuisse quattuor opiniones, quarum quae sit vera non statuit. Opinionum enumeratio non ponitur uno loco, sed disiecta est in multis s. Augustini operibus. Nullae harum opinionum adhaeret s. Auctor, nullam damnat.

De priore quaestione, scilicet, de origine spiritualis substantiae in homine s. Augustinus quinque protulit enuntiationes certas. 1°. Gnostici et manichaei dicebant animam humanam esse emotionem substantiae divinae. Quam sententiam Augustinus reiicit tamquam blasphemiam contra immutabilitatem, simplicitatem et sanctitatem Dei. „Unde, obsecro, credis esse animam

non uniuscuiusque nostrum dico, sed primam primo illo homini datam? Si ex nihilo, et factam tamen insuflatamque a Deo: id credi quod ego" (De anima et eius origine l. II, c 3 n. 6; Migne P.L. XLIV, 497). 2° Animam humanam nullo modo producere poterant vel possunt causae physicae, etsiamsi ad summam perfectionem pervenirent. Ne Deus quidem adiutorio suo id efficere volet, ut substantia aliqua corporalis vel etiam anima bruti animam hominis spiritualem producat. Hanc sententiam Augustinus prodit in opere: De Genesi ad litt. l. VII cc. 9–17. n. 12–22; item c. 23 n. 34.; Migne P.L. XXXIV, 360–364 item 368. Similia habentur et in aliis operibus, ex. gr. Epistola 190 n. 14; Migne P.L. XXXIII, 861. In opere De Genesi ad litteram l. VII c. 38 n. 43 inter caetera Augustinus scribit: „Nunc tamen de anima, quam Deus inspiravit homini insuflando in eius faciem, nihil confirmo, nisi quia ex Deo sic est, ut non sit substantia Dei; et sit incorporea, id est, non est corpus, sed spiritus; non de substantia Dei genitus, nec de substantia Dei procedens, sed factus a Deo; nec ita factus, ut in eius naturam, natura ulla corporis vel irrationalis animae verteretur; ac per hoc de nihilo" (Migne P. L. XXXIV, 372.).

Quapropter acriter damnat Augustinus Tertulianum qui dicebat animas generari posse traduce materiali et: „luciferianos a Lucifero Caralitano episcopo exortos", qui „cum teneant in omnibus catholicam veritatem, in hunc errorem stultissimum prolabuntur, ut animam dicant ex transfusione generari; eademque dicunt de carne et de carnis esse substantia" (De haeresibus 81; Migne P.L. XLII, 45).

3º Errorem Platonis et Origenis, qui credebant animas humanas quondam extitisse in statu spirituum purorum et deinde propter culpas demeritas esse ut corporibus includentur, Augustinus dicit esse rationi et testimonio conscientiae esse contrarium. (ep. 164. n. 20, Migne P.L. XXXIII, 717; item ep. 166 n. 27; Migne XXXIII, 732, item ep. 190 n. 4. Migne XXXIII, 358). Adeo magis absurdam credebat doctor hipponensis migrationem animarum successivam per varia hominum animaliumque corpora. (De haer. 46; Migne XXXIV, 35-38; De Geneši ad litt. l. VII c 9-12; Migne XXXIV, 360-362).

4º In opere de Generi ad litteram toto fere libro VII Augustinus occupatur solvendo quaestione de origine animae. Hanc quaestionem s. Augustinus considerat in universaliore lumine, tractat enim, eam tamquam partem doctrinae de creatione universi. Docebat s. Doctor omnes res materiales

in uno momento creatas fuisse causaliter, scilicet conditam fuisse materiam et causas formales, quae processu temporis effecerunt, ut singulae res materiales prodierent cum suis formis. Analogico huic sententiae modo potuit statui hypothesis creatam fuisse a Deo aliquam substantiam spiritualem, ex qua deinde ipse Deus produceret correspondentibus temporibus singulas animas. Sed ipse s. Augustinus videt multa et gravia, quae huic hypothesi obiici possent. Nam et elementum illud spirituale, vix definiri potest cum ignoretur sitne activum, rationale, beatum? Ipsa universalitas elementi illius spiritualis videtur obstare his proprietatibus. Si vero elementum illud, ex quo animae Deo agente oriuntur, diceretur inconscium, passivum et indifferentum erga beatitudinem, tunc non esset spirituale. Hanc hypothesim Augustinus tractat op. et libro citato. capp. 6 et 7; (Migne P.L. XXXIV, 358-360). Juxta secundam hypothesim initio Deus simul cum materia creavit rationes seminales quasdam, ex quibus deinde ortae sunt animae, sicut ex germinibus oriuntur plantae. Sed et hanc hypothesim reiicit Augustinus, quia non intelligit, quomodo spiritualis substantia ex germine evolvi possit. (ib. c. 22, n. 32; Migne l.c. p. 366). Juxta tertiam hypo-

thesim, rationes animarum seminales inditae fuerunt, aut esse potuerunt, angelis, qui deinde correspondetibus temporibus producerent nostras animas, sicut parentes producunt nostra corpora. Sed nos non sumus filii angelorum, ne sub respectu quidem animarum nostrarum (ibidem c. 23 n. 34., Migne l. c. 368) Quapropter s. Augustinus inclinari videtur ad quendam traducianalismum pure spiritualem, animas infantium, scilicet, ab animabus parentum producere aliquo ignoto modo. Materialisticum vero traducianismum Tertuliani s. Augustinus reiicit rigorosissime. 5º. De anima humana Christi, quomodo orta sit, s. Augustinus nihil definitivi protulit, licet crediderit eam potuisse immediate a Deo creari, ut contagium peccati vitaretur. (Ep. ad Evodium 164 c. 7 n. 19. Migne P. L. XXXIII, 717).

De Christologia s. Augustini,

tamquam partae fundamentalis theologiae iam supra locuti sumus[1]. Hinc restant nonnisi quaedam animadversiones generales ponendae.

[1] Christologia dupliciter tractari potest: primo modo, ut probetur Christum fuisse legatum divinum, auctoritate divina praeditum, et hic modus ad theologiam fundamentalem pertinet, secundo modo ut exponantur quae de Salvatore divinitus revelata sunt, et hic modus est theologiae dogmaticae.

1º S. Augustinus quasi compendium suae christologiae tradit in verbis: „Homo verus, Deus verus, Deus et homo totus Christus: hoc est catholica fides. Qui negat Deum Christum, photinianus est; qui negat hominem Christum manichaeus est; qui confitetur Deum aequalem Patri Christum et hominem verum passum vere, sanguinem fudisse verum... catholicus est" (sermo 92 n. 3; Migne P. L. XXXVIII, 573).

2º. In suis sententiis de Christo s. Augustinus non solum semper sibi constans fuit saltem ab anno 391, sed etiam easdem proferebat opiniones, quae dogmata sunt catholica. Licet non defuerint tentamina ex patribus scriptorum protestantium inveniendi contradictiones inter Christologiam Augustini et Christologiam Ecclesiae, tamen evidens facta est impossibilitas inveniendi has contradictiones.

3º Christologia s. Augustini in toto suo systemate theologico principalem occupat locum, ita ut quidam protestantes dicant Augustinum primum fuisse post s. Paulum et s. Ignatium, qui redderet Christo primum sibi debitum locum in doctrina Christiana (Harnak, Lehrbuch de Dogmageschichte 3 ed. III vol. p. 117) Hoc indicium, sane exageratum est, verum tamen

est animam Augustini totam Salvatori inhaesisse, ut patet ex Confessionibus. In sermone autem 124 n. 3. Augustinus dicit: „Deus Christus patria est qua imus" (Migne P.L. XXXVIII, 685). „Certum propriumque fidei catholicae fundamentum Christus est" (Enchiridion c. 5; Migne P.L. XL, 233), nam Christus in mente Augustini est ratio est cur credamus.

4º. Influxus Christologiae s. Augustini in posteriores, maximus fuit, quod patet inter caetera, etiam ex eo, quod celeberrima illa epistola dogmatica s. Leoni Magni ad Flavianum data 13 iunii 449 anni et acclamata in concilio Chalcedonensi 451 anni, tota referta est sententiis s. Augustini.

5º. Christologia Augustini evoluta est ita, ut ad plurimas speciales quaestiones perveniret, sed brevis recapitulatio eius ab ipso sancto Doctore facta invenitur in eius opere: Enchiridion c. 108 „Cum genus humanum peccata longe separaverunt a Deo, per mediatorem qui solus[1] sine peccato natus est, vixit occisus est,

[1] Hic locus videtur adversari assertioni immaculatae conceptionis Beatissimae Mariae Virginis, sed res aliter se habet. Citata Augu-

reconciliari nos oportebat Deo usque ad carnis resurrectionem in vitam aeternam; ut humana superbia per humilitatem Dei argueretur ac sanaretur et demonstraretur homini quam longe a Deo recesserat et exemplum obedientiae per hominem Deum contumaci homini praeberetur; et Unigenito suscipiente formam servi, quae nihil ante meruerat, fons gratiae panderetur; et carnis etiam resurrectio redemptis promissa in ipso redemptore praemonstraretur; et per eandem naturam quam se decepisse laetabatur diabolus vinceretur. (Migne P. L. XL. 282, 283).

Ecclesiologia s. Augustini.

Multae causae id effecerunt, ut Augustinus plurimas gravissimasque de Ecclesia quaestiones tractaret. Graecis enim natura sua ad speculationes abstractas proclivibus eatque doctrinam de Trinitate,

stini verba hanc quaestionem non tangunt, proinde in ea re suam mentem clare non exposuit. Mens itaque Augustini de peccato originali et Maria quaerenda est ibi, ubi s. Doctor de ea re loquitur, nempe de natura et gratia, c. 36 n. 43. ubi legitur: „Excepta igitur sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur haberi volo quaestionem: unde enim scimus quid ei plus

de natura Verbi agitantibus, romani occidentales, latino sermone utentes, ad quaestiones magis practicas prebantur atque tractabant potissimum de peccato, ut montanistae, de potestate Ecclesiae remittendi peccata, ut novatiani, de peccatis hierarchorum, ut donatistae, de gratia, ut pelagiani. Augustinus non fuit alienus ingenio romano, qui praecipue ad usus vitae prebatur, S. Doctor hipponensis strenue certabat contra schismata et haereses, quae ex vitiis occidentalium oriebantur. Cum autem haec schismata et haereses variis modis doctrinam de Ecclesia labefactabant, ideo Augustinus positive eam evolvebat. Catholici, protestantes et rationalistae, quotquot sunt eruditi consentiunt in celebrandis meritis Augustini de Ecclesiologia. (Vide Specht, Die Einheit der Kirche 1884 p. 1; A. Harnack, Dogmengeschichte; Dorner, Augustinus, Portalie St. Augustini, in Dictionaire de theol. cath. I 2408).

---

gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere et parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum" (Migne P.L. XLIV, 267).

Portalié, quo utitur in hoc capite conscribendo ecclesiologiam s. Augustini dividit in novem partes, nempe 1° de institutione Ecclesiae, 2° de notione eius, 3° de constitutione interiore, 4° de auctoritate magisterii ecclesiastici, 5° de auctoritate legislativa, 6° de ministerio ecclesiastico et sacramentis, 7° de sanctificatione hominum ab Ecclesia per Eucharistiam, 8° per poenitentiam, 9° de ecclesia et matrimonio. Cum quinque ultimae partes theologiam dogmaticam exclusive spectent non eas omittendas esse censemus.

De institutione Ecclesiae. Deus, iuxta Augustinum, nullibi permisit hominem esse solum, nam in naturalibus et moralibus circumdedit eum familia et societate, in spiritualibus autem praestit homini adiutorium Ecclesiam, quae, divinis praerogativis ornata cum sit, apta est hominem conducere ad salutem et vitam aeternam; Christus mediator est, Ecclesia autem mediatrix; in Ecclesia continuatur opus Christi et prosequitur ipse Christus suum opus in ea. Haec doctrina Augustini in multis suis operibus prodit, praesertim autem patet ex sequentibus suis specialibus affirmationibus. Imprimis in sermone 215 n 9 Augustinus dicit Ecclesiam esse viam salutis: „Videtis certe, carissimi, etiam

in ipsis sane symboli verbis, quomodo conclusioni omnium regularum, quae ad sacramentum fidei pertinent, quasi supplementum quoddam additum, ut diceretur „per sanctam Ecclesiam"... Unum vestris precibus commendo, ut ab eo, qui catholicus non est, animum et auditum vestrum omnimodis avertatis: quo remissionem peccatorum et resurrectionem carnis et vitam aeternam, per unam veram et sanctam Ecclesiam catholicam apprehendere valeatis; in qua discitur Pater et Filius et Spiritus sanctus unus Deus; cui est honor et gloria in saecula saeculorum" (Migne P.L. XXXVIII, 1076). Porro „Itaque totum culmen auctoritatis lumenque rationis in illo uno salutari nomine atque in una eius Ecclesia recreando atque reformando humano generi constitutum est" (epistola 118 c. 5 n 33; Migne P.L. XXXIII, 448). „Ecclesia mater spiritualis..." (ep. 34 n 3, Migne l. c. 132). „Quia duo parentes nos genuerunt ad mortem, duo parentes nos genuerunt ad vitam. Parentes, qui nos genuerunt ad mortem Adam est et Eva; parentes, qui nos genuerunt ad vitam, Christus est et Ecclesia" (Sermo 22 c 10; Migne P.L. XXXVIII, 154). „Pater Deus est, mater Ecclesia" (sermo 216 n 8; Migne P.L. l. c. 1081). – „Omnis enim Ecclesia sponsa Christi est, cuius principium

et primitiae caro Christi est: ibi iuncta est sponsa sponso in carne" (In epistolam Ioannis ad Parthos c. 2 tr. 2 n 2; Migne P.L. XXXV 1990). Iunctio Christi Ecclesiae facta est sinu Mariae (Sermo 12 in vigiliis app. Petri et Pauli n 2; Migne P.L. XLVI, 853).

Ex citatis locis patet Augustinum docuisse Ecclesiam esse viam salutis, suprema auctoritate praeditam ad conducendos homines ad vitam aeternam, esse matrem fidelium, sponsam Christi. Porro Specht in opere „Die Lehre von der Kirche nach dem hl. Augustin p. 9-26 colligit textus, ubi Augustinus docet Ecclesiam esse civitatem Dei, regnum coelorum, praefiguratam paradiso terrestri, Arca Noe, civitate sancta Jerusalem. Imo Petrus et ipsa Maria Virgo Beatissima figure fuerant Ecclesiae, quam unaquaeque sacrorum bibliorum pagina in Veteri Testamento praedicabat. Tandem Ecclesia, iuxta s. Augustinum est corpus Christi mysticum (De correctione donatistarum ep. 185 c. 11 n 50), quam doctrinam Augustinus a s. Paulo acceptam maxime evolvit.

Necessitatem Ecclesiae sanctus Doctor maxime affirmabat contra Donatistas. In hac re adoptaverat sententias s. Cypriani (Vide de bapt. l. IV c. 17 n 24 et Contra lit. Petiliani

l. III c. 9 n 10). In sermone ad populum caesareusem n 6 s. Augustinus dixit: „Extra Ecclesiam catholicam totum potest praeter salutem. Potest habere honorem, potest habere sacramentum, potest cantare Alleluia, potest respondere amen, potest evangelium tenere; potest in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti fidem et habere et praedicare: sed nusquam nisi in Ecclesia catholica salutem poterit invenire" (Migne XLIII, 695) Spiritus sanctus vivificat membra Ecclesiae, non vero eos, qui ab ea separati sunt: „Non est autem particeps divinae charitatis, qui hostis est unitatis. Non habent itaque Spiritum sanctum, qui sunt extra Ecclesiam" (ep. 185 c II n 50; Migne XXXIII, 815). „Quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet Spiritum Sanctum (In Ioan Evang. tr. 32 c. 7 n 8; Migne P. L. XXXV, 1646).

Necessitas Ecclesiae non impedit immediatam Dei actionem in animis hominum. Deus est enim lumen, quo indiget anima ad cognoscendum verum (De Magistro passim; Migne P. L. XXXII) Deus etiam est supremus moderator voluntatis: „Sine dubio habens (Deus) humanorum cordium quo placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem" (De correptione et gratia c 14 n 45; Migne XLIV, 943).

Imo necessitas Ecclesiae non adimit Deo facultatem illustrandi homines, extra Ecclesiam inculpabiliter positos: „Centurionem Cornelium ante ipsum Baptismum, ante impositionem manus, cum eis qui secum erant eodem Spiritu sancto repletum Petrus ipse miratus est" (Contra ep. Parmeniani c. 15 n 34; Migne XLIII, 76). „Cur autem modo sic, modo autem sic, nisi ne aliquid hinc humanae superbiae sed totum divinae gratiae potestatique tribuatur (sermo 269 n 22; Migne XXXVIII, 1235). „Proinde colligitur invisibilem sanctificationem quibusdam affuisse atque profuisse sine visibilibus sacramentis...; nec tamen ideo sacramentum visibile contemnendum est, nam contemptor eius invisibiliter sanctificari nullo modo potest" (Quaest in Heptat. l. III q 84; Migne P. L. XXXIV, 713).

Etiam sacerdote sacramenta conficiente „Christus sanat, Christus mundat, Christus iustificat" (sermo 292 n 6; Migne XXXVIII, 1324). Simili modo et praedicatio ecclesiastica non removet Deum ab agendo in animam audientis: „Sonus verborum nostrorum aures percutit, magister intus est" (In ep. Ioann ad Parthos tr. 3 n 13; Migne P. L. XXXV, 2004). –

Quod Portalié appellat doctrinam Augustini de notione Ecclesiae, hoc potius dicendum esse videtur doctrina de sanctitate et visibilitate Ecclesiae. Harnack (Dogmengeschichte III, 152-154) censet Augustinum esse contradictionis reum. Accusatio vera esset, si affirmatio visibilitatis et sanctitatis Ecclesiae fieri non posset sine contradictione. Augustinum enim reapse utramque qualitatem Ecclesiae tribuit.

Visibilitatem Ecclesiae s. doctor affirmat in multis locis contra donatistas. In epistola contra Donatistas seu De unitate Ecclesiae c. 16 n 40 scribit: „Non est autem ~~ista~~ operta, quia non est sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Et de illa dictum est, non potest civitas abscondi supra montem posita" (Migne XLIII, 422). Qui liber, cum a quibusdam dubius esse censeatur, audienda sunt verba Augustini ex II libro Contra Cresconium donatistam c. 36 n 45: „Ecclesia cunctis clara atque conspicua; quippe civitas quae abscondi non potest super montem constituta, per quam dominetur Christus a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrae" (Migne P.L. XLIII, 493). Adsunt et alii loci, ubi similia proferantur.-

Sanctitatem Ecclesiae s. Augustinus ita credidit, ut eam diceret non solum uxorem Christi (sermo 91 c. 6 n 7; Migne P.L. XXXVIII, 570), sed et corpus eius et templum et domos et civitatem (Enarratio in ps 131 n 3; Migne P.L. XXXVII, 1717). Ut columbam incorruptam, sanctam, pudicam, non habentem maculam aut rugam (De Baptismo contra Donatistas l. IV c. 4 n 5; Migne P.L. XLIII, 157).- Imo sanctitatem Ecclesiae s. Augustinus adeo praedicavit, ut videretur credidisse, solos sanctos ad Ecclesiam pertinere, nam in libro VI De Baptismo Contra Donatistas c. 34 n 66 Ecclesiam appelat columbam, quae perficitur in solis sanctis qui aedificati sunt super petram (Migne P.L. XLIII, 219) Imo c. 31 n 60 eiusdem libri s. Augustinus videtur negare Christianos esse, qui audiunt verba Christi et non faciunt, qui in illa petra non sunt, in qua aedificatur Ecclesia (Migne l.c. p. 217), qui saeculo verbis non factis renuntiant. Nam Ecclesia non habet maculam, aut rugam aut huiusmodi (op. cit. l. IV c. 3 n 4; Migne l.c. 156). Imo contra Cresconium, donatistam l. II c. 33 n 42 dicit praedestinatos dividi ab Ecclesia nullo modo posse (Migne XLIII, 491). „Deus indicat omnem diem. Secundum autem eius praescientiam, qui novit quos praedestinaverit

ante mundi constitutionem conformes imagini Filii sui, multi etiam, qui aperte foris sunt et haeretici appellantur, multis et bonis catholicis meliores sunt" (De Baptismo cont. Donatist. l. IV c. 3 n 4; Migne P.L. XLIII, 155)

Ex his et similibus locis, sane faciliter construi potest argumentatio ad probandum Augustinum ante undecim saecula docuisse protestanticum placitum, iuxta quod ad Ecclesiam pertinent soli sancti et praedestinati, excluduntur autem ex ea omnes peccatores. Cum autem homines scire non possint, quis sit praedestinatus, quis vero peccator, visibilitas Ecclesiae ipso facto disparet et Augustinum, qui eam manifestissime docuit, contradictionis faciliter arguitur. – Haec tamen argumentatio invincibilis solummodo tunc apparet, quando verba Augustini avulsa a contextu considerantur. In operibus autem doctoris hipponensis ea leguntur ibi praesertim, ubi donatistis demonstratur necessitas intrandi in veram Ecclesiam catholicam. Quapropter verba Augustini de solis sanctis et praedestinatis pertinentibus ad Ecclesiam catholicam, tunc sollummodo intelligi possunt, quando admittitur in sua mente semper praesens veritas finem hominis esse aeternam salutem in Deo. Si quae media ad hunc finem attingendum divinitus statuta ab hominibus ad alios fines detorquentur

X. Bannas (1)

nihil hominibus prosunt.

Mens Augustini intelligi potest ex sua argumentatione de baptismate. "Et quomodo accipienti non prodest baptismus ei qui saeculo verbis non factis renunciat: sic non prodest ei qui in haeresi vel in schismate baptisatur: utrique autem correcto prodesse incipit, quod ante non proderat, sed tamen inerat. Baptisatus ergo in haeresi non fit templum Dei: numquid tamen ideo probaptisato non habendus est. Nam nec avarus intus intus baptisatus fit templum Dei si ab avaritia non recesserit; qui enim fiunt templum Dei, possident utique regnum Dei." (De baptismo contra Donatistas l. IV c. 4 n. 5 et 6; Migne P.L. XLIII, 157).

Mens igitur Augustini est: baptismus est visibilis et adunator coetui baptisatorum, qui baptisatus est, sed haec adunatio ei non prodest si infectus est haeresi vel schismate vel gravi peccato, quippe quibus impediatur possessio regni divini. Sed hic baptismus prodesse incipit statim ac corrigitur suum obstaculum, nempe peccatum, haereses vel schisma. Eodem modo et vinculum unionis cum Ecclesia catholica nullum sortitur effec-

tum toto tempore, quo peccato impeditur, quominus fiat medium ad intrandum in verum et aeternum regnum Dei.

Itaque iuxta Augustinum vinculum unitatis ecclesiasticae, seu pertinentia ad societatem Ecclesiae est efficax medium ad obtinendum regnum Dei, sed hoc medium peccato frustrari potest. Hoc medium utpote externum, non supplet defectum interioris renovationis. Renovatio interior verus amor Dei atque cultura virtutum, interna cum sint supplere aliquomodo possunt inculpabilem defectum vinculi externi cum Ecclesia, quapropter homo extra Ecclesiam positus, qui virtutem colit, Deum amat, atque baptismate est regeneratus, melior esse potest, quam catholicus qui propter peccata membrum putridum manet

Denominatio putridi membri ab Augustino sumpta est In Joann. tr. 36 n. 13. Talia membra in 1-um Joann. tr. 3 n 4 vocantur humores mali Ecclesiae. Pertinent igitur peccatores ad Ecclesiam sed non omnino (De baptismo l. IV c. 2 n 4; Migne P. L. XLIII, 115.

Itaque praesentiebat Augustinus distin-

ctionem inter animam et corpus Ecclesiae, tamen nondum expressit eam. Recta via ad eam distinctionem procedebat, sed subsistit uno passu antequam eam invenerit.

Non est mirandum Augustinum substitisse ante faciendam Ecclesiae animae et corporis distinctionem, nam in quaestione relationis peccatorum ad Ecclesiam non sola haec distinctio erat facienda.

Ecclesiam Christus instituit ut sit regnum Coelorum, ut colligeret sibi omnes oves electas.

Augustinus certe novit quem finem sibi proposuerit Christus instituendo Ecclesiam. Sanctus Doctor admittere non potuit finem a Christo propositum Ecclesiae ab hoc fuisse frustratum, quapropter docebat Augustinus Ecclesiam solis sanctis constare nec habere maculam aut rugam. Sed noverat sanctus Pater hunc finem non statim his in terris attingi, quapropter scripsit: „Quomodo ergo testimonium propheticum, quod in sua responsione posuerunt, quod Ecclesiae dictum est, Non adiiciet ultra per te transire incircumcisus et immundus ad

ad hoc tempus pertinere intelligitur quando Ecclesia retibus comparata est, quibus in mari adhuc positis pisces malos bonis permixtos vel occultos esse conferi sunt". Unde manifestum est nonnisi in futuro saeculo post iudicium nullum incircumcisum et immundum per Ecclesiam transiturum." (Ad Donatistas post collectionem c. 8. n. 11; Migne P. L. XLIII, 659.)

Itaque in hac disputatione cum donatistis Augustinus distinguit praesentis temporis Ecclesiam et futuri consummati saeculi. Han distinctionem ipse diversis verbis proponit scribens: „Ecce manifestum est quod dicebatur a nobis, distinguenda esse tempora Ecclesiae: non eam nunc esse talem, qualis post resurrectionem futura est: nunc malos habere permixtos, tunc omnino non habituram" (ib. c. 9 n. 12).

Omitto quae s. Augustinus docuit de unitate, universitate, indefectibilitate Ecclesiae. Nimis multa sunt. Minus frequenter locutus est Augustinus de apostolitate Ecclesiae.

Doctrina s. Augustini de constitutione

Ecclesiae valde evoluta est. Hic eam nonnisi summatim tradendam esse censeo, aliquatenus longius instituendo primatum Romani Pontificis. De potestate Ecclesiae s. Augustinus dicit: „Haec est una quae tenet et possidet omnem sui sponsi et domini potestatem."

Haec verba a s. Cypriano prolata a s. Augustino repetita approbantur in op. de Baptismate contra donat. l. IV c. 1. n. 1 (Migne XLIII, 155.)

Distinctionem esse inter clerum et populum a Christo institutam Augustinus apertissime docet sermone 146 s. 1. (Migne XXXVIII, 796), item sermone 101 c 4 sqq., ubi proponit officium episcopi esse praedicationem (Migne XXXVIII, 607-611). „Minister id est dispensator verbi et sacramenti" (Contra Petil. l. III c. 55 n. 67; Migne XLIII, 384.)

Clare distinguit Augustinus triplicem potestatem regendi, docendi, ministrandi. Sed in quibusdam locis dicit omnes singulosque homines accepisse sacerdotium. Veruntamen hoc eo sensu intelligendum est, quod Christus est sacerdos, christiani autem sunt membra Christi ideo et aliquo sensu participant eius sacerdotii. Sed nomini presbyteri et episcopi „proprie iam in

Ecclesia vocantur sacerdotes" (De civitate Dei l. XX c. 10.; Migne P. L. XLI, 676.)

Augustinus novit et enumerat varios gradus cleri: ostiarium, lectorem, acolytham, subdiaconum, diaconum, sacerdotem, episcopum. Loquitur etiam de metropolitano ac de primate cap. 53 operis De haeresibus refutat Aërium qui negabat distinctionem episcopatus et sacerdotii. Tamen nostra maxime interest doctrina s. Augustini de primatu.

In hac re duo eruditi contradictorias ducunt sententias: protestans Largen credidit Augustinum fuisse assertorem aequalitatis omnium episcoporum juxta Realencyklope - Die für protestantische Theologie und Kirche I editio I vol. 624 p. Augustinus docebat episcopum Romanum non esse nisi symbolum unitatis Ecclesiae, quatenus repraesentat eam sed non habere iurisdictionem in tota Ecclesia, nec ideo esse causam illius unitatis.

Ex parte autem catholica doctissimus Specht probat Augustinum agnovisse verum primatum iurisdictionis episcopi romani in Ecclesiam (fundamentalem) - universalem.

Veritas est ex partibus Specht aliorumque mae sententiae defensorum, ut Atticozzi (Summa Augustiniana t. III) Schwane (Dogmengeschichte. t. II).

nam Augustinus saltem sequentia indubitanter asserit: 1° „Cypriano praeferendus est Petrus non propter martyrii gloriam, quae utrique est una; uterque autem erravit discedens a regula veritatis quam postea tota probavit ecclesia nam hic cogebat conversos ex gentibus iudaizare, ille vero haereticos poenitentes rebaptisari, tamen magis vereri debeo, scribit Augustinus, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit illum apostolatus principatum cuilibet episcopatui praeferendum?

Sed si distat cathedrarum gratia, una est tamen martyrum gloria" (De baptismo contra Donatistas l. II c. 2 n. 2.; Migne P. L. XLIII, 127).

2° Accipiendo claves regni caelorum ex manibus Christi Petrus repraesentabat Ecclesiam, tamen non eo sensu ut communitati fidelium remitteret acceptam potestatem, sed ideo repraesentabat, quod gubernabat Ecclesiam. „Cuius Ecclesiae Petrus apostolus, propter apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam" (In Joannis Evang. tr. 124 n. 5; Migne P. L. XXXV, 1973.)

3° Potestas Petri in Ecclesia conservatur apud episcopos Romae: „Multa sunt alia quae in eius (Ecclesiae) gremio me iustissime teneant. Tenet conversio populorum atque gentium: tenet auctoritas

miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum: tenet postremo ipsum Catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere." (Contra ep. Manichae, quod Fundamentum vocant c. 4 n. 5; Migne XLII, 175.)

4° Auctoritas episcopatus romani a Petro repetenda est: "Si enim ordo episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius et vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiae figuram gerenti Dominus ait: „Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non vincent eam". Petro enim successit Linus, Lino Clemens..." (Epistola 53 n. 2; Migne P.L. XXXIII, 196). Deinceps enumerat s. Doctor episcopos romanos usque ad Anastasium successorem Siricii. Idem repetitur in psalmo contra partem Donati, ubi s. Augustinus canit:

„Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede
„Et in ordine illo patrum quis cui successit videte:
„Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.
„Omnes qui gaudetis de pace, modo verum iudicate." (Migne P.L. XLIII, 30). — 5°. S. Cyprianus se videbat .... et Romanae ecclesiae, in qua semper apostolicae cathedrae viguit principatus, et ceteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse coniunctum" (ep. 43 c. 3: 7; Migne P.L. XXXIII, 163) Porro Augustinus in quibusdam ad quaestionem primatus romani pertinentibus dubitavit. Sic est. c. anceps haesit in interpretando verbo petra in Evang. s. Matthaei 16, 18. Libro enim I Retractat. c. 21 scribit: „Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tanquam in petra fundata sit Ecclesia; qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait: « Hoc ipsa petra Ecclesiae canente culpam diluit ». Sed scio me postea saepissime sic exposuisse quod a Domino dictum est « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam »; ut super hunc intelligeretur quam confessus Petrus dicens: « Tu es Christus filius Dei vivi », ac sic Petrus ab hac petra appellatus personam

Ecclesiae figuraret, quae super hanc petram aedificatur, et accepit claves regni coelorum. Non enim dictum est illi tu es petra, sed tu es Petrus. Petra enim erat autem Christus; quem confessus Simon, sicut enim tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem sententiarum quae sit probabilior, eligat lector" (Migne P.L. XXXII, 618).

Etiam hoc loco Augustinus manifeste agnoscit primatum, nam dicit 1° Petro ~~traditas~~ esse claves potestatis 2° nomen impositum a nomine petrae Christi derivatum 3° Petrum esse id per derivationem ex gratia Christi: quod Christus est ex se. Christus enim ex se ipso est petra, Petrus autem ex eo quod a Christo id sibi impositum est propter confessionem divinitatis.

Praeterea non est praetereundum, quod s. Augustinus ad retractandam priorem suam sententiam in hymno s. Ambrosii mentionatam, a multis christianis probatam, non nisi eo movetur, quod Christus non dixit „tu es petra", sed „tu es Petrus". Si s. Doctor novisset linguam aramaicam, qua usus est Dominus loquens ad discipulum, vidisset sane dictum fuisse a Christo: tu es kepha et super hac kepha aedificabo", tunc sane non retractasset sententiam Ambrosii et multorum antiquiorum. Itaque ex hac dubia s. Augustini sententia

ut ex quinque supra citatis indubiis suis assertis valet 1° Augustinum (cd) credidisse Petrum fuisse Ecclesiae figuram, quae repraesentaret eam, repraesentationem tamen non fuisse delegatam, sed naturalem sicut caput societatis repraesentat eam. 2° Petro post resurrectionem a Christo domino commissam fuisse totam Ecclesiam pascendam, dotatque sibi claves regni coelorum. 3° Cyprianum episcopum aequalem gradu fuisse Petro aequalem quidem fuisse Petro in martyrio, inferiorem tamen in ordine hierarchico. 4° Petrum Romae episcopum fuisse totam, atque ab eo repetendam esse auctoritatem eminentem episcoporum romae, quae est una ex illis rationibus, quae homines teneant in unitate Ecclesiae. 5° His addendum quod multo supra memoratum est, scilicet sententias episcopi romani in quaestionibus fidei definitivas esse. De hac ultima re aliquatenus abundantius est loquendum.

Ardentibus luctaminibus pelagianis episcopi Africani Milevis congregati in concilio scribunt epistolam ad Innocentium Romae episcopum. Epistolae auctor est Augustinus, ea sic exorditur: „Quia te Dominus gratiae suo praecipuo munere in sede apostolica collocavit, talemque nostris

temporibus praestitit, ut nobis potius ad culpam negligentiae valeat, si apud tuam venerationem, quae pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerimus, quam ea te possis vel fastidiose vel negligenter accipere; magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam, quaesumus, adhibere digneris" (Augustini ep. 176 n. 1; Migne P. L. XXXIII, 763). Porro in epistola memoratur inter argumenta necessitatis gratiae, oratio Christi pro Petro ne deficiat fides sua; item provocat epistola ad „apostolicum pectus" Innocentii. Tandem tota epistola unum exprimit, nempe officium episcopi romani finem faciendi errori pernicioso in fide.

Innocentius inter caetera respondit: „Diligenter ergo et congrue apostolici consulitis honoris arcana; honoris, inquam, illius quem, praeter illa quae sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium ecclesiarum super anxiis rebus, quae sit tenenda sententia, antiquae scilicet regulae formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostris esse servatam. Verum haec missa facio; neque enim hoc vestram credo latere prudentiam; qui id enim actione firmastis, nisi scientes quod per omnes provincias de apostolico fonte peten-

tibus responsa semper emanent? praesertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et coepiscopos nostros, nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis et honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit omnibus ecclesiis in commune prodesse (ep. 182 n. 2; Migne P. L. XXXIII, 784.)

Hanc tam claram Innocentii assertionem primatus sui in universalem Ecclesiam Augustinus approbavit in litteris, quam una cum Alypio dedit Paulino Nolae episcopo: „Scripsimus etiam ad beatae memoriae papam Innocentium, praeter conciliorum relationes, litteras familiares, ubi de ipsa causa aliquanto diutius egimus. – Ad omnia nobis ille rescripsit eo modo, quo fas erat atque oportebat apostolicae sedis auctoritatem (ep. 186 n. 2; M. P. L. XXXIII, 816, 17).

Augustinus vituperat Julianum eclanensem eo, quod non audivit responsum Innocentii summi pontificis, cujus doctrina non potuit esse aliena ab antiqua Ecclesiae traditione. „Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. Cui ecclesiae praesidentem beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem-

tiam pelagianis laqueis eruisse. Quid enim potuit ille vir sanctus africanis respondere conciliis, nisi quod antiquitus tenet perseveranter Ecclesia?" (Contra Julianum pelag. l. I c. 4 n 13; M. P. L. XLIV, 648)

Anno 417 die 23 septembris, cum pelagianismus iam a magisterio ecclesiastico damnatus esset, S. Augustinus protulit sermonem (131 c. 10 n 10), in quo infallibilitatem summi pontificis clare protulit, nulla facta mentione subsequentis consensus Ecclesiae: „De hac causa (scil. de pelagianismo) duo concilia missa sunt ad sedem apostolicam: inde etiam (resp) rescripta venerunt: causa finita est. Utinam aliquando finiatur error" Migne XXXVIII, 734.)

De magisterio Ecclesiastico Augustinus docet, ut supra memoravimus, illud esse criterium veritatis, iudiciumque divinitatis ipsius Scripturae s. canon. Doctor hipponensis repetit verba Christi de Ecclesia: „Ipsa est praedestinata «columna et firmamentum veritatis»" (In psal. 103 s. 17; M. P. L. XXXVII, 1350.)

„Sequitur post Trinitatis commendationem (in symbolo fidei), sanctam Ecclesiam.... Ipsa est Ecclesia... contra omnes haereses pugnans: pugnare potest, expugnari tamen non potest." (De symbolo ad cathechumenos c. 6 n 14; Mig. XL, 635). „Hoc habet auctoritas matris Ecclesiae, hoc fundatus veritatis obtinet canon:

contra hoc robur, contra hunc inexpugnabilem murum quisquis arietat ipse confringitur" (Sermo 294 c 18; Migne XXXVIII, 1346). —

Hoc robur ad resistendum errori in Ecclesia oritur ex permanente praesentia Christi in Ecclesia qui eam gubernat Spiritu suo Sancto: „Caput positum in coelis quod gubernat corpus suum (Enarr. in psal. 56 n 1; Migne P. L. XXXVI, 662)". Sed etiam ipsam quae nunc est, Ecclesiam nisi Dominus inhabitaret, iret in errorem quamlibet studiosissima speculatio (Enarr. in psal. 9 n 12; Migne P. L. XXXVI, 122)

Organum infallibilitatis Ecclesiae sunt concilia. Concilia autem Augustinus distinguit triplicis generis, imprimis „quae per singulas regiones vel provincias fiunt," porro, plenarium totius Africae concilium, "quod celebratum fuit Hippone 393 anno, tandem „plenaria quae fiunt ex universo orbe christiano" (De baptismo c. donat. l. II c. 3 n 4; Migne P. L. XLIII, 129). Plenariorum conciliorum decreta Augustinus docet esse infallibilia, quod patet ex sequentibus. 1º Sermone 294 c. 21 n 20 (Migne P. L. XXXVIII, 1348) dicit lites de fide ante decreta concilii plenarii licitas esse, post vero ea perniciosissimas. 2º In op. De baptismo c. donat. l. I c. 7 n 9 agnoscit quosdam sanctos episcopos de validitate baptismatis haereticorum, donec plenario totius orbis concilio, quod saluberrime ser[illegible]etur;

etiam remotis dubitationibus firmaretur" (Migne P. L. XLIII. 114).

Huic sententiae videtur obstare quod Augustinus scripsit in eodem opere de Baptismo l. II c. 3 n. 4: „ipsa plenaria (scil. concilia) saepe priora posterioribus ligenda non sunt de conciliis plenaribus totius Ecclesiae, quae saepe non fiunt, ut recte observat Portalié (Dictionaire de theol. cath. I, 2414), sed de plenaribus quae modo memorato concilio hipponensi aequiparantur. Porro verbum „emendari" aptissime intelligi potest de mutationibus disciplinaribus et iuridicis, nam ne in provincialibus quidem emendationes doctrinales frequenter fieri solebant.

Tandem in magisterio Ecclesiae exercendo s. Augustinus Ecclesiae romanae primas tribuebat partes: „Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab apostolica sede per successionem episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, et partim plebis ipsius iudicio, partim conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summae profecto impietatis est, vel praecipitis arrogantiae" (De utilitate cred. c. 17 n. 35. M. P. L. XLII, 91.

Doctrinam s. Augustini de Ecclesia sanctificante animas humanas atque distribuente auxilia divina in administrandis sacramentis hic omittendam esse censemus, quia plus ad theologiam dogmaticam quam ad nos pertinet.

Sic etiam finem facimus exponendae doctrinae s. Augustini de variis theologiae fundamentalis capitibus.

Editiones. 1° operum omnium: I. Amerbach Basileae 1506 an. 9 voll., D. Erasmus Basileae 1528–1529 an. 10 voll. – Lovanienses H. Vignier, sacerdos oratorii edidit supplementum operum s. Augustini. Parisiis 1654–1655 a. 2 voll. In hac editione inveniuntur quaedam valde gravia usquemodo non impressa. – Plane exemplaris est editio, quae vocatur Maurina, praeparata a patribus benedictinis ex congregatione s. Mauri, quorum principes fuerunt Th. Blampin et P. Coustant cum sociis. Hi opera s. Augustini spuria et supposititia ab authenticis separaverunt, accuratissimos indices diligentissime composuerunt, quaedam, licet pauca et parva noviter inventa addiderunt. Sic praeparata opera s. Augustini prodierunt Parisiis 1679–1700 annis 11 voll. quibus postea additum est vol. 12. Ad conficiendos indices operum s. Augustini plurima effecit D. Lenfant O. Pr. qui anno 1656–1665 Parisiis edidit Concordantias Augustianas 2 voll. – Editio Maurina multoties repetita assumpta est in Collectionem Migne volumina XXXII – XLII. De editione maurina multae scientificae elucubrationes prodierunt. – Recentissima editio omnium operum

s. Augustini fit sub auspiciis Academiae scientiarum Vindobonensis. Huic editioni adlaborarunt F. Weihrich, J. Zycha, P. Knöll, A. Goldbacher, E. Hoffmann, F. Urba, M. Petschenig, Alex. Souter. Huic editioni anno 1887 coeptae obiicitur quod lente prodeat et non semper debito ordine, aliquando adnotationes nimis copiosae esse dicuntur. Maxime autem vituperantur volumina a J. Zycha recensita.

2° operum apologeticorum editiones separatae. Confessiones edidit H. Sommalius S. J. in Donai 1607; H. Wagnerek S. J. in Dillingen 1630, K. v. Raumer Stuttgart 1856, Knöll Lipsiae 1898. – De civitate Dei edidit J. Strange Coloniae Agripinae 1850 in 2 voll., B. Dombart Lipsiae duobus voluminibus prima vice 1863, secunda vice 1877, tertia vice vol. II anno 1902 deinde vero vol. I anno 1908 apud Teubner. — D. G. Morin in ephemeride Révue Benedictine Farnborough in Belgio vol. 18 p. 241-256 et vol. 21 p. 124-132 edidit quasdam particulas operum s. Augustini usquemodo ignotas, sed non pertinentes ad nostram disciplinam.

Commentaria de s. Augustino eiusque operibus apologeticis.

Antiquissimam vitam s. Augustini scripsit Possidius, episcopus Calamae, circa an. 432, duobus scilicet annis post mortem s. doctoris hipponensis. Ex recentioribus nominandae sunt Tillemont'ii et ea, quam composuerunt monachi s. Mauri (prodiit apud Migne P. L. XXXII, 65-578). Fr. Böhringer, Die Kirche Christi und ihre Zeugen oder die Kirchengeschichte in Biographien I. Zürich 1845. – Fr. & P. Böhringer,

Aurelius Augustinus Bischof von Hippo. Stuttgart 1877-1878, 2 voll. – Poujoulat, Histoire de st. Augustin, sa vie, ses oeuvres, son siècle, influence de son génie. Paris 1845-1846, 3 voll. C. Wolfsgruber, Augustinus. Paderborn 1898. H. A. Naville, St. Augustin. Etude sur le developpement de sa pensée jusqu'à l'epoque de son ordination. Genève 1872. – Fr. Wörter, Die Geistesentwicklung des hl. Aurelius Augustinus bis zu seiner Taufe. Paderborn 1892. – Flottes, Etudes sur st. Augustin, son génie, son âme et sa philosophie. Montpellier 1861. – W. Cunningham, S. Augustine and his place in the history of christian thoght. London 1886.

De philosophico systemate s. Augustini tractant: J. F. Nourrisson, La philosophie de st. Augustin. Paris 1865, 2 vol. – J. Storz, Die Philosophie des hl. Augustinus. Freiburg in Br. 1882. – N. J. L. Schütz, Divi Augustini de origine et via cognitionis intellectualis doctrina ab ontologismi nota vindicata. Monasterii 1867. J. Hähnel, Verhältniss des Glaubens zum Wissen bei Augustin, Leipzig 1891. C. von Endert, der Gottesbeweis in der patristischen Zeit mit besonderer Berücksichtigung Augustins. Freiburg in Br. 1869. – K. Scipio, Des Aurelius Augustinus Metaphysik im Rahmen seiner Lehre vom Uebel. Leipzig 1886. – E. Melzer, Die Augustinische Lehre vom Kausalverhältniss Gottes zur Welt. Neisse 1892.

De quaestionibus speciali modo ad theologiam fundamentalem pertinentibus doctrinam Augustini examinarunt.

Fr. Nitzsch, Augustinus Lehre vom Wunder. Berlin 1865. Th. Specht, Die Lehre von der Kirche nach dem hl. Augustin. Paderborn 1892.- Hermann Reuter, Augustinische Studien (in Zeitschrift für die Kirchengeschichte annis 1881-1886; IV: 1-43; 204-260; 506-548; 632; V: 349-386; VI: 155-192; VII: 199-256; VIII: 124-187; separate editum Gotha 1888 paginae VIII+516 praecipue investigat doctrinam s. Augustini de Ecclesia.- Th. Specht, Die Einheit der Kirche nach dem hl. Augustinus. Neuburg a. D. 1885.- E. Commer, Die Katholizität nach dem hl. Augustinus. Breslau 1873.- J. Rickaby, S. Augustine and scientific unbelief (in Month) 1876 vol. C. september p. 195-204.- S. J. Sayrich, Die Geschichtsphilosophie Augustins nach seiner Schrift De civitate Dei. Chemnitz 1891. Verdière, Comparantur d. Augustini et Salviani iudicia de suorum temporum calamitatibus. Parisiis. 1843.

S. Vincentius Lirinensis.

In mari Mediteraneo ad orientalem partem Galliae meridionalis inter urbes Nizza et Toulon non procul a Marsilia posita est insula 1000 passus longa, 400 autem lata, quae hodie St. Honorat vocatur. Haec antiquitus fere inaccesibilis erat propter multa saxa submarina, quae circumdant eam, aërem habebat nocivum et plurimis venenosis animalibus scatebat. Aspectus tamen huius parvae

insulae, quae tunc vocabatur Lirina vel Lirinus, erat valde amoenus.

Inter annos 375 et 410, probabiliter autem 405, quidam monachus Honoratus, ex oriente rediens, ausus est domicilium suum in hac insula collocare. Mox Honorato sese adiunxerunt discipuli, quorum numerus continuo crescebat, quorum labor assiduus insulam reddidit florentem cultissimamque. Aedificatum est ibi monasterium cum ecclesia. Fama pietatis et scientiae attraxit plurimos quorum nomina in historia litterarum christianarum atque gestorum merito celebrantur.

Ad hoc monasterium inter alios venit et Vincentius, cuius vita in mundo dicitur fuisse agitata. De vita tamen eius viri biographi admodum pauca tradunt. Constat eum fuisse monachum lirinensem et sacerdotem et Lirini mortuum esse, post mortem inter sanctos relatum. Memoria eius colitur die 24 maii. Poirel credit Vincentium idem esse ac Marium Mercatorem, tamen caeteri eruditi hanc opinionem reiiciunt.

Gennadius in opere „De viris illustribus" c. 64 dicit Vincentium tribus annis post concilium Ephesinum „nitido satis et aperto sermone" scripsisse opus Commonitorii. Inde concludendum est, Commonitorium Vincentii scriptum esse anno 434. Auctor ipse dicit se scripsisse non ad alios instruendos sed ad suam memoriam iuvandam, nomen tamen suum reticuit, opus autem suum

vulgavit sub falso nomine Peregrini.

Initio Commonitorium Vincentii duobus constabat libris, sed secundus liber furto sublatus est. Nihilominus mansit recapitulatio furati libri ab ipso auctore facta. Argumentum operis optime tradi potest, quia claram praesefert partium dispositionem et logicam sententiarum evolutionem.

Initio auctor dicit Scripturam s. esse verum et perfectum fontem, ex quo divinae veritates cognoscantur. Tamen sola Scriptura non sufficit, nam requiritur adhuc ecclesiasticae intelligentiae auctoritas. Verum a falso distinguitur traditione c. 1(2).- In ipsa autem Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. c 3 (2) - Si aliquando quaedam novitas unam enumeratarum qualitatum praeseferat, ex aliarum qualitatum defectu novitatis erroneitas detegenda est. c. 4(3). — Haec proposita principia plurimis exemplis illustrantur capitibus 4-27 (4-22). — Adest quidem in Ecclesia doctrinae progressus seu evolutio, sed haec non fit nisi intra limites eiusdem veritatis. Crescit quidem gradus, sed manet eadem veritas, sicut et planta eadem manet ex semine crescens in arborem cc. 28-32 (c.23). Praedicta confirmantur auctoritate s. Pauli. Haeretici autem sententias Scripturarum violant cc. 33-37 (24-26). — Porro iterum redit Vincentius ad regulas fidei,

dicit Scripturam sacram intelligendam esse iuxta traditionem. In Ecclesia autem ea sententia est sequenda, quae universalis, antiqua, ab omnibus recepta est. Haec consilia sequenda sunt, ut in diversitate recentium opinionum error vitetur; antiqui autem haereticorum errores satis clare cognoscuntur ex damnationibus ecclesiasticis ac faciliter vitari possunt c. 38-40 (27-29). — Tunc sequitur recapitulatio operis et mentio concilii Ephesini, quod concilium, ut falsitatem sententiarum Nestorii palam produceret, ad auctoritatem decem patrum antiquorum provocavit. cc. 41 et 42 (30-31). — Tandem proponit Vincentius auctoritatem Sedis Apostolicae, quae in litteris Sixti ad episcopum Antiochenum datis ubi dicitur „nihil ultra liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati." Item provocat Vincentius ad epistolam Caelestini episcopi Galliae datam, ubi dicitur, ut desinat, si ita res est, incessere novitas vetustatem c. 43 (32.33).

Inter eruditos multum disputatum est orthodoxia s. Vincentii Lirinensis: alii enim dicebant eum semipelagianum fuisse, alii autem id negabant. Recentissimo tempore prodierunt scriptores, qui ita opera Vincentii et aliorum explicant, ut eum parum abfuisse a sententiis s. Augustini affirmant.

Nostra interest potius cognoscere valorem Vincentii in theologia fundamentali: Tempore nascentis

protestantismi „Commonitorium" tanti aestimabatur, ut Baronius diceret id esse „opus certe aureum" (Annales ad a. 431, n. 188). Nam Vincentius apertissime docet necessitatem traditionis, quam protestantes negabant. Sed ultimo saeculo vergente theologus veterum-catholicorum E. Michaud in „Revue internationale de theologie" contra catholicos provocare coepit ad „canonem" Vincentii Lirinensis „quod semper, quod ubique, quod ab omnibus", ut catholicis obiiceret crimen novorum dogmatum. Hoc canone etiam russorum theologi utuntur ad negandum progressum in doctrina christiana. Nihilominus s. Vincentius apertissime docet dari evolutionem dogmatum quae veritatem non mutat, sed fortiorem et clariorem reddit. Itaque maximum meritum „Commonitorii" in eo est, quod 1° docuerit necessitatem traditionis et auctoritatis ecclesiasticae, tamen 2° affirmavit existentiam evolutionis dogmaticae, ac 3° provocavit ad auctoritatem Summorum Pontificum tamquam ad iudicium veritatis theologicae.

<u>Editiones et commentaria</u>. Coster edidit Commonitorium Antverpiae 1560 et Leidae 1572 an. Stephanus Baluzius edidit Parisiis 1663, 1669, 1684. Eadem editio prodiit Augustae Vindelicorum 1754 et repetita est in editione Migne, Cursus completus Patres Latini vol. L

col. 637-686. Haec editio Baluzii censebatur esse optima. Engelbertus Klüppel edidit Vindobonae 1809. – Porro Commonitorium prodiit Ingolstadii 1834, – Ed. Herzog edidit Vratislaviae 1839 et Augustae Vindelicorum. – Gregoire et Collombet ediderunt Lugduni 1834. – Pusey Oxoniae 1839. Mentionandae editiones Huddersfeldensis 1880 et Londinensis 1885 ubi textui latino adiungitur versio analitica. Recentissima editio critica facta est ab A. Jülicher, Vinzent von Lerinum, Commonitorium pro catholicae fidei antiquitate et universitate adversus profanas omnium hereticorum novitates, Friburgi in Brisgoviae et Lipsiae 1895 (Sammlung ausgewälter kirchen- und dogmengeschichtlichen Quelschriften X) Vincentii Peregrini, seu alio nomine Marii Mercatoris, Lirinensis Commonitoria duo. Nancy 1898 p. XII + 198 in 8.

H. Altus, De generitate verae antiquitatis nota secundum Vincentium Lerinensem contra Pontificem. Helmstadii 1660. – Baronius, Annales 434 an. 19-20, editio 1593. – Barral, Chronologia insulae Lerinensis 1613 p. 138-140. – Leon Bretgnier, Essai sur Vincent de Lérins, thèse. Colmar 1854. – G. Calixtus, Dissertatio in Vincentium Lerinensem (Salviani et Vincentii opera Bremae 1688). – Ebert Geschichte der Litteratur des Mittelalter vol. I

1874 p. 445-447. - Franz Xav. Elpelt, Vincentius von Lerinum, sein Leben und seine Lehre. Breslau 1840. - Examen regulae exegeticae ex Vincentio Lerinensi a Febronio repetitae. Wittebergae 1768. - A. Sengler, Über die Regel des Vincentius von Lerinum (Tübinger Theolog. Quartalschrift 1883 p. 579). - H. Koch, Vincentius von Lerinum und Marius Mercator (Theologische Quartalschrift 1899 vol 81 p. 396-434). - A. Louis Etude sur st. Vincent de Lérins et ses ouvrages (Revue du clergé française 1895 vol. II p. 271-279; 368-376; 465-470). - Macedo (Franciscus a. S. Augustino) Commentationes duae ecclesiastico-polemicae altera pro S. Vincentio Lerinensi et S. Hilario Arelatensi et monasterio Lirinae, altera pro S. Aurelio Augustino et patribus africanis. Veronae 1674. - J. Martin Vincent de Lérins. St. Cloud 1859. - Rev. M. J. Poirel, De utroque commonitorio Lerinensi, dissertatio inauguralis. Nancy 1896. - H. Koch, Vincenz von Lerinum und Gennadius (Texte und Untersuchungen Leipzig. Hinrichs 1907; 3 Reihe 1 Bd 2 H 7 37-58 S.) - A. Jülicher, Leipzig, Vincenz von Lerinum (Realencyklopedie für protestantische Theologie und Kirche 3 Aufl. 1908 (Bd. 20, S. 670-675). - C. Weyman, Die edition des Commonitorium (Historisches Jahrbuch München 1908, Bd. 29, S. 582-586.) F. Brunetière et Labriolle, S. Vincent de Lérins. Paris. Bloud 1906.

S. Leo Magnus

Inter Pontifices Romanos antiquorum temporum maximus adnumeratur sanctus Leo Primus, cuius nativitatis tempus et locus non certo est cognitum. Coelestino I Ecclesiam regente (422-432) Leo fuit diaconus Ecclesiae romanae et dotibus personalibus prae caeteris clericis urbis multum eminebat. Joannes Cassianus anno circiter 430 aut 431 Leonem vocavit „Romanae Ecclesiae ac divini ministerii decus" (De incarnatione Domini).

Post Coelestinum Ecclesiam regebat Sixtus III ab anno 432-440. Anno 440 Leo quadam gravi legatione fungebatur in Gallia ac mortuo Sixto absens electus Romanus Pontifex. Legatione interrupta mox rediit Romam ac die 29 septembris 440 anni consecratus est episcopus ac summi pontificatus munere fungi coepit.

Conditio Ecclesiae illis temporibus difficillima erat. Oriens christianismus agitabatur haeresi monophysitica ita, ut etiam conventus episcoporum in conciliabula degenerarentur, quae latrociniorum nomina mererentur. Quae res indicabant spiritum pietatis christianae defuisse apud plurimos episcopos Orientis. Contentiones inter orientem et

occidentalem partem orbis christiani in dies vehementiores acrioresque fiebant.
Alexandrina sedes cum Ecclesiis sibi adiacentibus in celebratione Paschatis dissidebat ab usu Romano aliarumque terrarum christianarum. Nec Italia incolumis erat, nam incursiones barbarorum devastabant provincias, evertebant urbes, ipsi Romae minabantur.

Dotes intellectus plane eximiae et extraordinariae ornabant et fortiorem reddebant sanctitatem Leonis. Clare proposita doctrina de duabus naturis Christi in una persona divina coniunctis S. Leo non solum veritatem christianam promovit ad victoriam, sed etiam auctoritatem Pontificis tantam reddidit, ut patres praecipue orientales in concilio Chalcedonensi anno 451 congregati, lecta epistola Leonis exclamarent: „Haec est fides patrum, haec est fides apostolorum. Sic credimus omnes. Petrus per os Leonis locutus est." (Kirsch-Hergenröther, Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte. 4 Aufl. Bd. I. Freiburg i. Br. 1902 p. 526. Confer Harduin Conciliorum collectio II, 305 E)
In eodem concilio oecumenico prodiit ambitio archiepiscoporum constantinopolitanorum, qui, cum praeiudicio patriarcharum antiochenum, alexandrinum, hierosolymitanum, primum locum post Romanum

Pontificem occupare volebant. Conditus enim est canon 28 concilii Chalcedonensis quo canone ambitioni dictae satis fiebat. Tamen sanctus Leo, fortitudinem cum prudentia coniungens et reiciens canonem 28-um novit et animos orientalium a se alienavit.
Conciliabulum monophysiticum Ephesinum anno 449 factum, in quo magnam iniuriam passi sunt episcopi orthodoxi, a Leone damnatum est.
Ipse patrocinium praestitit defensoribus fidei, quorum iura laesa erant in conciliabulo. Hoc modo summa auctoritas Romani Pontificis in oriente admodum clare profitebatur ab omnibus orthodoxis.

Supernaturalis quaedam auctoritas Leonis papae barbaros atque haereticos fascinabat. Anno enim 452 Attila, hunnorum rex, appropinquabat Romae, ut eam incendio interimeret.
Perterriti romani legatum miserunt sanctum Leonem. „Sicut leo, qui nec timorem novit nec ignaviam occurrit ipse hunnorum et persuasit victori, ut rediret potius ad sua" (Iordanes, episcopus ravennatensis, De Gothorum origine et rebus gestis c. 42; citatur in opere Prof. Dr J. B. v. Weiss, Weltgeschichte 5 Aufl. 3 Bd Graz et Leipzig 1896 pagina 620).

Tribus annis post, vandalorum rex Geisericus cum suo exercitu ante portas Romae stetit. Iterum prodiit S. Leo et obtinuit, ne urbs incendio consumeretur ac vitae incolarum victores pepercerunt. Rapina autem bonorum-

798 urbs duravit quatuordecim diebus a 15 usque 29 iunii 455 anni (Historia Miscellanea, ed. Eyssenhardt p. 338; citatur iuxta Weiss, Weltgeschichte III 628).

Post eximia merita Urbi et orbi christiano reddita mortuus est s. Leo Magnus die 10 novembris 461 ac brevi post inter sanctos numerari coepit. Benedictus autem XIV eum doctorem Ecclesiae declaravit anno 1754.

S. Leo non tam scriptor fuit quam potius rector Ecclesiae. Opera sua pauca sunt et nonnisi occasione officiorum pontificalium confecta epistolae nempe et sermones. Sermones conservati sunt 96 authentici et certi, 20 autem dubii et spurii. Epistolae autem sunt 143 a Leone scriptae annis 442-460. Fere omnes sunt officiales, a se quidem approbatae, sed a secretariis elaboratae. 30 autem epistolae ad Leonem datae sunt et conservantur. Omnia s. Leonis opera leguntur apud Migne P. L. in volumine LIV.

Quinque priores sermones Leonis dicti fuerunt in aniversario electionis suae, alii autem tempore quadragesimae in quattuor temporibus ac in festis Domini et sanctorum. Praecipua nota sermonum Leonis est brevitas eorum et auctoritas, praestans est etiam in eis linguae latinae integritas. Tres praecipue sermones sancti Leonis sunt magni momenti in historia theologiae fundamentalis, nempe 3, 4 et 82, nam in eis primatus Romani Pontificis aperte proponitur.

799 In persona humilitatis meae ille intelligatur, ille honoretur, in quo et omnium pastorum sollicitudo cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat, et cuius dignitas etiam in indigno haerede non deficit." (Sermo 3, 4; Migne P. L. LIV). „De toto mundo unus Petrus eligitur qui et universarum gentium vocationi et omnibus apostolis cunctisque ecclesiae patribus praeponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus" (Sermo 4, 2; Migne P. L. LIV). „Isti sunt (sc. Petrus et Paulus) qui te (Romam) ad hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia, per sacram beati Petri sedem caput orbis effecta, latius praesideres religione divina, quam dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis ius imperii tui terra marique protuleris, minus tamen est quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax christiana subiecit (Sermo 82, 1 Migne P. L. LIV.)

Ex epistolis autem admodum magni valoris apologetici sunt litterae ad Flavianum Constantinopolitanum patriarcham, quae leguntur in collectione sua sub n. 28, quaeque appellantur Epistola dogmatica. Licet enim ea tractat de duplici natura unius personae Christi, tamen ipso facto, quod ante concilium stabilit doctrinam catholicam

iam est testimonium auctoritatis doctrinalis
romanorum pontificum.
Neque parvipendenda est epistola Concilii Chalcedonensis iniso mensis novembris 451 anni data ad Leonem, in qua hoc legitur: „Si enim ubi sunt duo aut tres congregati in nomine ipsius, ibi ait se esse in medio eorum; (Mat 18,20), quantam circa quingentos viginti sacerdotes familiaritatem monstrabit, qui et patriae et labori circa eum scientiam confessionis praeposuerunt, quibus tu tamquam caput membris praepositus eras per eos qui tuam continent vicem, rectum consilium demonstrans?"
Εἰ γὰρ ὅπου εἰσὶ δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι εἰς τὸ αὐτοῦ ὄνομα, ἐκεῖ ἔφη εἶναι ἐν μέσῳ αὐτῶν· πόσην περὶ πεντακοσίους εἴκοσιν ἱερέας τὴν οἰκείωσιν ἐπεδείκνυτο, οἳ καὶ πατρίδος καὶ πόνου τῆς εἰς αὐτὸν ὁμολογίας τὴν γνῶσιν προέθηκαν; ὧν σὺ μὲν ὡς κεφαλὴ μελῶν, ἡγεμόνευες ἐν τοῖς τὴν συνταξιν ἐπέχουσιν, τὴν εὔνοιαν ἐπιδεικνύμενος (Deuringer ed. X n. 149 Cfr. Harduin II 655; Mansi VI, 147).
In his verbis manifestum est a concilio agnosci primatum episcopi romani in universali Ecclesia.

Valor S. Leonis Magni in theologia fundamentali etiam inde crescit, quod sanctus papa

admodum colitur ab orientalibus qui eum valde celebrant in suis precibus liturgicis. Indubium est factum primatum a Leone exercitum fuisse in totam Ecclesiam magis qua a quopiam suorum praedecessorum. Sed Leo ab ipsis quoque orientalibus celebratur tamquam sanctus, et quidem eximius. Ergo orientales dicere non possunt exercitium primatus esse usurpationem quandam iustitiae ac sanctitati contrariam.
Leo ultimus fuit Sanctorum Patrum Ecclesiae, quorum scripta insignioris valoris fuerunt in historia theologiae fundamentalis. Licet enim fere in omnibus operibus fere omnium auctorum antiquorum quaedam utilia ad theologiam fundamentalem inveniuntur, tamen ea iam nimis parva sunt, ut data opera mentionentur. Sic ex. gr. s. Gregorius Magnus (540-604) nullia opera apologetica scripsit, sed fundamenta historica potentiae ro—

manorum pontificum iecit, de eorum auctoritate spirituali quaedam praeclara locutus est. Imo in homilia 26 in Evangelium S. Joannis de resurrectione Domini praeclara ratione locutus est. Cum tamen impossibile sit omnia omnium scriptorum obiter dicta quae utilia esse possunt in theologia fundamentali, primam periodum apologeticae christianae, periodum scilicet patristicam, sancto Leone Magno concludimus.

Editiones et commentaria. Antiquissima editio operum omnium s. Leonis papae facta est a Paschasio Quesnel. Parisiis 1675 in duobus voluminibus, idem reeditum est 1700 et multoties. Petrus et Hieronymus Ballerini melius ediderunt Venetiis 1753-1757 in 3 vol. Quae editio Balleriniorum assumpta est in collectionem Migne P.L. LIV-LVI. In opere A. A. Amelli, S. Leone Magno et l'Oriente, dissertatione supra una collezione inedita di nauvi do-

cumenti inediti relativi al V e al VI secolo, estratti dagli scrigni apostolici per cura di Dionisio l'Esigno conservati in un codice di Novarra col appendice. Roma 1882. (Montecassino 1890 ac 1894) leguntur duae epistolae eoque tunc ignotae, ad s. Leonem a Flaviano constantinopolitano et ab Eusebio Dorileensi datae. Utramque hanc epistolam postea edidit Th. Momsen in Neues Archiv der Gesellschaft für älten deutsche Geschichtskunde 1886 vol. XI, p. 361-368. Ad usum scholarum selectas epistolas Leonis iuxta Ballerini edidit Hurter, sanctorum Patrum opuscula selecta XIV-XVI.

Ed. Perthel, Papst Leos I und Lehren, Ein Beitrag zur Kirchen und Dogmengeschichte. Jena 1843. — Fr. Gi. P. Böhringer, Die Väter des Pabstthums: Leo I und Gregor I. Stuttart 1879. — C. Bertani, Vita di s. Leone Magno, pontefice massimo Monza 1880-1881 in 12° vole. — Jos. Antelmius, De veris operibus ss. pp. Leonis Magni et Prosperi

Aquitanici, dissertationes criticae. Lutetiae Parisiorum 1389. – W. A. Arendt, Leo der Grosse und seine Zeit. Maintz 1835. – Ed. Bouvy, s. Léon le Grand dans l'Eglise grecque (Echo d'Orient 1898, vol. I p. 172). – Bollandistae, Acta Sanctorum. Aprilis II 1875. – J. Chr. Gatterer, De Leone Magno, pontifice romano, Attilae et Genserico supplice facto. Gaettingae 1782. – Gennadius, De viris illustribus 70. – Ch. Gore, Leo the Great. London 1880. – J. J. Griesbach et J. J. Semler, Dissertatio de locis theologicis collectis ex Leone Magno. Hallae 1768. – C. G. Heyne, Commentatio de Leone Magno pontifice romano Attilae et Genserico supplice facto. Gaettingae 1782. – Paul Jouhanneaud Vie de s. Leon le Grand, pape et docteur de l'Eglise. Limoges 1862. – J. L. Lucchesini, Sacra monarchia S. Leonis Magni, pontificis maximi, passim et ubique refulgens in polemica historia Concilii Chalcedonensis. Romae 1693. – L. Maimbourg, Histoire du Pontificat

de s. Léon le Grand. Paris 1687. – Martinov, (Annales ecclesiastiques greco-slaves 1864 p. 75, 76) – R. v. Nostiz-Rieneck, Die Briefe Papst Leos I in Codex Monacensis 14540 (Historisches Jahrbuch 1897 vol. XVIII p. 117-133). – Al. de Saint-Cheron, Histoire du Pontificat de s. Leon le Grand et de son siècle. Paris 1845-1846 – duo volumina 2-a ed. ib. 1861-1864. Th. Steeger, Die Klauseltechnik Leos d. Grossen in seinen Sermones. München 1908. –


Index rerum.

5. Epistolae Rom. Pontificum et Acta Martyrum.

Primae periodi pars secunda.

I Apologetae graeci et orientales

Praelectiones ex historia apologeticae prof. F. Buczys.



1912

